


Google






















DE HALIEUTICIS

OVIDIO POETAE FALSO ADSCRIPTIS.

SCRIPSIT

THEODORUS BIRT

DR. PHIL.



BEROLINI

APUD WEIDMANNOS

MDCCCLXXVIII.

FRANCISCO BUECHELERO

LITTERARUM ANTIQUARUM

IUDICI SUMMO PRAECEPTORI HUMANISSIMO

CARITATIS CAUSA.

Ovidius est ad quem vocaris neque tamen Ovidius est. Res admirabilis. Scientia enim antiquitatis ut orbem suum compleat distentior ad remotissima iam evagatur comprehendit dispersa insinuatque in ipsa terrae viscera; quae vero diu comparata sunt iacentque in medio iacere neglectiora videntur et apiarii nostri apibus paucioribus curae esse quam fucis. Ita autem factum est ut reverti interdum ad communia atque contrita et deceat et conducat. Ego vero cum in hortis cultissimis poetarum Latinorum deambularem inter flores Nasonis male horrere carduum animadverti — rem sane admirabilem, nisi forte fuisse ille videbitur ad exstirpandum spinosior. Atque iam consequi ego opus conabor praeteritum; in quo tamen munere satisfacere me scias non solum studio veri — nam interesse aliquid inter flores triviales et hortensios facile cognoscetur —, sed etiam indignationi meae pietatique clarissimo ingenio debitae, siquidem a divinitus scriptis indigna pellere hodieque fas est. Plinius enim Secundus in Naturalis Historiae libro XXXII excerpsit Ovidi poetae volumen quod halieuticon inscribebatur ferebaturque incohatum ab eo esse Tomis supremis vitae temporibus (§ 11 et 152); unde recte omnes collegerunt non absolutum librum fuisse quippe qui diceretur incohatus. Quae autem in nostris Ovidi editionibus leguntur Halieutica primum cura Georgii Logi anno 1534 edita non alium librum esse atque quem Plinius excerpsit facile intellectum est. Et quidem hic quoque fragminis instar est continetque versus non plus 134. Quibus tamen in optimo codice Vindobonensi inscriptum potius legitur: *versus Ovidi de piscibus et feris* itemque in Parisino; neque enim insunt nisi nonnullae de sollertia piscium fabellae quibuscum terrestria deinde animalia comparantur adnectiturque aquatilium nominum catalogus; ita ut titulus propositum poetae indicans immutatus postea a librariis videatur in

veri argumenti indicem. Iam vero qui studia antiqua in historia naturali posita persequentes in hoc carmen delati sunt, rem curabant non artem; reliquos ipsa re deterreri potius necesse fuit cuius humilitatem ne arte quidem levari videbant grandiore. Itaque iam hoc pro iudicio esto, quod nemo per tantum spatium temporis carmen istud ne dicam amare, sed examinare pertractare mendis liberare atque vel accurate perlegere suscepit id quod deberi sane illustrissimo scriptoris nomini dixeris. — Neque tamen defuerunt quibus inertiarum poematis observatio scrupulum iniceret quamvis ambigua; veluti ad primum versum adscribere Ciofanum legimus: „multa huius principii crimina ('carmina' infeliciter Burmannus) una cum ingeniosissimis atque eruditissimis viris Petro Ciaccono et M. Antonio Mureto Ovidii non esse censeo". Iuvenilis tunc atque celerior philologia; sensui parebat, consensum non rogabat; ita Barthio in adversariis audacissime conscriptis brevissime tangitur Halieutici libri scriptor (XLIX cap. 7): „Olympius tamen puto, non Ovidius; nam Nemesianum Halieutica scripsisse adeo verum est .... Stilus autem huius fragmenti potius et aevum et ingenium Olympii refert, quam Ovidii, quod nemo equidem negaverit; et inde iudicium irrefutabile merito summo capitur"! Quod merito sane summo neque levissime iudicatum esset, si negare viri isti sine affirmatione calluissent. Eodem dubitandi studio orta mira illa verba videntur quae scripsit Pierius Valerianus in Hieroglyphicis de hoc carmine: „quod opus olim a Nigidio elucubratum esse aiunt" (!), quae quo nitantur non invenitur; cf. quae solita doctrina enotavit M. Hertzius in libro De P. Nigidii Figuli studiis atque operibus scripto p. 49 sq. Post Barthium Ulitius rei venaticae amator et non minus Minervam montibus quam chartis Dianam inerrare expertus cum Gratium suum et ederet et illustraret, sprevit quidem Olympium, sed ipsius Grati nomen piscatoriae arti adiecit; neque enim casu hanc credebat antiquitus et ab Ovidianis scriptis omnibus separatam legi et praefixam Gratio. Quam eandem sententiam Wernsdorfius amplexus sermonis quoque Gratiani exempla ex Halieuticis expiscari intentiore studio suscepit. Itaque subditicia Halieutica esse adeo planum erat, ut bene mereri is demum videretur qui verum tandem scriptorem erueret. Quid omiserint illi luculente illustratur praefatione R. Sterni anno 1832 ad Gratium scripta, ubi simul uno ore et strenue pugnatur contra Wernsdorfium de ipsis Halieuticis (p. XXII) et plauditur Wernsdorfio de eclogis Calpurnianis quarum nullam dandam Nemesiano esse optime ille

demonstraverit (p. XXIX); nimirum novantibus credi sine demonstratione vera atque severa non poterat Sterniusque quod bis erravit laudabitur potius quam accusabitur. Iam alterum de Calpurnio errorem verissima tandem demonstratione M. Hauptius sustulit; Halieuticorum contra ne ipse quidem nisi editioni operam navavit tali qua hodieque horum carminum tractatio nititur, artem vero Ovidine revera esset quaerere non vacabat Heinsiumque secutus ad ipsam Plini gravissimi auctoris testificationem confugere satis habebat. Quin etiam tanta eius religio ut credendum Plinio esse diceret etiam si inveniretur aliquid in his versibus quod a Nasone eos non profectos esse certo argumento indicaret. Quid igitur? Statui volebat amissum verum halieuticon volumen esse, qui vero ad nos pervenissent versus de piscibus et feris ex ipsis Plini excerptis sumptos a falsario esse et adauctos aliis (praef. pg. XX) — quam tamen coniecturam facillime elevari posse ipse ibidem ostendit neque nos eam morabimur. Nobis autem quod simul tam confidenter et tam breviter vir summus iudicium tulit dolendum quidem esset nisi speraremus fore ut in reiciendo isto iudicio eius ipsius vestigia pro nostra facultate premere videremur. Praeterlapsa exinde octo fere lustra; quibus neque ipse aut mutavit aut confirmavit sententiam suam (cf. ed. Metamorph. praef. p. 8) neque alios eam aut confirmare aut confutare vidimus; quae vero iudicata sine demonstratione sunt adscribere non opus est. Quoniam vero ab Ovidi lectione ad Halieutica accedentes eodem fere, quo Barthium abreptum vidisti, indignationis impetu iuvenili abripi nos quoque sensimus, iam senectuti locus dandus erat illi quam *μικρόλογον* dicunt quaerendumque quid tandem sensissemus et utrum aliquid esset an nihil et quae apparerent differentiae sermonis num satis explicari possent aut ex debilitate consenescentis poetae aut ex materia carminis nimis ardua aut denique ex utroque.

Primus locus debebatur rei simpliciori, hoc est metricae. Ad eam pertinentia composui ante hos duos annos in libello meo Ad historiam hexametri latini symbola p. 55 sqq. Ex quibus quid concludendum esset dicere ibidem non dubitavi quamquam mihi legere non licuerat programma quod Veronae publicavit Zingerle anno 1865 De Halieut. fragmento Ovidio non abiudicando. Intellexeram quidem bene meritum esse virum doctum de sententiis elocutionibus vocibusque poetarum unius cuiusque singularibus observandis et inter se comparandis unde res, minime dubia, illustraretur et consuetudinem apud poetas valere et imi-

tationem. Sed haec eadem, quod vix speraveram, ad ipsam nostram quaestionem ab eo adplicari ubi certior factus sum, certius factum potius meum mihi indicium est neque suspensum probavique quod contra illum libellum iudicatum ab Hartelio vidi in Zs. f. d. östr. Gymnas. 1866 p. 334, seposito Plini testimonio cogitare licere etiamnunc de imitatore Ovidi. — Iam vero disputationem Zingerlei et auctiorem et patentiorem inspicere licet, receptam in collectionem cui inscripsit Kleine philol. Abhandlungen II, 1. Videbis etiam appendicem adnexam ab eo esse satis largam in qua — cognoverat enim novum me sibi esse adversarium — metricae artis differentiam siqua sit omnino minus valere adseverat quam orationis observatam quandam vel cognationem vel similitudinem. Metricam iam hic rem retractare displicet; claudi enim argumentorum agmen iuvabit firmissimis. Immorandum quamvis breviter erit in orationis illa cognatione quae cum vero Ovidio sit, ut quid valeat ea sentias. Accidit enim defensori quia omnino non habebat contra quem pugnaret ut considerantiae suae studioque cavendi nimis parcere auderet, probans id quidem nihil esse cur Grati esse Halieutica statueremus (p. 35 sqq.), ceterum serio irruens in adversarium illum ab Hauptio vix serio fictum qui amissum Ovidi carmen et Plini ope refectum a posteriore homine esse opinaretur. Vicit. Quod tamen ad me hoc loco non pertineret nisi pertinere ad me vir doctus in appendice iussisset. Igitur audiamus. Ovidio eripi Halieutica posse pernegat hanc summam propter causam quia et sua verba repetere amasse Ovidium constet et novem fere in ipsis Halieuticis flosculi Ovidiani reperiantur. Comparanda proponit:

Hal. 78: Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro cum Met. I, 536: et extento stringit vestigia rostro.

Hal. 6: sic evolat ales cum A. A. II, 19 quibus avolet alas et Met. I, 264: Notus evolat alis.

Hal. 54: et adversis infert sua pectora telis cum Am. II, 10, 31: Induat adversis contraria pectora telis.

Hal. 59: Quid nisi pondus iners cum Met. I, 8: Nec quicquam nisi pondus iners et A. A. III, 220: Pondus iners quondam.

Hal. 3: Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte cum Met. XV, 596: Cornua fronte gerit et Trist. I, 1, 8: nec nigra cornua fronte geras.

Hal. 21: nigrum vomit illa cruorem (ita enim complendum versum esse infra probabitur) cum Met. V, 83: rutilum vomit ille cruorem.

Hal. 56: viribus addidit iram cum Met. XII, 532: dolor addidit iram et Met. III, 306: minus addidit irae.

Hal. 51: Aut trahit in praeceps cum Am. II, 9, 29: Ut rapit in praeceps et Met. II, 69: Ne ferar in praeceps.

Hal. 119: epastas solus qui ruminat escas cum Am. III, 5, 17: lente revocatas ruminat herbas.

Itaque Ovidiana in Halieuticis memoria non obscura; cuius etiam plura exempla a me passim adferri videbis. Tamen ut ne parva quidem illi condonem, in ultimo exemplo quale ab eo quidem adscribitur similitudo nulla; vera tamen latet imitatio quam ostendam p. 36. Porro subtrahendum etiam paenultimum exemplum, quia Vergilium quoque hic imitari poeta poterat dicentem: *Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni* (Georg. I, 203, cf. Aen. VI, 578: *Tartarus ipse Bis patet in praeceps*); subtrahendum etiam primum esse infra fortasse tibi persuadebitur lecta pagina 55; fortasse etiam tertium pagina 20; neque de sexto exemplo tacendum est eundem praeivisse Vergilium apud quem est: *crassum vomit ore cruorem* Aen. X, 349 et *mixtum spumis vomit ore cruorem* Georg. III, 516. Illud quoque Ovidianum in Metamorphosibus *minus addidit irae* veriorem certe imitatorem excitavit Lucanum qui scripsit: *tantum tamen addidit irae* I, 292; ceterum Silius Italicus: *addebant mentibus iras* IX, 454. Denique contra totum istud argumentum disputaturumne me exspectas? Sed nihil agere nolo. Nimirum id ipsum ostendere v. d. omisit similitudines illas imitandi studio ortas esse non posse — in quo tamen causae cardo positus est. Itaque monuisse satis habemus sub imperio Neronis neque non Claudi Tiberi inter Senecae maxime aequales et Persi Ovidiani coloris vocumque Ovidianarum summam sane obtinuisse captationem, neque hac re quidquam tritius aut magis notum est. Quam si quis de Halieuticis valere posse negabit, et Heroidas ad unam omnes obtrudet Nasoni et Culicem Vergilio et Cirin Vergilio simul ac Catullo et Lygdamum Tibullo simul atque Ovidio, denique etiam Consolatorem illum de morte Drusi ad Liviam qui Ovidianis turget Tomitam re vera fuisse affirmabit.

Substruere etiam alia conatus est v. d.; res sunt sane quam minusculae et fortasse quas omittere liceat; nisi quod etiam nimiam

esse posse docebunt superstitionem nostram quae audit: Quarentibus minuta paret Veritas. Legitur in Halieuticis participium *imitata* (v. 122); participia ista adamabat ipse Ovidius: sed poetatarum quis talia vel evitare poterat? *Concitus* frequens apud eundem in quinto pede; ecce Hal. v. 73 *concita* adest! atque etiam in Hal. v. 39 *acri concitus ira* praeclare adsonare videtur ad Metam. 7, 413: *rabida qui concitus ira* — sed Vergilianum cur comparare non libet A. IX, 691: *immani concitus ira?* neque a quoquam omnino tunc hic usus alienus. Quod idem nimirum valet de *conscius* adiectivo in quinto pede posito, Hal. 27, ubi et dativus et genitivus adponitur *teretis sibi conscia tergi*, sicut Vergilius scripserat *mens sibi conscia recti* Aen. I, 604 quem secutus Ovidius est Met. VIII, 531 *diri sibi conscia fati;* idem de adiectivis *ilis* clausula formatis qualia bis in Halieuticis exstant (v. 72 et 134); idem de substantivorum *tegmen acumen* similiumque turba gratissima tunc etiam prosae orationis plerisque, cum semel tantum in ipsis Halieuticis sit *foramina retis* (v. 28); quid hoc valeat senties si Silium videris ubi ad piscium capturam et ipse descendit facere non potuisse quin scriberet V, 50:

(Piscator) compressa cacumina nectit
Ac fraude artati remeare foraminis arcet,
Introitu facilem quem traxit ab aequore, piscem.

Quem tamen locum ne adposuissem quidem, nisi etiam versum 45 ex insidiarum Hannibalis descriptione quibuscum nassa comparatur adponere ita voluissem:

At turba umbroso servabat vertice montis
Hostilem ingressum, refugos habitura sub ictu;

quamquam Silius coniectanti parum adhuc adparatus est. — Nimirum hae Zingerlei ratiunculae evanidae omnes et fere ludicrae videbuntur ei qui post mortem Ovidi fictum fragmentum statuerit, velut quod concludere aliquid ab eo iubemur etiam ex syllabarum isto sonitu: vimine vidit (v. 16), virtus viresque (v. 76) similibus (Zing. pg. 34) quasi ex sonivio tripudio. Placeant haec quibus de Ovidio dubitatio nondum orta est.

Notum est ut ipsa vita Romanorum ornata fuit pictorum sculptorumque artificiis, ita animis poetarum dum carmina scribunt certarum tabularum statuarumque mirum quantum inhaerere memoriam cuius vestigia detecta multa sunt, latent non pauca. Unde non ortum quidem, sed auctum studium est, ut et homines

et res de quibus ageretur quasi adspicienda oculis lectoris proponerent et ipsos colores quoque atque adeo compositiones colorum curiose sectarentur. Curiosissimus sane compositionis colorum Ovidius fuit; ex quo Zingerle (l. l. p. 30) exempla coacervavit. Tamen in catalogo piscium Hal. v. 107 et 114 rutilus phager, fulvi synodontes, auratis murena notis merulaeque virentes ichthyologorum potius consuetudini deberi conicietur; etiam quod de loligine dicitur v. 132:

nigrum niveo portans in corpore virus

non exquisitius dictum est quam in epigrammate illo de sepia (A. L. Ries. 107): *Et candens piceum sepia claudit onus;* ita iam Matro apud Athen. p. 135 C: *ἣ μόνη ἰχθὺς οὖσα τὸ λευκὸν καὶ μέλαν οἶδεν.*

Illud vero:

caeruleaque rubens erythinus in unda

(Hal. 104) elegantiae studio recte tribuisse videtur Zingerle (cf. infra p. 112). Scilicet etiam Vergiliana Tibulliana talia decantata: *Namque volans rubra fulvus Jovis ales in aethra* — *Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis* — similia plurima, praeeunte olim Catullo. Atque Catulli imitatorem qui Cirin scripsit observari potest consulto hac in re exempli sui etiam excoluisse verba; nam Ciris versus 511:

Purpureas flavo retinentem vertice vittas

colorum accepit alterum tantum ex Catulliani Nuptiarum carminis v. 63:

Non flavo retinens subtilem vertice mitram.

Addere fortasse hoc licebit: nam Ciris poetam Catulliana quippe ostentantem apparet eisdem illis verbis *retinentem vertice vittas* etiam alterum locum Nuptiarum imitatum esse qui scribendus est (307 sqq.):

His (sc. Parcis) corpus tremulum complectens undique vestis
Candida purpurea talos incinxerat ora.
Atro sed niveae residebant vertice vittae eqs.;

(codd. atroseo; adhibuit scilicet adversativam particulam poeta fatalem colorem splendidioribus illis oppositurus, neque a primo idem sententiae loco talem removere dubitabat). Iam Ciris poeta num forte etiam oram illam candidae vestis purpuream in mente habuit scribens putidissima haec (v. 102):

candida Thesei
Purpureis late ridentia litora conchis?

Sed inter imitatores ipsius Ovidi eiusdem rei exemplum tibi promam locum male obscurum neque indignum quem emendemus; legitur enim Eleg. in Maecenatem I v. 59 sqq. de Baccho qui Indos devicerit:

Et tibi securo tunicae fluxere solutae:
  Te puto purpureas tunc habuisse duas!
Sum memor et certe memini sic ducere thyrsos
  Bracchia purpurea candidiora nive.
Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus eqs.
Argentata tuos etiam talaria talos
  Vinxerunt certe, nec puto, Bacche, negas.

Vide colorum duorum in v. 62 alterum purpureum perperam ad nivem tractum. Itaque Oudendorpius *praepura nive* coniecit, Burmannus *vel pura nive*, quo utroque uti nolim. Effictus aperte pentameter ex Ovidiano isto (Amor. III 7, 8): *Brachia Sithonia candidiora nive;* sed reponere *Sithonia* non audebis, neque aut *Paeonia* aut similia iuvabunt. Viam emendandi Buechelerus ostendit coniungens *ducere thyrsos brachia pampineos*; neque enim nivem decorari adiectivo necesse fuit ut apud Ovidium est: *nive candidioribus equis* Met. VIII, 373. Iam vero attendendum est stare posse ne *thyrsos* quidem; nam in ista ornatus Bacchici descriptione per gradus certos memorantur v. 59 tunicae solutae, v. 63 thyrsus ornatus, v. 65 argentata talaria — itaque qui thyrso antecedere possunt ipsi thyrsi brachiis ducti? Atque quomodo quaeso deum quamvis omnipotentem thyrsos gerere credas complures, non unum? nimirum prorsus alia res est in Priapeo XX, ubi Liber sane *committit proelia thyrsis* quia aperte comites simul cogitantur thyrsigeri, quod tamen nostro loco fieri nequit. Neque denique thyrsum ducere brachiis magis aptum erat quam manibus. Gerebatur manu una et quidem dextra, cf. Euripidis Bacch. v. 943. Iam inquire totum distichon quid sibi velit; doceberis autecedentibus: non unam, sed duas tunicas habere videbatur Bacchus! mira res et quae scribi non potuerit nisi sequebatur explicatio; adesse explicationem indicatur ipsa particula *sic;* itaque pro certo habeo scriptum fuisse:

Te puto purpureas tunc habuisse duas.
[Sum memor et] certe memini sic ducere syrma
  Brachia purpureum candidiora nive.

Syrma longum et amplum ita brachiis ducitur quasi duplex tunica sit: cogites Sardanapallon. Audiunt scilicet bacchantes *ἑλκεσί-*

πεπλοι (Steph. Byz. s. Ὤδωνες); velut etiam Cornutus adnotavit ad Persi I, 100: „Bassareus a genere vestis quo Liber utebatur demissae ad talos quam Thraces Bassarim vocant“. *Ducere* pro *trahere* eodem modo positum est etiam in v. 78 quem correxi Mus. Rhen. XXXII, p. 396 adn. 3. Coloris autem nota similiter turbata in libris nonnullis deprehenditur v. 124: *Et modo puniceo rore lavante torum:* qui locus situ ipse quoque obsoletus mundandus hunc in modum videatur:

Illius aptus eras croceo recubare cubili
  Mundo poeniceum rore lavante torum;

certe *et* in versum 124 furto inrepsit quia oculi librarii a v. 123 ad versum simillimum 125 aberrantes pentametrum 126 (*Et dare*) legere inceperant. — Quid vero de miris illis in v. 61 *sum memor et* statuam dubito; possunt bacchantis atque lymphati ingenii videri, cf. modo v. 66; potest latere aliquid. Tunicarum scis ornatum ad talos demissum muliebrem clare speciem habere; *γυναικομόρφον* deum incedere antiqui fatebantur; templum apud Macedones dicatum erat *Διονύσῳ ψευδάνορι* quod qui factum sit fabula explanat Polyaenus IV, 18, 1; aptius claudicans hic iambus ex Priapeis adscribatur: *Trahit figuram virginis tener Bacchus* (36, 4) ubi verbo trahendi ipsane vestis ostenditur? Hac via conicies: Semimari *certe memini sic ducere syrma Brachia purpureum*; nam *tibi* commode supplebitur ex antecedentibus. Tamen his non tam speciem quam ipsum sexum notari video aspernandaque nimis lecta dicentur. Ceterum ad ornatum Bacchi conferatur Athenaeus p. 198 C.

Iam hac in elegia tam diu detentis obvius est alter quoque locus eadem arte insignitus neque obscuritatis minoris. Ovidius de Hespero dixerat Fast. II, 314:

Hesperus et fusco roscidus ibat equo.

Ille autem ubi iuvenescere Maecenatem mortuum optat et adsumpsit haec et exornavit cum ita fere scriberet (non solum emendandus locus erat, sed etiam in tanto boni sensus defectu explenda lacuna) v. 129 sqq.:

Quaesivi Stygiis tua lumina pressa tenebris:
  O necopinanti floribus apte redi.
Quaesivere chori iuvenum sic Hesperon illum
  Quum nexum medio solvit in igne Venus,
Quem mane infuscis placida sub nocte nitentem
  Luciferum contra currere cernis equis.

Maecenas nocte Stygia pressus iuvenis specie ita reversurus videtur, velut media nocte pueri si forte ex venereo puellarum nexu excitantur desiderant iam Hesperum illum qui tamen mane idem lucifer revertitur. Quod sane pulchre excogitavit poeta. Ceterum statuenda in hoc carmine lacuna nulla est et sic sententiarum ordo restituendus: Laudatur Maecenas v. 1 — 20. Defenditur contra lividum inde a v. 21 usque ad v. 106 quo loco Ribbeckius perspexit de accusatore isto exclamari: *Non est temerarius ille?* additurque: *Vicimus Augusto* si duce *dignus erat* (cf. v. 46). Cohaerent autem sensus ita: v. 21 — 30, 39 — 48, 31 — 38, 53 sq. 55 sq. 49 sq.; deinde exemplis Apollinis v. 51 sq. et Bacchi v. 57 — 69 et Herculis 69 — 86 et Iovis ipsius 87 — 92 sententia summa (v. 93—102) firmatur victorem decere somnia, cui ipsa conclusio totius disputationis tandem v. 103—106 subnexa est. Atque tum demum ad ipsam mortem revolvitur sermo.

II.

Itaque de Halieuticis „accuratam inquisitionem“ qualem in p. 1 Zingerle cogitat praestitit nemo. Nihilo minus sententia scripta legitur „in sermone eorum omnino nihil inesse ab Ovidio alienum etiam si minutissima quaeras“ (ibidem p. 29). Cento Ovidianus componatur: etiam de eo eadem valebit sententia! Opus omnino erat interpretatione. Qua nos duce invenisse videmur et quae non potuerit scribere Naso et quae eo indigna dicamus et quae aliquam certe dubitationem inicere debeant. Tamen haec antea adponere non par erit quam verba fecerimus de vv. 49—81. Nam inter sollertiarum piscium enumerationem et inter enumerationem nominum aquatilium inseritur hic locus quo terrestria animalia tractentur. Placeat hoc mirum dicere. Nam quid terrestria in marino carmine? Non omnia possumus omnes; itaque accidit ut revera istos versus Merkelius crederet „plane aliunde petitos; nisi poeta revera de piscibus et feris opus condidit ut librarii inscripserunt“. Sequi Merkelium tutum videbatur. Itaque ab hoc docemur sane spurium locum esse, ab illo, ut ne aliunde quidem petita Ovidio demantur, tenere nos fragmenta eius potius duo, alterum halieuticon, cynegeticon alterum, quorum voluminum incohatorum male compositam hodie cernamus congeriem. Phantasia non homo. At fragmentum cynegeticon casu malo ita incipit ut terrestria expresse cetera animalia dicantur. Itaque ex voce *cetera* colligendum erit

antecessisse in cynegetico libro excursum aut de piscibus aut de avibus — cum tamen excurrere poetae concedendum non sit. Concedatur excursus. Et nolumus quidem iam hic memoriam inicere Plutarchei libri de sollertia animalium conscripti de cuius simili statu sermocinandum infra est. Sed dispositionem ipsam modo reputa. Fragmentum esse consentaneum est, consentaneum item quoniam verum titulum Plinius testatur, piscandi artem eo scribi coeptam esse. Sed haec ne attingitur quidem in fragmento, secuturam eam fuisse indicatur v. 83 sqq. Itaque unum saltem librum vel hexametros fere 800 molitus esse poeta dicendus est. In quibus cur non per 30 versus augere piscium laudes terrestrium vituperationibus licuerit frustra quaeras. Certe Oppianus in Hal. l. V exordio (v. 12 sqq.) per versus 29 transit ad leonem ursum elephantem ut grandiora ferocioraque terrestribus aquatilia esse exponat; idem in l. I v. 12—27 montanam curat venationem apros ursos canumque auxilium; contra qui scripsisse fertur cynegetica v. 49 sqq. aeriae potius et marinae venationi triginta metra concessit. Sed in aqua ne scribam, addo unde cognoscas quam neglegenter legi latinum fragmentum adhuc solitum sit. Etenim posteriore parte excursus tam arte cum sequentibus coaluit, ut evellere eum barbarae violentiae esset. Legitur v. 83 sqq.

Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam vastique maris temptare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere finem.

Itaque quid sit cogites illud *inter utrumque* quo ducere nos poeta vult. An aquam inter et caelum? Sed ad aves non scribit. Desperabis ex carmine sicut traditur paratum responsum dare, quoniam praeter mare nihil commemoratum erat, neque eo nimirum praeparantur insequentia ubi insuper non bipartita res est sed tripartita: num aspera saxis, num mons, num vada herbis viridantia. Sed enim praeclare *inter utrumque* opponitur altis vel mediis pelagi sedibus (v. 83); itaque idem est atque prope litus, hoc est ni fallor inter mare et terram. Feliciter. Amant enim sane piscatores etiam nostri altum evitare aut cymbam ducentes *χῶρον ἐς εὐρύαλόν τε καὶ εὔδια πορφύροντα* aut *πέτρῃσιν ἐφήμενοι ἀγχιάλοισι*; nam pisces *ἐπιγείους* meliores esse iam Aristoteles olim fuse explicaverat. Iam vero terrae mentio ante *inter utrumque* adeo desideratur ut excidisse eam appereat, et quidem post v. 81. Quaeramus hinc ipse versus 82 quidnam significet:

Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.

Sonare grande videtur. Sensus aut nullus aut ridicule mancus. Modo canes laudavit; nunc artem vocat, quamnam, si placet? Num omnem qualemcunque? an poeticam? Utrumque insanum. Praebetur lux voce *nec tamen* in v. 83: non vult pellere lectorem poeta in ipsum medium pelagus, quamquam positus labor suus sit in arte — necessario supplebis pelagia, hoc est piscatoria. Itaque in hexametro amisso et hoc legebatur et mentio terrae; exprimi autem eo nihil poterat nisi transitus a terrestri venatione ad piscandi artem factus. Quod adeo planum est ut raro tam certo amissa complere licuerit. Scriptum fere fuit:

Ast aliis terram cedamus. Namque marina
Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam vastique maris temptare profundum.
Inter utrumque loci medius moderabere finem.

Medius pro *melius* in v. 85 dubitanter posui; valere hoc loco videbatur Ovidiana memoria (Met. II, 140 et 137): *Inter utrumque tene; medio tutissimus ibis* (cf. A. A. II, 63., Met. VIII, 206. I, 50. Rem. 810). De *loci finem* infra dicam. Ad *artem* illam *marinam* conferre libeat *aequoris artes* Ov. Met. VIII, 857.

Hac sublata difficultate quae vel criminanda vel notanda viderim ea ostendam brevitate quae rei convenit. Ipsum exordium adeas in quo multa crimina quae non essent Ovidi senserant Mureti. Nam num quid interierit ante versum quem nos legimus primum hoc loco quaerere non refert, quoniam integra prostat sententia haec:

Accepit mundus legem, dedit arma per omnes
Admonuitque sui.

Atque non insolitum hoc placitum esse omnia animalia per legem naturae suae saluti incumbere in posteriore parte huius libri disputabitur. Neque id hic absolvi potest quo iure mundus aperte positus pro rerum natura accepisse potius aliquid possit quam aut habere aut dare. Certe non lex, sed idem mundus est qui arma dederit, habilioremque ita rem conformabis: accepit mundus legem ut arma daret. Culpandum autem est *dedit arma per omnes* quocum Zingerle p. 28 Burmanno duce conferre iussit Ovidi Met. X, 546 *Neve feras quibus arma dedit natura lacesse;* optime; vides enim in Hal. quoque scribendum fuisse Ovidio *dedit omnibus arma,* vel *dare* miro modo pro *distribuere* habitum esse.

Itaque Heinsius ipse verum sensit cum scriberet ad locum „nescio an satis latine“. Tamen corruptum non esse locum concludas sis vel ex infelicissima ingeniosissimi viri mutatione: *dedit arma, fere omnes Admonuitque sui.* Neque enim in re ulla offensa. Sunt sane omnes quibus arma dentur, alteris dentes cornua, alteris fuga (v. 4 et 6) vel astutia; et quidem idem expressurus poeta erat in v. 52 corrupto, ubi postquam timida ferociaque distinxit animalia (quae distinctio in sequentibus quoque observatur: altera pars vv. 53—62 obtinet, altera vv. 63—74), haec sententia inmittitur:

Ipsa sequi natura monet vel comminus ire.

Nisi sollemni stultitia stultiorem hic scriptorem fuisse credas, legere e contrario debebamus: ipsa aufugere natura monet. Itaque *quati* pro *sequi* posuerunt; quod in Ovidio ego non tolerarem; sed etiam nunc non tolero — quati iubeat fortasse natura, quati monere non potest. Quoniam vero si vox *ipsa* deesset nihil deesset, et hanc potius falsam esse arbitror et subesse quo aptissime aufugiendi notio exprimatur *tuta sequi* vel potius aliquid consimile. Neque enim sine specie conaberis:

Septa sequi natura monet vel comminus ire,

modo ne saepta loca pro stabulis accipere velis sed pro refugio quovis, natura quod aditu careat.

Iam *dare per omnes* non magis puditum quam impotentis esto. Peius etiam pergitur. Nam si quis quem sui neglegentiorem sui admonet, hoc quidem nemo non intelleget. At vero ubi mundus arma per omnes dat et sui admonet, severe agenti id ita intellegi oporteret ipsa arma admonita esse aut sui aut mundi; statim praeferetur absolute dictum putare: mundus sui admonuit — cuiusnam igitur? mundi. Denique violentia summa agnoscetur qua reflexivum pronomen iubemur non ad subiectum sed ad obiectum sententiae trahere, quum tamen non adsit obiectum. Etiam hac igitur videlicet eadem observatione permotus Heinsius desperata illa periclitatus coniectura est. Nos vel incuriam vel inopiam scriptoris perspicere coepimus. Sonum fortasse captabat Ovidianorum locorum ex Ponto III 5, 38. Trist. V 3, 51. I 7, 26.

Sequitur in v. 2: *vitulus sic namque minatur.* Neque enim aliud quidquam ex lectione Vindobonensis libri extricabitur: *sic manuq; minatur,* cum Parisinus habeat: *quę manu que-*

miratur. Itaque quae ad firmandum iudicium adportantur exempla non simplici sed duplici adnecti vides particula et *sic* et *namque.* Prave. Neque ideo hunc versum aut Ovidius scripsit quippe qui alterutra uti semper satis haberet aut alius quisquam frugi poeta. Hoc vitium Ovidianis lectionibus tueri debebat Zingerle qui p. 29 in eo est ut non semper *namque* primo sententiae loco stare comprobet.

Atque iam haec vide de vitulo:

Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte.

Diu cogitavi num forte corruptus locus esset: sed donec nulla praesto medela est, criminandus iterum scriptor qui „vix latine" versum conformaverit. Scis *iam* si cum negationis adverbio componitur velut apud Nasonem e. g. Met. IV, 382 et 243, idem esse atque *non amplius* atque contrarium voci *nondum.* At hic, quod vix credas, et *iam* adest et *nondum*, quorum alterum alteri apparet mirifice oppugnare; memor modo sis versus Vergiliani Georg. II, 322: *cum rapidus Sol* Nondum *hiemen contingit equis,* iam *praeterit aestas.* Neque solent coniungi nisi fere *iam diu*, *iam pridem*, *iam dudum*, *iam denique*, *iam tandem, iam fere* (cf. Handi Turs. t. III; Forbigerum ad Vergil. A. II, 70; Draegeri Syntaxis I p. 115). Vides ad tam futtilem scripturam hominem adductum non fuisse nisi dira necessitate cum semipedem octavum bene explere desperaret, voluitque accipi *iam* eo sensu ut est apud Cornelium Nepotem, modo recte traditus locus sit (18, 12): *non iam de eo sumptum esse supplicium*, ubi aut *nondum* intellege aut emendatius lege: *non iam* diu *de eo sumptum esse supplicium;* perbene enim iam pergitur: *a quo* tot annos *essent male habiti*, scriptumque antea est cap. 11 diutius Eumenem fuisse in vinculis quippe iam tertium diem. Apud Manilium II v. 767 pro *etiam* corrupto *necdum* (neque vero *nec iam*) scribendum esse diximus in Mus. Rhen. XXXII p. 417 adn. 2; in Paneg. Pison. v. 240 rectius *nec tum* restituendum erat. Prorsus alia res autem e. g. in heroicis versibus est a Petronio capiti 135 inmissis ubi verba *nec iam calcato radiabat marmore terra* interpretanda nimirum ita sunt: neque terra marmore radiabat sicut radiare hodie marmore solet iam calcato vel calcibus hominum iam detrito. Quem apte conferrem locum unicum vidi Varronis de re rust. II, 2, 2: (oves cognoscuntur) *ab aetate, si neque vetulae sunt neque merae agnae, quod alterae iam nondum, alterae iam non possunt dare fructum.* De qua tamen lectione iure tuo dubitabis (cf. Schneideri script.

r. r. III p. 285), praesertim cum de antiquissimorum librorum scriptura parum adhuc constet; facillime enim prius *iam* ex posteriore nasci poterat. Keilius in libello „Observationes criticae in Catonis et Varronis de re rustica libros" inscripto hunc non attigit locum. Denique comici poetae coniungebant *nondum etiam:* vide Hand. Turs. IV p. 307 et cf. Catulli LXIV v. 55, Vergili Aen. VIII 697.

Itaque hoc rusticum vocanti ego non obero. Rhetorices autem artis qua poesis nititur Romana vel primordiorum expertem scriptorem video. Solent poetae, ubi universalis alicuius sententiae exempla adferuntur compluria, adplicare per anaphoram particulam *sic*, sed ita ut numquam inserant copulam ullam quales sunt *et que* similia, non nunquam vero ut primorem suum sententiae locum particula amittat. Inspicias Ovidiana haec: Met. XV 855 sqq: *Sic magni cedit titulis Agamemnonis Atreus*; *Aegea sic Theseus*, *sic Pelea vicit Achilles, Denique . . . . Sic et Saturnus minor est Jove;* ex Ponto IV 8, 57: *sic Chaos . . . sic Gigantes . . . sic Liber . . . Alcides . . .*; ibid. I 5, 70: *sic merui, magni sic voluere dei;* ita in Met. XV, *sic* ponitur et in v. 416 et 420 et 422. Vide etiam Fast. II, 771 sqq.; Met. XII 401; Rem. 303; item apud Vergilium Ecl. 1, 23 sq. et 9, 30 sq.; Aeneidis IX, 30 sq. et V, 218 sq.; apud Lucretium e. g. V, v. 1414; Manilius qui audit in l. IV, v. 924 sqq. per versus septem ter *sic* posuit semel ut in locum sententiae alterum redigeretur. Alia res, ubi optanti particula inserviat; veluti Lygdamus scripsit c. 6 v. 1 sq.:

Candide Liber, ades. Sic sit tibi mystica vitis
Semper. Sic hedera tempora vincta geras;

frustra enim hic editores parenthesin insolitam statuere cum pergendum dissolute esset:

Aufer et ipse meum patera medicare dolorem.

Cf. e. g. Ovidi Trist. IV, 5, 25 sqq.; V, 3, 37 sqq.; ex Ponto III, 3, 59 sq.; II, 8, 39 sq. et 45 sqq.; IV 13, 45 sqq. Tamen valet nimirum etiam hac in re lex similis; quamquam semel apud Nasonem est ex Ponto II, 6, 15 sqq: *sic mater et uxor*, *Sic tibi sint fratres totaque salva domus; Quod*que *soles animo semper, quod voce precari*, *Omnia Caesaribus* sic *tua facta probes.* Hoc autem suam habebit excusationem: nam huiusmodi sententiarum infringitur vis, nisi vocula *sic* prope ad ipsum optandi verbum (*probes*) collocatur; iure igitur talia scribere displicebat: Sic

quod amas animo semper, quod voce precari, Omnia Caesaribus iam tua facta probes; interponere vero relativam omnino non licebat sententiam spreta coniunctione copulativa. Iam vero veteranusne revera poeta an potius tirunculus fuit qui prooemio inserere ista auderet suo:

Vitulus sic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte,
Sic damae fugiunt, pugnant virtute leones
Et morsu canis et caudae sic scorpius ictu
Concussisque levis pennis sic evolat alis.

Itaque iste non plus semel perfecit ut primorem suum locum obtineret particula; in ultimo versu in quartum redacta est addita copula *que*, anteriore loco in nonum, quod vix credas; nam talem anaphoram cogitabat: Sic damae fugiunt, sic pugnant et virtute leones et morsu canis et caudae ictu scorpius!

Non obmutescebat tamen et iterum simile peccavit. Legimus enim v. 77 sq.:

Quae nunc elatis rimantur naribus auram
Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro
Et produnt eqs.

Mira infantia hominis *nunc* non sine copula *et* iterantis. Boni nimirum id non faciebant poetae neque Ovidius; adscribantur haec: *Nunc violentus aper*, *nunc quem tetigisse timerent Anguis eras*, *modo te* eqs. Met. 8, 724. *Nunc leo nunc arbor, nunc erit hirtus aper* Art. I, 762. *Et nunc sublimis . . . despicere in valles imumque Acheronta videtur*, *Nunc, ubi* eqs. Met. XI, 503 sqq. *Nunc pinna veras*, *nunc datis ore notas* Fast. I, 448. *Nunc tibi rivalis, nunc durum limen amanti, Nunc subeant mediis inrita verba deis* Remed. 677. *Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum* Met. VIII 165. *Et nunc hac iuveni, nunc circumfunditur illac* Met. IV, 360. Ita nimirum Vergilius quoque: *Et nunc Pristis habet; nunc victam praeterit ingens Centaurus*, *nunc una ambae* eqs. Aen. V, 156 sq., cf. VIII, 442; IV, 360; I, 220. Lex necessario eadem ubi *modo* et *nunc* voculae miscentur, velut Met. XIII, 922: *modo ducebam — nunc moderabar;* Fast. IV, 643: *nam modo siccus erat . . . nunc ager luxuriabat aqua;* Trist. I, 2, 27: *Nam modo . . . vires capit eurus . . .*, *nunc zephyrus . . . adest, nunc . . . boreas bacchatur ab Arcto, nunc notus* eqs. cf. etiam Met. VIII, 290 sq. et 506 sqq.; X, 187 sq.; XI,

64 sq. 503 sq. similia plura. Iam de Halieuticis ad frivolam iterum descendamus explicationem ut de complendo metro desperasse poetam putemus qui praesertim ipsa verba aliunde transcripserit. Ceterum observare hoc licet: neque enim si sententiae diversae repetita una voce *modo* inter se opponebantur, usu veniebat, ut copula interici posset. Necesse simul tamen fuit semper fere primum sententiae locum ipsa vox *modo* tueretur. Sed nimis ingratum hoc fuit poetis nostris quippe dactylos incipere pyrrhichio! Quo factum est ut in talibus locis nova inita via interdum amplior apud elegiacos spectaretur anaphora, qualis est: *Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus, Te modo munito Noricus hostis equo* Properti V, 3, 7 sq.; vel: *Et modo solvebam nostra de fronte corollas Et modo gaudebam* Prop. I, 3, 21 sq.; atque *Et modo tam celeres mireris currere lintres Et modo tam tardas funibus ire rates* Prop. I, 14, 3 sq.; neque aliter Ovidius Art. I, 493 sq.: *Et modo praecedas facito, modo terga sequaris, Et modo festines et modo lentus eas*; et idem Met. XIV, 703 sqq.: *Et modo nutrici miserum confessus amorem .... Et modo de multis blanditus cuique ministris.* Tamen in his magis iam vis particulae *et* apparet copulativa. Provectus usus ad talia est: *Quae modo .... proposito florem praetulit officio, Et modo .... Errorem blandis tardat imaginibus* Prop. I, 20, 39 sq.; itemque: *capitis modo finge dolorem Et modo quae causas praebeat Isis erit* Ovid. Am. I, 8, 73 sq., atque: *modo namque Patulcius idem Et modo sacrifico Clusius ore vocor* Fast. I, 129 sq. Minus huc pertinet Prop. I, 3, 41 sqq. Denique in elegiaca arte diversa fuisse *nunc* et *modo* non sentire non poteris quam singulariter diversitatem Propertianorum locorum illustrat unus (I, 3, 21) ubi coniunguntur: *Et modo solvebam, Et modo gaudebam*, deinde vero sine copula: *Nunc ... dabam.*

Quoniam vero in partem hanc fragmenti delatus sermo est, statim notandum hoc videtur quo iterum miris angustiis laborantem versificatorem cernas. Scripsit enim v. 68 sqq. de equis:

Seu septem spatiis circo meruere coronam,
Nonne vides victor quanto sublimius eqs.?
Celsave cum caeso decorantur terga leone,
Quam tumidus quantoque venit spectabilis actu!

Id nolo premere parum venuste quippe inconcinne primariarum sententiarum alteram interrogantis esse, alteram exclamantis. Ad

coniunctiones attende. Priori *seu* quod respondeat non adest nisi *vel cum*. Sed tam laxam orationem parumque adstrictam neque apud ceteros huius temporis poetas videre ego memini neque vero admisit Naso scilicet ut primariarum sententiarum diversarum unicuique distribute praefigeretur secundaria condicionalisque sententia aliter atque coniunctionum *sive-sive* responsione accurate observata. Scriptum est in Arte Am. II, 203 sqq.: Seu *ludet numerosque manu iactabit eburnos, Tu male iactato . . .;* Seu *iacies talos . . . ., stent tibi saepe canes;* Sive *latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac pereat miles*. Art. I, 61: Seu *caperis . . . ., ante oculos veniet vera puella tuos*; Sive *cupis iuvenem, iuvenes tibi mille placebunt . . . .*, Seu *te forte iuvat . . . ., hoc quoque* eqs. Art. II, 297: Sive *erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus*; Sive *erit in Cois, Coa decere puta*. Met. XI, 121: sive *ille . . . contigerat, Cerealia dona rigebant;* sive *dapes . . . parabat, lammina fulva dapes admoto dente premebat*. Remed. 165: Sive *operam bellis vellet dare, nulla gerebat;* Sive *foro, vacuum litibus Argos erat*. Met. XIV, 20: Sive *aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro;* sive *expugnacior herba est, Utere* eqs. Trist. I, 2. 87 sq.: seu *me diligitis, tantos compescite fluctus* . . . Seu *magis odistis, iussae* eqs. cf. Art. I, 487; Trist. I, 9, 43; V, 7, 43 sqq.; ex Ponto IV, 8, 17 sqq. Vergilius semel tantum hunc in modum orationem divisit: Aen. XI, v. 443 sq. Similis locus apud Tibullum IV, 2, 9 sqq. neque non in Panegyrico in Messalam v. 45 sq. quo poeta nemo certe magis orationem bipartitam atque tetricum illud *sive-sive* affectavit. Exemplorum autem quasi exemplum Propertius habet in libri secundi exordio (v. 5 sqq.) qui non minus sexiens indicato more distrinxerit sententiam semper ut *sive* praemitteretur; transponendi vero membra — id quod Lachmanni iussu invaluit — neque causa adest neque vel venia, quod nunc indicari a me satis sit. Item Ovidius Am. II 7, 7 nescio num *Seu quam laudavi* et *Seu culpo* perrexerit: cf. notam Burmanni.

Iam vero ista, inquis, sufficiant; iam enim adlata habemus cum quae indigna Nasone credantur duo, tum vero quinque inexpectata prorsus crimina atque ita comparata ut si forte eorum quattuor confutentur copiis nescio unde petitis, tamen unum quod restabit ad fidem Ovidianam evertendam satis firmum superque videri debeat. Verum tenes. Tamen magis etiam adminiculare rem nostram placeat; nam est quidem aedificium illud elegantius cuius columellae sint non plures quam quae fulciendo ponderi sufficiant; ubi vero incessura hominum multitudo sit, magis cauti

quam parci structores sunto. Itaque plura crimina subiciam tum eiusdem gravitatis tum leviora; item quae fere novaverit verbis scriptor ostendam; item vocabulorum conspectum latinorum quidem sed non Ovidianorum. Non pauca tamen ibi demum castigabuntur, ubi ad ampliorem interpretationem procedemus inquirentes quodnam exemplum scriptor secutus fuerit. Neque igitur nunc sententia dicatur de v. 32 sq.: *Polypus haeret et hac eludit retia fraude Et sub lege loci sumit mutatque colorem* quem ego locum duplici offensa molestum praeferam emendare; sicuti etiam insanum illud *praesidiumque* in v. 8 emendationem magis postulabit quam obtrectationem.

Cui vero non exprimetur obtrectatio inauditam audienti neglegentiam qua de leone v. 55 sq. scripta haec sunt:

Quoque venit fidens magis et sublatior ardet
Concussitque toros et viribus addidit iram,
Procidit atque suo properat sibi robore letum.

Hoc ne mediocri quidem poetae dabo. Scribi debebat aut *hoc magis procidit* aut saltem *magis procidit.* Ipsum *procidit* enim recte reposuit Burmannus; codices *prodedit.* Ita Ovidius: *Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati Erigimur* Met. XIV, 302; *Quo fortuna magis saevit, magis ipse resistis* ex Ponto II, 3, 51. *Qui quanto est pondere terrae Pondus aquae levius, tanto est onerosior igni* Met. I, 52. *Quantoque animalia cedunt Cuncta deo, tanto minor est* eqs. Met. I, 464. cf. Met. XIII, 365; II, 722. Ita Vergilius Georg. IV, 248: *Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes Incumbent;* et ibidem v. 411: *Sed quanto ille magis . . ., tanto, nate, magis* eqs. et Aen. VII, 787: *Tam magis illa fremens . . . quam magis . . .* eqs. Propertius I, 4, 15: *Quo magis — hoc magis* cf. I, 10, 27 sq.; Lucretiusque V, 621 sq.: *Quanto quaeque magis . . ., Tanto posse minus* eqs.

Violentissima et sane insolenter constituta in v. 46 oratio:

Anthias his tergo quae non videt utitur armis;

et primum quidem pronomen *hic* simul pendens a substantivo *armis* simulque regens relativam sententiam *quae non videt* sicut prosaicae orationis est (memoriam excitat Celsi medicinarum ubi passim capitibus inscribitur: De his quae stomacho idonea sunt; De his quae inflant aut non; De his quae cum vulnere loco moventur), ita tamen ad poetas illud pertinere dubito, nisi quasi digito rem ostendere volentes. Iam vero hoc audi: *arma quae tergo non videt.* Consutum est ex structuris his duabus: *quae*

in tergo sunt ideoque *quae anthias non videt*, quarum in altera *quae* nominativus in altera accusativus est; ita ut *tergo* locativus quasi sit adiectivum admirabiliter ipsi accusativo adhaereat! Legitimum fuisset: arma tergo quae adspici ab anthia nequeunt. Atque licebat versum componere facillima mutatione: Anthias his tergi, quae non videt, utitur armis Vim spinae novitque suae. Sed scriptum id olim revera fuisse improbabiliter statues.

Misceantur gravibus leviora; participium *fidens* bis adest in Halieuticorum centenario ambitu; Ovidius hoc verbum satis raro posuit; infinitivum habes Met. VII, 545 *fidere cursu* (quem totum locum imitator non ignorasse videtur); *ope fidis equina* Met. IX, 125; participium *fidens* semel vidi Met. VIII, 370 *fidensque recentibus armis; fisus* praetulit et Met. XV, 827 et ex Ponto IV, 9, 78; contra Vergilius *fidens* frequenter praeamabatque hoc verbum, nunquam *fisus*. Tamen contra *fidens pedibus* quod est Hal. 63 disputare nolo. Premo locum alterum qui est v. 53 sq.:

Impiger ecce leo venantum sternere pergit
Agmina et adversis infert sua pectora telis
Quoque venit fidens magis et sublatior ardet eqs.

In quibus ponitur *fidens* non adposito vel ablativo vel dativo, id quod non fecit Ovidius, at vero Vergilius Aen. XI, 370; quem locum accurate si legeris:

Aude atque adversum fidens fer pectus in hostem,

non dubitabis Vergilianam hanc imitationem agnoscere. Ceterum *fidens animi* absolute posuit Vergilius Aen. II, 61.

Pergitur autem in Hal. v. 57 de leone verbis supra castigatis:

Procidit atque suo properat sibi robore letum.

Ovidius verbo *properare* transitivam quam dicunt notionem non tribuebat nisi in formis passivi generis, quale est *properatur amor* Am. III, 1, 69; Met. V, 396, item *properatas* dixit res plurimas velut gloriam carmina oscula foedera fila similia, item voluptatem non esse dixit *properandam* Art. II, 717. Sed activis verbi formis numquam transitivam vim addidit, semper intransitivam; cf. Met. III, 657; IV, 317; ex Ponto III, 5, 9 et exempla reliqua innumera fere. Quae quia tam multa sunt, caute is aget qui leonem illum in Halieuticis letum sibi properantem rectene Nasoni adsignarint addubitabit. Vergilius est qui hunc in

modum adstructum accusativum ostenderit; videas Aen. VIII, 454, Georg. IV, 171; atque casu pergrato factum est ut apud eundem in haec incideremus quae sunt Aen. IX, v. 399:

an sese medios moriturus in enses
Inferat et pulchram properet per vulnera mortem.

Inde *properata mors* apud Ovidium Trist. III, 3, 34. Indidem Ovidi imitatorem iterum ni fallor intelleges non neglexisse Vergiliana.

De apro scribitur v. 60 sq.:

Actus aper saetis iram denuntiat hirtis
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri
Pressus et emisso moritur per viscera telo.

Participium *nitens* ter apud Nasonem inveni Met. IV, 361; IX, 50; X 408; quibus locis comparatis nostro loco senties fortasse quasi iners illud legi et fere abundare; similiter Vergilianus potius locus conformatus hic est: *pressit humi nitens* Aen. II, 380. Porro vox *pressus* haerere anceps possis quid sibi velit; potest idem videri atque *oppressus* vel *profligatus*, quod ex Ovidio firmare nequeo sed cf. Vergili Aen. IX, 328 — potest significare 330 lacessitum a persecutoribus; sed tam nudum positum participium a debita abhorret elegantia; aliter habere Heroidum locum IV, 41: *pressisque in retia cervis* facile perspiciet qui modo Vergili contulerit Georg. III, 413: *premes ad retia cervum.* Me duce coniunges cum participio ablativum *telo emisso*, explicatione posthabita altera. Sed ita ambigere in Ovidio non consuevimus. Magis vero et ab illo et a bono sensu alienam esse existumo locutionem: *telum emittere per viscera.* Scribendum satius *demittere* fuit. Semel sane in Transformationibus est XII, 84: *Nil tamen emissi profecit acumine ferri*, sed non addidit ibi poeta quo emittatur ferrum. Hoc enim in natura istorum verborum positum videtur, ut ad demissum telum mentio loci accedat quo illud penetraverit, ad emissum telum aut nihil aut locus potius unde venerit; ita *spicula emissa manu* apud Vergilium est Aen. XI, 676, *emissa hasta* ibidem X, 474; similiter *emissi laqueis semidei* apud Ovidium Fast III, 323; cf. Met. V, 321. Tamen etiam talia nimirum dicere licebat: *emittere infans e domo in auras* Met. XV, 220 et simplicius *aquam vacuas emisit in auras* Met. VI. 398 atque etiam *emittere hastam in auras* quod Vergili est Aen. IX, 52; neque enim in istis locus cogitatur quo res mittatur, sed regio tantummodo et via qua mittatur, sicuti

etiam exire foras, in terram, in provinciam dicitur; at emitti per viscera telum non magis aptum duco quam si quis alicunde in vel per aliquam domum dicatur exire. Hinc igitur factum ut semper scribere mallet Naso *demittere ferrum in ilia* Met. IV, 119; item XII 436; *ensem in armos* XII. 486; *ferrum iugulo* Heroid. XIV, 5; similiter census in viscera demittitur Met. VIII, 837, quocum cf. Ibidis v. 385. Vergilius vero hanc locutionem ignorabat. Omisi Ovidianum exemplum unum quod est Met. XIII, 694 soletque legi his temporibus:

Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non femineum iugulo dare vulnus aperto,
Illam demisso per fortia pectora telo,
Pro populo cecidisse suo pulchrisque per urbem
Funeribus ferri celebrique in parte cremari.

Mire haec dicta. Librarii puto aliquid olim peccaverunt. Scilicet bimembris sententia est sed altera claudicante parte Vulcani instar quem tamen deorum risum non effugisse ferunt. Interpungunt curiose ita ut *cecidisse* ad *Orione natas* trahere debeamus. Itaque Alcon in cratere duas Orionis filias cecidisse facit, alteram demisso per pectora telo — optime; alteram iugulo dare vulnus — quid? cecidisse dare? ecce claudicatio; *dantem vulnus* aequabilitas postulabat. Itaque id magis fortasse placebit puellarum alteram iugulo vulnus dare, alteram telo demisso pro populo suo cecidisse? Quamquam quod populum una tantum curabat, non bene fuit. Sed plura sunt quae miremur. De Menippa Metiochaque res est. Non idem cogitant, telum altera arripit, altera quo pacto iugulo non femineum vulnus det silentio inerti premitur; at qui rarissimam hanc fabulam praeter Nasonem servavit Antoninus Liberalis cap. 25 non diversa morte, sed radio pariter utramque pro populo suo cecidisse dicit: *ἐπάταξαν ἑαυτὰς τῇ κερκίδι παρὰ τὴν κλεῖδα καὶ ἀνέῤῥηξαν τὴν σφαγήν.* Itaque Nicandreo hic exemplo poetam latinum usum esse crederene vetabimur? Iam tempus est animum ut advertas omnia quae contra Antoninum Liberalem pugnantia exhibet Naso non deberi nisi interpolatoribus sincereque antiquitus haec potius tradi:

Ecce facit mediis natas Orione Thebis
Agmen femineum iugulo dare vulnus aperto
Illas dimisso per inertia volnera telo
Pro populo cecidisse suo pulchrisque per urbem
Funeribus ferri eqs.

Itaque inter duas puellas omnino non distinguitur; *femineum* vulnus vocatur eoque cogitari praeclare indicatur non gladium sed instrumentum aliquod ad mulieres pertinens; pecten est vel radius in quo graecae narratiunculae cardo vertatur; hic sub dimisso telo ut lateat efflagitamus. Itaque haec nescio num placeat vel similia temptare:

Ecce facit mediis natas Orione Thebis
Alcon femineum iugulo dare vulnus aperto
Olim ac demisso per inertia vellera telo
Pro populo cecidisse suo eqs.

Vellera pro lana dicuntur velut Met. XIV, 264, Tibulli IV, 2, 16; cogites etiam nubeculas quae vellera lanae audiunt; neque Propertianus mihi non commemorandus locus esto V, 3, 34, cuius lectionem emendatiorem adscribam hic, alibi explicabo:

Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
 Et Tyria in galbeos vellera secta suo.

Atque haec vellera inertia videntur Nasoni antea quam per ea ipsum pectinis telum demittatur. De usu κερκίδος consule Scheideri indicem ad scriptores rer. rust. p. 370 sq. Solet quidem scribi *demittere in*; sed enim ad monstrandum radium huc illuc per lanam euntem *per* vocula unice apta fuit. Atque eadem vocula in Halieuticorum loco a quo profectus sermo est largiendum fortasse erit scriptorem aliquantulum leniisse molestiam et compensasse. Ceterum de morte filiarum Orionis si Hauptio persuadere aliquatenus potuissem, minus fortasse punxisset eum particulae *atque* ab initio enuntiati remotae exemplum unum quod in expolitissimo prostat carmine Art. Am. III, 282, ubi paene suspicari *aque* non debebat vir clarissimus (Observ. crit. pag. 52).

In Halieuticorum v. 66 adverbium *hic* miro modo positum est ut quid significaret rixari altercarique possent interpretes. Relaberis vero ni fallor eo ut in his vel inter hos interpreteris. Quod alienum videlicet ab Ovidio est. Fortasse *hinc* potius scribere ausus poeta est. Deinde suspicor voluisse dicere scriptorem: *generosior honos et gloria maior equorum* — quibus tamen illiberaliter versus repugnabat! Quod autem insequitur *animis palmam capere* aio quidem male habere, quippe cum animis nemo facile coronam prehenderit — Arionis modo reminiscere capientis coronam Fast. II, v. 105 —, sed subveniam poetae commoda mutatione:

Nam cupiunt animis palmam gaudentque triumpho.

In versu 68 nimis ineleganter loci indicem duplicem accipimus: *septem spatiis* neque non *circo*. *Circo* abiecisset et Ovidius et verus quisque poeta. Quam trita enim in urbe circensibus celeberrima spatia septem fuerint satis illustrabitur uno Grati loco, ubi equum laudat indefessum etiam si centum spatiis agatur (erant nimirum qui hic quoque *septem spatiis* legi iuberent): atque quae temporum iniuria non integra tenemus certa coniectura redintegrare iuvabit; sunt autem Grati versus 515 sqq.; primum enim, ut mirum illud *murcibiis* tollatur, de equis Hispanis haec lege:

Non tamen Hispano Martem temptare maligno
Ausim. Muricibus vix ora, tenacia freni,
Concedunt.

Concedere pariter atque *cedere* pro intransitivo habendum; muricibus asperatur frenum; conferre placeat Stati Ach. I, v. 221. Contra Numidarum equus ἀχαλίνωτος regebatur, vide Nemesiani v. 264, Crameri An. Oxon. IV p. 257; quare infrenus Afer apud Vergilium audit Aen. IV, 41; cf. Livi 21, 44, Sili IV, 313; sed „ignarum habenis virga regit" Claudian. Bell. Gild. 437; Nemesian. 267. Itaque non poterat non ita pergere Gratius:

At tota levi Nasamonia virga
Fingit equos. Ipsis Numidae solvere capistris
Audax et patiens operum genus.

Confer Ovidi Art. Am. I, 41: *loris potes ire solutis.* Deinde quia numerus singularis (actus eluctabitur), insequitur, novum in v. 519 adfuerat subiectum; ita fere:

Hic equus acer
Centum actus spatiis, atque eluctabitur iram.

Mitto ursum ab antris Lucanis provolutum, Hal. v. 58, neque nimis premo quod v. 50 animalia timida et fugitiva dicuntur *lymphata*; semel tantum apud Nasonem hoc verbum est Met. XI, v. 3 aptissimeque de hominibus usurpatur bacchico furore captis. Pavor summus fuit qui lymphaticus diceretur (Liv. X, 28) estque attonitorum vel furientium (Liv. VII, 17; Senec. Ep. II, 1, 9); neque tamen Curtius VI, 6, 16 scribere ausus est *discurrunt lymphati*, sed *similes lymphatis*, neque Livius loco prius citato lymphaticum pavorem, sed velut lymphaticum dixit; apud poetas de amentibus est Verg. Aen. VII, 377; Lucan. I, 496; Sil. I, 459; Stat. Theb. X, 557 ubi pavor simul cogitatur haud

aliter atque in Horati carm. I, 37 v. 14, ubi certe non *veros timores* scripsisset poeta nisi *lymphatam mentem* praeiret. Iam vero amentiam hanc atque perniciosissimum quem praedicat Seneca animi statum semper adesse animalibus qui dicit iis quibus simul datum dicit a natura sentire perniciem ac defendere, vereor ne tumido ore et quasi ipse lymphatus dixisse videatur. Ita quaenam vere rabiant bestiae a Silio poeta docearis cui lymphati boves illi Hannibalis audiunt quorum in cornibus virgulta flagrantia fixa erant: VII, v. 357.

In v. 51 legimus *non sana ferocia mentis*; haereas velim; haesi ego certe miratus quod non potius *insana* legitur et putidam scripturam cernere ratus. Credo enim id quod firmiter dicere parum adhuc adparatus sum necessitatem et elegantiae studium hac in re ita conciliasse poetas, ut pro *insano* similibus *non sanum* similia non ponerent nisi aut vocali aut syllaba brevi antecedente. Ita est Art. Am. II, 508: *Nec sua non sanus scripta poeta legat.* Met. VIII, 865: *avido non iusta alimenta parenti.* Met. III, 175: *Per nemus ignotum non certis passibus errans.* Fast. I, 506: *Pinea non sano ter pede texta ferit.* Ibis 322: *Vulnere non fidos experiare tuo.* Fast. III, 139: *Dixerat et plenam non firmis viribus urnam Sustulit*; cf. etiam Fast. I, 147: *gratesque deo non territus egi* et ex Ponto I, 5, 41: *studium non utile servo*, cum tamen versu Met. XV, 103 uti non liceat quippe cui *inutilis* parum aptum fuisset. Neque apud Nasonem vidi quid contra faceret; sed libet etiam Horatianum illud memorare: *O ego non felix* Epod. XII, 25, ubi tamen quae similia Bentleius adscripsit inferioribus scriptoribus debentur; sicuti comparare etiam possim e. g. Lucani versum V, 58: *En tibi non fidae gentis dignissime regno* atque ex Leandri epistula versum 190: *aut me In freta non cautus tum quoque mittet amor.* Suspicor igitur Halieuticorum scriptorem nesciisse elegantiam non necessariam nonnunquam non esse elegantiam.

In eadem Leandri epistula ita terminatur hexameter v. 57: *deposito pariter cum veste timore.* Similiter Hal. v. 65: *Et capto fugiens cervus sine fine timore.* Ovidius cum scriberet Met. VI, 266: *non alte percusso corde sagitta* certe sonum minus turpem reddidit ablativi bis positi.

Procedamus ad finem excursus versumque 80. Canis venatori prodit feram ostenditque: *quem si conlatis effugit armis, Insequitur canis* eqs. Inhabilius dicta haec quoque. Pugnam qui ineant arma inter se conferre dicuntur apud Livium XXI, 1 init.,

arma conferre apud Nepotem in Eumene XI, 5; unde etiam simpliciter *in collatu* auctor ille belli Hispaniensis cp. 31; pectora pectoribus conferunt luctantes apud Nasonem Met. VI, 242; idem pulcherrime *collato Marte* Met. XII, 379. Iam ubi humana plura animalibus tribuuntur, etiam arma conferat bestia cum homine. Sed quaenam hae bestiae, quae proelium ineant, inito proelio hominem effugiant, deinde aufugiant ut insequantur canes? Aprumne unicum cogites? cf. Bentleium ad Horati C. III 12, 10; tamen aliter de eo Vergilius Aen. X 708. Neque perdamus acumina nostra explicando hebes hoc ingenium quid quaque inscitia voluerit. Accepta autem illa interpretatione cur *quem* Ulitio duce corrigamus causa nulla erit.

Ad vv. 85—91 accedens indignis eos obrutos difficultatibus videbis sine dubio quae solito more castigari velis; nobis castigandi magis editores videntur; neque iam ita multum interest plusne an minus vitiosi ex falso isto Ovidio conferatur. Prope litus manendum piscatori est; ibi locum sibi aptum eligat aut saxosum aut umbrosum aut denique herbosum. Haec locorum divisio inducitur apud Merkelium nimis eum indulgentem arbitriis:

Inter utrumque loci melius moderabere linum.

Quae lectio ne ego quidem animo ne succresceret vitavi comparato Nasonis versu Met. XIII, 923: *Nunc in mole sedens moderabar harundine linum* quocum conferendus *moderator harundinis* Met. VIII, 847. Tamen ea uti nolo antea quam demonstratum est coniungi potuisse *inter utrumque loci*, ubi expecto: inter utrumque vel locum vel locorum. Exemplis maxime illis Ovidianis quae p. 12 aggessimus vetamur ne non absolute *inter utrumque* positum fuisse sumamus. Itaque quoniam ne de *loci* quidem lectione serio dubitari potest, agnoscenda propria huius scriptoris audacia est qui scilicet finem loci moderari iubeat, hoc est „vario modo locum definire". Vides igitur etiam hoc esse in quo aliquatenus Ovidi lector possit haerere. Sequitur:

Aspera num saxis loca sint eqs.;

atque nescio num iam persuaseris tibi tam vix latine istum scripsisse ut triplicem sententiam optioni daret particula ter posita non *sive*, sed *num*; tum ad *moderabere* animo supplendum erit *inquirens*. Sed excidisse aliquid post v. 85 coniecit Hauptius, atque ad eam firmandam coniecturam hoc facit, quod in v. 89 scribitur: *nam varie quidam fugiuntque petuntque*; fugere enim quis dicitur et petessere? pisces nimirum. Sed piscium nomen

in antecedentibus nusquam comparet. Quod si probabiliter loco indicato lacunosum intervallum statuimus, et qui eius ambitus fuerit et quae materies nunc non est quo diiudicemus. — Iam vero trium illorum locorum qui piscatori ultimus nobis primus sit. Ita proferre eum editoribus placuit (v. 90 sq.):

Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
Obiectetque moras et mollis vestiat alga.

Non credebam ego equidem hodieque hucusque florere interpolationem aut tantum valere arbitria levissima. Alga mollis obiectat — hoc est affert vel facit! — moras — cuinam? piscanti an pisci? — et vestit — quemnam? quaeso; iterumne piscantem? an piscem? an potius lapides? imaginatio desperat; sed in margine fortasse scriptor lapidem adpinxerat. At collocationem saltem hanc subiecti *mollis alga* vel optima fide traditam tolerare non debebant in latino poeta, sed periclitari talibus: Obiectet mollisque moras et vestiat alga, ut nanciscerentur tandem, moras quid fuisset quod obiectaret. Denique locutionem *obiectare moras* quo firmarent vix tenebant exemplum. Tradidit antiquitas: *oblectetque moras et molli serviat algae.* Benigne. Nam istud *oblectare* licet obtrudi Ovidio vix posset, tamen ex apertissima fluxit Ovidi imitatione qui scripserat Trist. V, 12, 1: *studio oblectare tempus,* quocum optime concinit quod Iulium Paelignum iners otium oblectasse conversatione scurrarum Tacitus dicit Ann. XII, 49. Itaque quia tradita verba esse sana sanus quisque intellegat necesse est, sequitur ut foede hic quoque mutilatus locus sit; intercidit nomen eius qui et moras oblectet et algae serviat, hoc est piscis nomen inter vada viridantia viventis. Atque tales sane pisces quin noti fuerint dubitare noli; neque enim documentum adicere hic placet praeter nostri ipsius fragmenti v. 119, ubi piscium multorum enumeratio inducitur indice: *herbosa pisces laetantur arena, ut scarus* eqs. Inter quos heluones marinos luxuriosissimus fuisse videtur cinaedus quem *θηλύφρονα* vocat Oppianus Hal. I, 127. Sed intercidisse versum etiam hac evincitur ratione: in v. 90 viridantur vada *imo;* sed *imo* nullo modo pro *in imis* vel *ima* usurpari poterat adfuitque plane nomen ipsum cui ablativus ille adclinaretur, id quod ne fugit quidem interpretes veteres. Legebatur aut *imo fundo* Vergilio duce Aen. II, 419 aut, quod volubilius est, *imo gurgite* ducibus Vergilio Aen. III, 421 et Ovidio Fast. III, 591. Quibus perpensis ita fere contexere locum hunc debebimus (ne forte talem sententiam qualis

coniunctiones attende. Priori *seu* quod respondeat non adest nisi *vel cum*. Sed tam laxam orationem parumque adstrictam neque apud ceteros huius temporis poetas videre ego memini neque vero admisit Naso scilicet ut primariarum sententiarum diversarum unicuique distribute praefigeretur secundaria condicionalisque sententia aliter atque coniunctionum *sive-sive* responsione accurate observata. Scriptum est in Arte Am. II, 203 sqq.: Seu *ludet numerosque manu iactabit eburnos, Tu male iactato* . . .; Seu *iacies talos* . . . ., *stent tibi saepe canes;* Sive *latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac pereat miles.* Art. I, 61: Seu *caperis* . . . ., *ante oculos veniet vera puella tuos*; Sive *cupis iuvenem, iuvenes tibi mille placebunt* . . . ., Seu *te forte iuvat* . . . ., *hoc quoque* eqs. Art. II, 297: Sive *erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus*; Sive *erit in Cois, Coa decere puta.* Met. XI, 121: sive *ille* . . . *contigerat, Cerealia dona rigebant;* sive *dapes* . . . *parabat, lammina fulva dapes admoto dente premebat.* Remed. 165: Sive *operam bellis vellet dare, nulla gerebat;* Sive *foro, vacuum litibus Argos erat.* Met. XIV, 20: Sive *aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro;* sive *expugnacior herba est, Utere* eqs. Trist. I, 2. 87 sq.: seu *me diligitis, tantos compescite fluctus* . . . . Seu *magis odistis, iussae* eqs. cf. Art. I, 487; Trist. I, 9, 43; V, 7, 43 sqq.; ex Ponto IV, 8, 17 sqq. Vergilius semel tantum hunc in modum orationem divisit: Aen. XI, v. 443 sq. Similis locus apud Tibullum IV, 2, 9 sqq. neque non in Panegyrico in Messalam v. 45 sq. quo poeta nemo certe magis orationem bipartitam atque tetricum illud *sive-sive* affectavit. Exemplorum autem quasi exemplum Propertius habet in libri secundi exordio (v. 5 sqq.) qui non minus sexiens indicato more distrinxerit sententiam semper ut *sive* praemitteretur; transponendi vero membra — id quod Lachmanni iussu invaluit — neque causa adest neque vel venia, quod nunc indicari a me satis sit. Item Ovidius Am. II 7, 7 nescio num *Seu quem laudavi* et *Seu culpo* perrexerit: cf. notam Burmanni.

Iam vero ista, inquis, sufficiant; iam enim adlata habemus cum quae indigna Nasone credantur duo, tum vero quinque inexpectata prorsus crimina atque ita comparata ut si forte eorum quattuor confutentur copiis nescio unde petitis, tamen unum quod restabit ad fidem Ovidianam evertendam satis firmum superque videri debeat. Verum tenes. Tamen magis etiam adminiculare rem nostram placeat; nam est quidem aedificium illud elegantius cuius columellae sint non plures quam quae fulciendo ponderi sufficiant; ubi vero incessura hominum multitudo sit, magis cauti

quam parci structores sunto. Itaque plura crimina subiciam tum eiusdem gravitatis tum leviora; item quae fere novaverit verbis scriptor ostendam; item vocabulorum conspectum latinorum quidem sed non Ovidianorum. Non pauca tamen ibi demum castigabuntur, ubi ad ampliorem interpretationem procedemus inquirentes quodnam exemplum scriptor secutus fuerit. Neque igitur nunc sententia dicatur de v. 32 sq.: *Polypus haeret et hac eludit retia fraude Et sub lege loci sumit mutatque colorem* quem ego locum duplici offensa molestum praeferam emendare; sicuti etiam insanum illud *praesidiumque* in v. 8 emendationem magis postulabit quam obtrectationem.

Cui vero non exprimetur obtrectatio inauditam audienti neglegentiam qua de leone v. 55 sq. scripta haec sunt:

> Quoque venit fidens magis et sublatior ardet
> Concussitque toros et viribus addidit iram,
> Procidit atque suo properat sibi robore letum.

Hoc ne mediocri quidem poetae dabo. Scribi debebat aut *hoc magis procidit* aut saltem *magis procidit.* Ipsum *procidit* enim recte reposuit Burmannus; codices *prodedit.* Ita Ovidius: *Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati Erigimur* Met. XIV, 302; *Quo fortuna magis saevit, magis ipse resistis* ex Ponto II, 3, 51. *Qui quanto est pondere terrae Pondus aquae levius, tanto est onerosior igni* Met. I, 52. *Quantoque animalia cedunt Cuncta deo, tanto minor est* eqs. Met. I, 464. cf. Met. XIII, 365; II, 722. Ita Vergilius Georg. IV, 248: *Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes Incumbent;* et ibidem v. 411: *Sed quanto ille magis . . ., tanto, nate, magis* eqs. et Aen. VII, 787: *Tam magis illa fremens . . . quam magis . . .* eqs. Propertius I, 4, 15: *Quo magis — hoc magis* cf. I, 10, 27 sq.; Lucretiusque V, 621 sq.: *Quanto quaeque magis . . ., Tanto posse minus* eqs.

Violentissima et sane insolenter constituta in v. 46 oratio:

> Anthias his tergo quae non videt utitur armis;

et primum quidem pronomen *hic* simul pendens a substantivo *armis* simulque regens relativam sententiam *quae non videt* sicut prosaicae orationis est (memoriam excitat Celsi medicinarum ubi passim capitibus inscribitur: De his quae stomacho idonea sunt; De his quae inflant aut non; De his quae cum vulnere loco moventur), ita tamen ad poetas illud pertinere dubito, nisi quasi digito rem ostendere volentes. Iam vero hoc audi: *arma quae tergo non videt.* Consutum est ex strueturis his duabus: *quae*

in tergo sunt ideoque *quae anthias non videt*, quarum in altera *quae* nominativus in altera accusativus est; ita ut *tergo* locativus quasi sit adiectivum admirabiliter ipsi accusativo adhaereat! Legitimum fuisset: arma tergo quae adspici ab anthia nequeunt. Atque licebat versum componere facillima mutatione: Anthias his tergi, quae non videt, utitur armis Vim spinae novitque suae. Sed scriptum id olim revera fuisse improbabiliter statues.

Misceantur gravibus leviora; participium *fidens* bis adest in Halieuticorum centenario ambitu; Ovidius hoc verbum satis raro posuit; infinitivum habes Met. VII, 545 *fidere cursu* (quem totum locum imitator non ignorasse videtur); *ope fidis equina* Met. IX, 125; participium *fidens* semel vidi Met. VIII, 370 *fidensque recentibus armis; fisus* praetulit et Met. XV, 827 et ex Ponto IV, 9, 78; contra Vergilius *fidens* frequenter praeamabatque hoc verbum, nunquam *fisus*. Tamen contra *fidens pedibus* quod est Hal. 63 disputare nolo. Premo locum alterum qui est v. 53 sq.:

Impiger ecce leo venantum sternere pergit
Agmina et adversis infert sua pectora telis
Quoque venit fidens magis et sublatior ardet eqs.

In quibus ponitur *fidens* non adposito vel ablativo vel dativo, id quod non fecit Ovidius, at vero Vergilius Aen. XI, 370; quem locum accurate si legeris:

Aude atque adversum fidens fer pectus in hostem,

non dubitabis Vergilianam hanc imitationem agnoscere. Ceterum *fidens animi* absolute posuit Vergilius Aen. II, 61.

Pergitur autem in Hal. v. 57 de leone verbis supra castigatis:

Procidit atque suo properat sibi robore letum.

Ovidius verbo *properare* transitivam quam dicunt notionem non tribuebat nisi in formis passivi generis, quale est *properatur amor* Am. III, 1, 69; Met. V, 396, item *properatas* dixit res plurimas velut gloriam carmina oscula foedera fila similia, item voluptatem non esse dixit *properandam* Art. II, 717. Sed activis verbi formis numquam transitivam vim addidit, semper intransitivam; cf. Met. III, 657; IV, 317; ex Ponto III, 5, 9 et exempla reliqua innumera fere. Quae quia tam multa sunt, caute is aget qui leonem illum in Halieuticis letum sibi properantem rectene Nasoni adsignarint addubitabit. Vergilius est qui hunc in

modum adstructum accusativum ostenderit; videas Aen. VIII, 454, Georg. IV, 171; atque casu pergrato factum est ut apud eundem in haec incideremus quae sunt Aen. IX, v. 399:

an sese medios moriturus in enses
Inferat et pulchram properet per vulnera mortem.

Inde *properata mors* apud Ovidium Trist. III, 3, 34. Indidem Ovidi imitatorem iterum ni fallor intelleges non neglexisse Vergiliana.

De apro scribitur v. 60 sq.:

Actus aper saetis iram denuntiat hirtis
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri
Pressus et emisso moritur per viscera telo.

Participium *nitens* ter apud Nasonem inveni Met. IV, 361; IX, 50; X 408; quibus locis comparatis nostro loco senties fortasse quasi iners illud legi et fere abundare; similiter Vergilianus potius locus conformatus hic est: *pressit humi nitens* Aen. II, 380. Porro vox *pressus* haerere anceps possis quid sibi velit; potest idem videri atque *oppressus* vel *profligatus*, quod ex Ovidio firmare nequeo sed cf. Vergili Aen. IX, 328 — potest significare 330 lacessitum a persecutoribus; sed tam nudum positum participium a debita abhorret elegantia; aliter habere Heroidum locum IV, 41: *pressisque in retia cervis* facile perspiciet qui modo Vergili contulerit Georg. III, 413: *premes ad retia cervum.* Me duce coniunges cum participio ablativum *telo emisso*, explicatione posthabita altera. Sed ita ambigere in Ovidio non consuevimus. Magis vero et ab illo et a bono sensu alienam esse existumo locutionem: *telum emittere per viscera.* Scribendum satius *demittere* fuit. Semel sane in Transformationibus est XII, 84: *Nil tamen emissi profecit acumine ferri*, sed non addidit ibi poeta quo emittatur ferrum. Hoc enim in natura istorum verborum positum videtur, ut ad demissum telum mentio loci accedat quo illud penetraverit, ad emissum telum aut nihil aut locus potius unde venerit; ita *spicula emissa manu* apud Vergilium est Aen. XI, 676, *emissa hasta* ibidem X, 474; similiter *emissi laqueis semidei* apud Ovidium Fast III, 323; cf. Met. V, 321. Tamen etiam talia nimirum dicere licebat: *emittere infans e domo in auras* Met. XV, 220 et simplicius *aquam vacuas emisit in auras* Met. VI. 398 atque etiam *emittere hastam in auras* quod Vergili est Aen. IX, 52; neque enim in istis locus cogitatur quo res mittatur, sed regio tantummodo et via qua mittatur, sicuti

etiam exire foras, in terram, in provinciam dicitur; at emitti per viscera telum non magis aptum duco quam si quis alicunde in vel per aliquam domum dicatur exire. Hinc igitur factum ut semper scribere mallet Naso *demittere ferrum in ilia* Met. IV, 119; item XII 436; *ensem in armos* XII. 486; *ferrum iugulo* Heroid. XIV, 5; similiter census in viscera demittitur Met. VIII, 837, quocum cf. Ibidis v. 385. Vergilius vero hanc locutionem ignorabat. Omisi Ovidianum exemplum unum quod est Met. XIII, 694 soletque legi his temporibus:

Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non femineum iugulo dare vulnus aperto,
Illam demisso per fortia pectora telo,
Pro populo cecidisse suo pulchrisque per urbem
Funeribus ferri celebrique in parte cremari.

Mire haec dicta. Librarii puto aliquid olim peccaverunt. Scilicet bimembris sententia est sed altera claudicante parte Vulcani instar quem tamen deorum risum non effugisse ferunt. Interpungunt curiose ita ut *cecidisse* ad *Orione natas* trahere debeamus. Itaque Alcon in cratere duas Orionis filias cecidisse facit, alteram demisso per pectora telo — optime; alteram iugulo dare vulnus — quid? cecidisse dare? ecce claudicatio; *dantem vulnus* aequabilitas postulabat. Itaque id magis fortasse placebit puellarum alteram iugulo vulnus dare, alteram telo demisso pro populo suo cecidisse? Quamquam quod populum una tantum curabat, non bene fuit. Sed plura sunt quae miremur. De Menippa Metiochaque res est. Non idem cogitant, telum altera arripit, altera quo pacto iugulo non femineum vulnus det silentio inerti premitur; at qui rarissimam hanc fabulam praeter Nasonem servavit Antoninus Liberalis cap. 25 non diversa morte, sed radio pariter utramque pro populo suo cecidisse dicit: *ἐπάταξαν ἑαυτὰς τῇ κερκίδι παρὰ τὴν κλεῖδα καὶ ἀνέῤῥηξαν τὴν σφαγήν.* Itaque Nicandreo hic exemplo poetam latinum usum esse crederene vetabimur? Iam tempus est animum ut advertas omnia quae contra Antoninum Liberalem pugnantia exhibet Naso non deberi nisi interpolatoribus sincereque antiquitus haec potius tradi:

Ecce facit mediis natas Orione Thebis
Agmen femineum iugulo dare vulnus aperto
Illas dimisso per inertia volnera telo
Pro populo cecidisse suo pulchrisque per urbem
Funeribus ferri eqs.

Itaque inter duas puellas omnino non distinguitur; *femineum* vulnus vocatur eoque cogitari praeclare indicatur non gladium sed instrumentum aliquod ad mulieres pertinens; pecten est vel radius in quo graecae narratiunculae cardo vertatur; hic sub dimisso telo ut lateat efflagitamus. Itaque haec nescio num placeat vel similia temptare:

Ecce facit mediis natas Orione Thebis
Alcon femineum iugulo dare vulnus aperto
Olim ac demisso per inertia vellera telo
Pro populo cecidisse suo eqs.

Vellera pro lana dicuntur velut Met. XIV, 264, Tibulli IV, 2, 16; cogites etiam nubeculas quae vellera lanae audiunt; neque Propertianus mihi non commemorandus locus esto V, 3, 34, cuius lectionem emendatiorem adscribam hic, alibi explicabo:

Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
Et Tyria in galbeos vellera secta suo.

Atque haec vellera inertia videntur Nasoni antea quam per ea ipsum pectinis telum demittatur. De usu *κερκίδος* consule Scheideri indicem ad scriptores rer. rust. p. 370 sq. Solet quidem scribi *demittere in*; sed enim ad monstrandum radium huc illuc per lanam euntem *per* vocula unice apta fuit. Atque eadem vocula in Halieuticorum loco a quo profectus sermo est largiendum fortasse erit scriptorem aliquantulum leniisse molestiam et compensasse. Ceterum de morte filiarum Orionis si Hauptio persuadere aliquatenus potuissem, minus fortasse punxisset eum particulae *atque* ab initio enuntiati remotae exemplum unum quod in expolitissimo prostat carmine Art. Am. III, 282, ubi paene suspicari *aque* non debebat vir clarissimus (Observ. crit. pag. 52).

In Halieuticorum v. 66 adverbium *hic* miro modo positum est ut quid significaret rixari altercarique possent interpretes. Relaberis vero ni fallor eo ut in his vel inter hos interpreteris. Quod alienum videlicet ab Ovidio est. Fortasse *hinc* potius scribere ausus poeta est. Deinde suspicor voluisse dicere scriptorem: *generosior honos et gloria maior equorum* — quibus tamen illiberaliter versus repugnabat! Quod autem insequitur *animis palmam capere* aio quidem male habere, quippe cum animis nemo facile coronam prehenderit — Arionis modo reminiscere capientis coronam Fast. II, v. 105 —, sed subveniam poetae commoda mutatione:

Nam cupiunt animis palmam gaudentque triumpho.

In versu 68 nimis ineleganter loci indicem duplicem accipimus: *septem spatiis* neque non *circo*. *Circo* abiecisset et Ovidius et verus quisque poeta. Quam trita enim in urbe circensibus celeberrima spatia septem fuerint satis illustrabitur uno Grati loco, ubi equum laudat indefessum etiam si centum spatiis agatur (erant nimirum qui hic quoque *septem spatiis* legi iuberent); atque quae temporum iniuria non integra tenemus certa coniectura redintegrare iuvabit; sunt autem Grati versus 515 sqq.; primum enim, ut mirum illud *murcibiis* tollatur, de equis Hispanis haec lege:

Non tamen Hispano Martem temptare maligno
Ausim. Muricibus vix ora, tenacia freni,
Concedunt.

Concedere pariter atque *cedere* pro intransitivo habendum; muricibus asperatur frenum; conferre placeat Stati Ach. I, v. 221. Contra Numidarum equus ἀχαλίνωτος regebatur, vide Nemesiani v. 264, Crameri An. Oxon. IV p. 257; quare infrenus Afer apud Vergilium audit Aen. IV, 41; cf. Livi 21, 44, Sili IV, 313; sed „ignarum habenis virga regit“ Claudian. Bell. Gild. 437; Nemesian. 267. Itaque non poterat non ita pergere Gratius:

At tota levi Nasamonia virga
Fingit equos. Ipsis Numidae solvere capistris
Audax et patiens operum genus.

Confer Ovidi Art. Am. I, 41: *loris potes ire solutis.* Deinde quia numerus singularis (actus eluctabitur), insequitur, novum in v. 519 adfuerat subiectum; ita fere:

Hic equus acer —
Centum actus spatiis, atque eluctabitur iram.

Mitto ursum ab antris Lucanis provolutum, Hal. v. 58, neque nimis premo quod v. 50 animalia timida et fugitiva dicuntur *lymphata*; semel tantum apud Nasonem hoc verbum est Met. XI, v. 3 aptissimeque de hominibus usurpatur bacchico furore captis. Pavor summus fuit qui lymphaticus diceretur (Liv. X, 28) estque attonitorum vel furientium (Liv. VII, 17; Senec. Ep. II, 1, 9); neque tamen Curtius VI, 6, 16 scribere ausus est *discurrunt lymphati*, sed *similes lymphatis*, neque Livius loco prius citato lymphaticum pavorem, sed velut lymphaticum dixit; apud poetas de amentibus est Verg. Aen. VII, 377; Lucan. I, 496; Sil. I, 459; Stat. Theb. X, 557 ubi pavor simul cogitatur haud

aliter atque in Horati carm. I, 37 v. 14, ubi certe non *veros timores* scripsisset poeta nisi *lymphatam mentem* praeiret. Iam vero amentiam hanc atque perniciosissimum quem praedicat Seneca animi statum semper adesse animalibus qui dicit iis quibus simul datum dicit a natura sentire perniciem ac defendere, vereor ne tumido ore et quasi ipse lymphatus dixisse videatur. Ita quaenam vere rabiant bestiae a Silio poeta docearis cui lymphati boves illi Hannibalis audiunt quorum in cornibus virgulta flagrantia fixa erant: VII, v. 357.

In v. 51 legimus *non sana ferocia mentis;* haereas velim; haesi ego certe miratus, quod non potius *insana* legitur et putidam scripturam cernere ratus. Credo enim id quod firmiter dicere parum adhuc adparatus sum necessitatem et elegantiae studium hac in re ita conciliasse poetas, ut pro *insano* similibus *non sanum* similia non ponerent nisi aut vocali aut syllaba brevi antecedente. Ita est Art. Am. II, 508: *Nec sua non sanus scripta poeta legat.* Met. VIII, 865: *avido non iusta alimenta parenti.* Met. III, 175: *Per nemus ignotum non certis passibus errans.* Fast. I, 506: *Pinea non sano ter pede texta ferit.* Ibis 322: *Vulnere non fidos experiare tuo.* Fast. III, 139: *Dixerat et plenam non firmis viribus urnam Sustulit;* cf. etiam Fast. I, 147: *gratesque deo non territus egi* et ex Ponto I, 5, 41: *studium non utile servo*, cum tamen versu Met. XV, 103 uti non liceat quippe cui *inutilis* parum aptum fuisset. Neque apud Nasonem vidi quid contra faceret; sed libet etiam Horatianum illud memorare: *O ego non felix* Epod. XII, 25, ubi tamen quae similia Bentleius adscripsit inferioribus scriptoribus debentur; sicuti comparare etiam possim e. g. Lucani versum V, 58: *En tibi non fidae gentis dignissime regno* atque ex Leandri epistula versum 190: *aut me In freta non cautus tum quoque mittet amor.* Suspicor igitur Halieuticorum scriptorem nesciisse elegantiam non necessariam nonnunquam non esse elegantiam.

In eadem Leandri epistula ita terminatur hexameter v. 57: *deposito pariter cum veste timore.* Similiter Hal. v. 65: *Et capto fugiens cervus sine fine timore.* Ovidius cum scriberet Met. VI, 266: *non alte percusso corde sagitta* certe sonum minus turpem reddidit ablativi bis positi.

Procedamus ad finem excursus versumque 80. Canis venatori prodit feram ostenditque: *quem si conlatis effugit armis, Insequitur canis* eqs. Inhabilius dicta haec quoque. Pugnam qui ineant arma inter se conferre dicuntur apud Livium XXI, 1 init.,

arma conferre apud Nepotem in Eumene XI, 5; unde etiam simpliciter *in collatu* auctor ille belli Hispaniensis cp. 31; pectora pectoribus conferunt luctantes apud Nasonem Met. VI, 242; idem pulcherrime *collato Marte* Met. XII, 379. Iam ubi humana plura animalibus tribuuntur, etiam arma conferat bestia cum homine. Sed quaenam hae bestiae, quae proelium ineant, inito proelio hominem effugiant, deinde aufugiant ut insequantur canes? Aprumne unicum cogites? cf. Bentleium ad Horati C. III 12, 10; tamen aliter de eo Vergilius Aen. X 708. Neque perdamus acumina nostra explicando hebes hoc ingenium quid quaque inscitia voluerit. Accepta autem illa interpretatione cur *quem* Ulitio duce corrigamus causa nulla erit.

Ad vv. 85—91 accedens indignis eos obrutos difficultatibus videbis sine dubio quae solito more castigari velis; nobis castigandi magis editores videntur; neque iam ita multum interest plusne an minus vitiosi ex falso isto Ovidio conferatur. Prope litus manendum piscatori est; ibi locum sibi aptum eligat aut saxosum aut umbrosum aut denique herbosum. Haec locorum divisio inducitur apud Merkelium nimis eum indulgentem arbitriis:

Inter utrumque loci melius moderabere linum.

Quae lectio ne ego quidem animo ne succresceret vitavi comparato Nasonis versu Met. XIII, 923: *Nunc in mole sedens moderabar harundine linum* quocum conferendus *moderator harundinis* Met. VIII, 847. Tamen ea uti nolo antea quam demonstratum est coniungi potuisse *inter utrumque loci*, ubi expecto: inter utrumque vel locum vel locorum. Exemplis maxime illis Ovidianis quae p. 12 aggessimus vetamur ne non absolute *inter utrumque* positum fuisse sumamus. Itaque quoniam ne de *loci* quidem lectione serio dubitari potest, agnoscenda propria huius scriptoris audacia est qui scilicet finem loci moderari iubeat, hoc est „vario modo locum definire". Vides igitur etiam hoc esse in quo aliquatenus Ovidi lector possit haerere. Sequitur:

Aspera num saxis loca sint eqs.;

atque nescio num iam persuaseris tibi tam vix latine istum scripsisse ut triplicem sententiam optioni daret particula ter posita non *sive*, sed *num;* tum ad *moderabere* animo supplendum erit *inquirens*. Sed excidisse aliquid post v. 85 coniecit Hauptius, atque ad eam firmandam coniecturam hoc facit, quod in v. 89 scribitur: *nam varie quidam fugiuntque petuntque*; fugere enim quis dicitur et petessere? pisces nimirum. Sed piscium nomen

in antecedentibus nusquam comparet. Quod si probabiliter loco indicato lacunosum intervallum statuimus, et qui eius ambitus fuerit et quae materies nunc non est quo diiudicemus. — Iam vero trium illorum locorum qui piscatori ultimus nobis primus sit. Ita proferre eum editoribus placuit (v. 90 sq.):

Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
Obiectetque moras et mollis vestiat alga.

Non credebam ego equidem hodieque hucusque florere interpolationem aut tantum valere arbitria levissima. Alga mollis obiectat — hoc est affert vel facit! — moras — cuinam? piscanti an pisci? — et vestit — quemnam? quaeso; iterumne piscantem? an piscem? an potius lapides? imaginatio desperat; sed in margine fortasse scriptor lapidem adpinxerat. At collocationem saltem hanc subiecti *mollis alga* vel optima fide traditam tolerare non debebant in latino poeta, sed periclitari talibus: Obiectet mollisque moras et vestiat alga, ut nanciscerentur tandem, moras quid fuisset quod obiectaret. Denique locutionem *obiectare moras* quo firmarent vix tenebant exemplum. Tradidit antiquitas: *oblectetque moras et molli serviat algae.* Benigne. Nam istud *oblectare* licet obtrudi Ovidio vix posset, tamen ex apertissima fluxit Ovidi imitatione qui scripserat Trist. V, 12, 1: *studio oblectare tempus,* quocum optime concinit quod Iulium Paelignum iners otium oblectasse conversatione scurrarum Tacitus dicit Ann. XII, 49. Itaque quia tradita verba esse sana sanus quisque intellegat necesse est, sequitur ut foede hic quoque mutilatus locus sit; intercidit nomen eius qui et moras oblectet et algae serviat, hoc est piscis nomen inter vada viridantia viventis. Atque tales sane pisces quin noti fuerint dubitare noli; neque enim documentum adicere hic placet praeter nostri ipsius fragmenti v. 119, ubi piscium multorum enumeratio inducitur indice: *herbosa pisces laetantur arena, ut scarus* eqs. Inter quos heluones marinos luxuriosissimus fuisse videtur cinaedus quem *ϑηλύφρονα* vocat Oppianus Hal. I, 127. Sed intercidisse versum etiam hac evincitur ratione: in v. 90 viridantur vada *imo;* sed *imo* nullo modo pro *in imis* vel *ima* usurpari poterat adfuitque plane nomen ipsum cui ablativus ille adclinaretur, id quod ne fugit quidem interpretes veteres. Legebatur aut *imo fundo* Vergilio duce Aen. II, 419 aut, quod volubilius est, *imo gurgite* ducibus Vergilio Aen. III, 421 et Ovidio Fast. III, 591. Quibus perpensis ita fere contexere locum hunc debebimus (ne forte talem sententiam qualis

in v. 86 et 89 est particula *nam* ornatam excidisse putes, prohibetur et re et verborum in v. 91 modo coniunctivo):

Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
Gurgite et ut conchae piscis pascatur inertes
Oblectetque moras et molli serviat algae.

Conchas enim quam maxime ad mollem algam pertinere notum et est et tunc fuit.

Sed ut ad versum iam 89 gradum referamus, ubi litus montium umbris horrens dicitur, omnino me non perspicere fateor quid sit illud quod additur:

nam varie quidam fugiuntque petuntque.

Aliquid cogitasse scriptorem necessarium est; sed nihil cogitavit nisi addidit obiectum quod fugeretur petereturve. Umbras cogitari aliquis coniciat; sed cur inde non maluit scribi: *quas varie quidam fugiuntque petuntque*? Atque etiam tum sensu *quidam* careret. Verius rem explicabis: nam varia varii fugiunt vel petunt, neque enim dissimiliter v. 92 dicitur: Discripsit sedes varie natura profundi. Sed eo magis et obiectum desiderabis et vituperabis *quidam*. Qua de causa facere non possum quin mutationem commendem hanc:

nam varie quaedam fugiuntque petuntque;

nam *pisces* subiectum qua lege supplendum esset supra indicavi. Itaque multa quidem, inquit, omnes pisces communia habent, quaedam tamen non communia velut litora solis luce carentia. Ex qua lectione num plura consequantur nunc non quaerimus.

Ne vero officio meo omnino deesse videar, castigati sunt qui *oblectetque moras* non scripsissent, castigetur nunc qui scripserit. Durius primum est quod ablativum omisit eius rei qua tempus suum piscis oblectaret; neque enim si dicimus: studia senectutem oblectant, quale apud Ciceronem est in oratione pro Archia poeta, desiderabitur ablativus, sed intellegi volumus: oblectare studiis senectutem possumus. Nova autem audacia vincere Ovidium voluit, cum m o r i s aut simplicem notionem temporis daret aut rectius (quamquam ambigi possit) pro certa statione et habitatione moras vel commorationem posuisse videretur; sed contrarium est atque quemcunque locum adibis semper aliquid voci inest impedimenti quo a re proposita detineamur, quod parum in piscem illum quadrat. Iam satis intellecta fragmenti huius species est inter putidum sermonem et inhabilem misere fluctuantis. Quod quia

abundare simul aliorum scriptorum memoriis observatur, praetermisisse videri nolumus Horatiana illa haud dissimiliter sonantia Art. Poet. 320 sq.:

Fabula nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur eqs.

Inhabilis inquam homo et recti expers sermonis. Legendum curavit v. 95:

Nam gaudent pelago quales scombrique bovesque;

quamquam non nisi percurri fragmentum solitum est, tamen iam olim vox *quales* offendit doctos lectores: nimirum locum aptum habere non poterat nisi fere dicebatur: multi gaudent pelago: quales eqs. Odorati sunt latere piscis nomen; sed primum *squillae* versu 132 confutatur ubi graecum nomen *caris* adest; porro *squatus* ne esse quidem nomen antiquum infra suspicabimur; sed si erat idem fuit atque *squatina* (cf. Plin. XXXII, § 151), atque alterutra forma in nostro v. 95 restituenda videtur. Denique *squali* vel *γαλεοὶ* amplius piscium id genus vocatur ad quod ipsa squatina pertinet; atque squalum simpliciter pro squatina haberi probabimus infra eodem loco. Recte habere *quales* quasi testis accedit v. 118 ubi etiam ineptius vates noster:

At contra herbosa pisces laetantur arena
Ut scarus eqs.

puero rem ostende: clamabit dicendum fuisse: herbosa pisces alii laetantur arena Ut scarus. Denique alterum vitium altero et augeri et firmari video.

Spumam albam esse solere scis; mitto oris spumam qualis est e. g. apud Nasonem Met. III, 74, VII, 415, XV, 519; maris spumam dico: sicut Silius scribit XIV, 316 sq.: *Salis icta frequenti Albescit pulsu facies perque aequora late Spumat canenti sulcatus gurgite limes;* ita Ovidius Met. XI, 501 de ponto turbido: *spumisque sonantibus albet.* Ita Heroid. V, 54: *remis eruta canet aqua*, scilicet spumans; item Heroid. III, 65; cf. Heynium ad Vergili Georg. III, 237. Atque qui Vergili verba legerit Aen. V, 141: *adductis spumant freta versa lacertis* (verritur mare ut apud Maecenatem Senec. epist. 114, 5; cf. Verg. Aen. X, 208), is eo inclinabit ut apud Silium quoque verbis (VIII, 426): *Non aequore verso Tam creber fractis albescit fluctus in undis* remi cogitandi sint verrentes aequor frangentesque. Cicero in Prognost. fr. 3: *Saxaque cana salis niveo spumata liquore;* de Nilo Lucanus X, 322: *Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.* Iam fore spero

ut iusta videatur malignitas conicientis, scriptorem nostrum marinum postquam v. 100 pompilum piscem hunc in modum vocaverit:

Tuque comes ratium tractique per aequora sulci
Qui semper spumas sequeris pompile

voluisse quidem ita obsequi horum poetarum mori, ut in fine hemistichii posterioris notionem eam exornaret quae in fine prioris hemistichii est, sed versui quod adaptaret non habuisse praeter *nitentes*, quo tamen verbo unda pura potius videlicet et clara describitur quam cana illa spuma gurgitis sulcati. Quid? Ausonium cum Mosellam scriberet cognita Halieutica habuisse facile ad credendum est; at vide quanto rectius ille v. 107:

Spumarum indiciis caperis, mustella, natantum

tamen num alter poeta alterum emendaverit an forte ipsum *natantis* olim in Ovidio exstiterit non diiudico.

Accedamus ad channen piscem de qua habes v. 107:

et ex se
Concipiens channe gemino sibi fundata parente.

Violentia sua non defecit editores qui exhibent: *gemino fraudata parente;* unde enim ortum esse putabimus *sibi?* Verae tamen emendationis via non latebat; ipsos librarios rogemus: praebent ii nempe in versu fragmenti huius 114 *merolate* pro *merulae,* v. 113 *caudate* pro *caudae, concicitatur* pro *concitus* v. 39, v. 23 *inmiatis* vel *inmittis* pro *inmitis*, v. 28 *connextat* pro *connixa,* item v. 91 *algate* in Parisino, *irate* pro *ire* in v. 52 post v. 65 iterato, porro *aurate* pro *aurae* v. 70, *percate* pro *percae* v. 112, *soleate* pro *soleae* 124, *rante* pro *ranae* v. 126. Quae exuberantes scripturae langobardicae ex litterarum *a* et *t* similitudine explicandae proficiscendum esse docent emendatori in v. 108 ab hac potius lectione: *gemino sibi funda parente.* Atque sensum verum Hauptius indicavit his: „gemini vice functa parentis": eundem scilicet piscem proles et matrem et patrem habebat. Atque animadvertendum est novasse videri hoc quoque scriptorem, ut Ovidi illud *uterque parens* (Fast. V 181) in *parentem geminum* converteret, quocum tamen conferendum iterum est poemation illud de Sepia (A. L. Riese 107), in quo animal *femineo nomine geminum sexum* designare dicitur (ignorabilia qui rimari amant hunc nostri fragmenti imitatorem esse coniciant); parum certe feliciter; nam geminum singulari numero id vocatur poetae quod duas res comprehendat similes et inter se respondentes: geminus pes, geminum cornu, gemina manus, item egregie ad litus adplicatur Met. XIV 6, vel ad mare du-

plex Heroid. XII 104 vel ad geminorum periculum Fast. III 873 vel ad angues duos gemina manu gestos Fast. VI 736; deinde ad res non contrarias saltem trahitur, ad geminum carmen ex Ponto IV 16, 12, ad cruorem Met. IV 161, ad lucem Met. XIV 725, ad necem Met. X 64, semper fere ut dulce aliquod acumen adiectum sit. (Non vero huc pertinet geminus Chiron nec gemina figura Minotauri Met. VIII 169, quippe quibus non rerum par illustretur, sed una res ex duabus composita, neque adeo Cecrops geminus); itaque illo usu scriptor inductus est ut parentem quoque vel sexum geminum satis mire diceret; quem Nasonem non esse eo libentius audies, quia sciendum Naso ipse curavit sibi quid esset parens geminus: nam in Met. VI 538 de Tereo Philomela:

Omnia turbasti: paelex ego facta sororis,
Tu geminus coniunx, hostis mihi debita Progne;

ita enim non male Hauptius edidit cum hoc prorsus certum esset, et propter concinnitatem orationis poeticae et quia omnia sunt quae turbata dicantur, cogitare illam immane aliquid non solum de se et de Tereo, sed etiam de Progne; tamen quoniam quae falso traditur *debita poena* trita certe librariis locutio erat, emendatione ita provehi non dedecebit: *hostis mihi dedita Procne;* de *hostis* voce enim ne ambigamus vetamur sensu. Summum esse mutuum sororum amorem fabula tota illustrat, sed magis tamen Prognen Philomelae devotam (cf. e. g. v. 440—444): quae ubi hostis facta ex dedita dicitur, iam suum sententiae acumen additum vides. Neque parvi aestimo quod simile Ovidius acumen etiam alibi posuit: *tibi deditus hostis* Fast. I v. 359. Cf. etiam Amor. II 9, 11, atque data hac occasione etiam versum Met. XIII 920 attingam ubi Riesius Bentleio duce Proteum de se ita loquentem facit:

Ante tamen mortalis eram: sed — scilicet altis
Debitus aequoribus — tantum exercebar in illis.

Sensum tamen non assequor nisi artificiosiorem. Male aptum *tantum;* repone *iam tum;* repone etiam *Deditus.* Falsum enim potius *scilicet* inertissimum est. Haec tene:

Ante tamen mortalis eram; sed — sic licet altis
Deditus aequoribus — iam tum exercebar in illis.

Hoc est: licet nunc sic ut me vides, et immortalis et prodigii similis, deditus alto mari sim, tamen iam tum aequor temptavi. Ad *licet* cf. Met. X v. 62; Properti III 32, 72. Eliditur *tum* velut *dem* Art. III v. 2.

Iam vero vides Tereum apud Ovidium coniugem geminum minime utriusque coniugis vice fungi et maris et feminae, sed significare geminarum puellarum coniugem unum. Atque haec hactenus. Ad channen ut redeam, tibi placere posse non credo lectionem talem: „et ex se Concipiens channe, gemino sic functa parente". Frustra audaces videri nolumus. Memineris vero eum qui coniugium vel concubitum cum aliquo ineat locis plurimis dici *iungi alicui* amanti; cf. Propert. III 15, 27; Ovid. Met. VIII 632. IX 487. X 333. XIV 762. VII 697 sq. X 82. V 379. Epist. Parid. 317. 213. Epist. Cyd. 223. Itaque sic scribo:

et ex se
Concipiens channe, gemino sibi iuncta parenti.

Num forte nostrum versum legerat poeta ille male Petronius dictus cuius epigrammate (Petron. fr. 26 Buech. v. 4) inter alia mirabilia memoratur hoc:

Et piscis nullo iunctus amore parit

channes nomine non adposito? Cui ibi quod adnectitur non minus mirabile ita expositum fuisse existumo:

Sic Phoebea chelys victu resoluta parentis
Lucinae tepidis roribus ova fovet.

Hoc est: testudo animal quamquam Soli deo sacra est (siquidem Phoebus cantor testudine ludit), tamen contra parentis victum vel vivendi morem fovenda ova non soli tradit, sed lunae. Facile enim *victui* haec amplior notio dabitur. In Halieuticorum autem versu non quidem flagitari poterit sed magis placere oratio explicatior fere talis: channe sibi iuncta quasi gemino parenti. Quod si inferri voles, attende ad libros non *channe* ostendentes sed *channem;* ex quibus litteris facile elicietur: *et ex se Concipiens channe,* ut *gemino sibi iuncta parenti*; cf. e. g. Trist. I 6, 5: *Te mea supposita* veluti *trabe fulta ruina est.* Quam tamen metri duritiem Ovidius improbasset. Neque ego hoc volo nisi non neglexisse videri.

In tantulo horum versuum decursu largam rerum vel culpandarum vel notandarum praedam observationis studio irretivisse videmur. Ne vero cepisse nos rei oblivionem credas unice memorabilis. *Ei* dativum pronominis demonstrativi interdum quidem prisci habebant pro spondeo, saepius pro syllaba una et scaenici poetae et ipse Catullus (cf. Buecheleri decl. lat. p. 60). Respuitur forma ista poetis postea bonis ut videtur omnibus neque adeo pro iambo *ei* positum invenies. Non bene, etiam orationem gratam si quae-

ras, iambum Lachmannus (Lucr. p. 152) dari voluit Catullo 38, 2, ubi praeplacet:

Male est, Cornifici, tuo Catullo,
Male est me hercule et est laboriose
Ei magis magis in dies et horas.

Non autem moror quod de Catulli 29, 20 nuper statuit is qui nugas cum ederet edendas nugatorie putavit. Cuius loci veriorem formam monstrare ubi me paravi, ecce aurem mihi vellit Catullus meus et Ne, inquit, prati mei flores vepribus istis insere. *Eidem* disyllabum apud Manilium est III 73. Iam scriptorem Halieuticorum qui *ei* posuit iambum v. 34 eo non parem se praestitisse reliquis agnoscas necesse est.

Superest unum. Commune prosaicis scriptoribus est ut et tergum animalium et pellem neque eam tantum quam in ipso tergo habeant vel tergus dicant vel tergora. Plinios Celsos consulas. Sunt tamen poetae quoque qui idem dixerint velut Propertius III 26, 6; Silius III 209; Martialis V 22; Gratius v. 339 quem locum ita adpono:

Tegat imas fascia suras
Internis inulina suis et tergore fulvo
Saetigerique caput canaque e maele galeri.
Lina Toletano praecingant ilia cultro.

Nam *inulina* tangendum non videtur. Galeri autem quia *tegmen capitis* Vergilio vocantur Aen. VII 688, (quo et viri rustici utuntur, Moret. 122, et flores, A. L. Ries. 646 v. 25), etiam ad ipsos galeros apud Gratium verbum *tegat* pertinuisse persuadent. Porro, modo latine poeta scripserit, cultro praecingantur ilia oportet sermoque rectus clamat accusativum esse *ilia;* iam ima ilia locum parum aptum cultro esse qui perspexerit, ex *ima* subiectum sententiae eliciet balteum significans rusticum sive *lina* seu quid propius abiaceat. Ad *tergus* vero ut redeam, Ovidius semel tantum hac voce usus est pro *pelle* Met. XIII 347, quae tamen ibi humilitas eo sublimior fit quia pellem pro ipso clipeo posuit. Apud Vergilium Aen. IX 761 optima auctoritate iam restitutum habemus *tergum* pro *tergus.* Hoc enim respuebant poetae eiusque in locum haud rara elegantia *tergum* sufficiebant; vide praeterea Vergili Aen. I 368; XI 653; Ovidi Met. XIV 225; XV 304; Fast. IV 212 et 342; Sili VIII 572; XVI 451; Stati Ach. II 154; Theb. VIII 221; Martialis XIV 66. Pro dorsi carne elegantius *tergora* dixit semel Maro Aen. I 211, semel Naso Met. VIII 639 (ubi simul tamen *terga* v. 638 habemus; ceterum cf. Phaedri II 1, 9). Iam vero hoc ver-

bum cum per totum Vergilium semel, bis tantum per totum Ovidium vel per Transformationum versuum duodecim milia deprehenderimus, quantum ab hoc poeta hexametri nostri centum triginta differant senties si tres hos in iis locos videris: *fulvo tergore* v. 64; *nigro tergore* v. 95; *molles tergore* v. 126. Nam ad sermonis varietatem augendam praesto videlicet et pellis et cutis erant et coria et (in v. 64) vellera, neque non scribi simpliciter licebat: fulvae damae, nigri milui, ranae molles; ille vero de dactylo desperabat pedis quinti.

Restat ut quae scriptor in artum hunc locum nove atque etiam hic illic temerarie dicta constipaverit conspectu proponantur. Tenes geminum parentem, tenes moras oblectatas atque illud *moderari finem loci*, ut alia mittam. Non habeo quocum comparem illud *viridare* in v. 90 transitive positum — neque enim Vergilio placuit nisi participium *viridans*, id est *viridis* — praeterquam quod Valerius Flaccus Bacchum exhibet hastas floribus nexis viridantem VI 136. Porro reliqui poetae innocuo opponebant aut nocentem aut noxium; iste vero postquam *nocens* v. 30 et *nociturus* v. 116 posuit, iam v. 130 exhibere adiectivum *nocuus* suscepit, quod praeter hunc non occurrit nisi apud medicamentorum scriptorem Scribonium Largum 114: *pastillus . . . quo quasi cauterio tunc tantummodo uti oportet, alioqui nocet; ideoque a quibusdam ignorantibus eius usus accusatur quasi nocuus;* postea apud Martialem III 99 v. 3, modo sequendus hic quoque Thuaneus liber sit qui unus praebet *Non nocuos*, reliqui fere omnes: *Innocuos;* est enim nimirum etiam ubi corrigendus ille sit ex reliquis contrariusque hic locus foret iis quae de tali negatione observavimus p. 25. Dixi igitur in metrico meo libello hoc novatum adiectivum primum esse ab Halieuticorum scriptore ductus iis quae scripsit Koene Ueber die Sprache d. Roem. Epiker p. 218. Nunc vero postquam Neronei illum temporis esse intellexi, huius saeculi luxuriantem sermonem agnovisse contentus sum (non apte comparabis *riguus* quippe cui non contrarium *irriguus* sit), cum eadem fere aetate etiam rarissimum illud *nocivus* (cf. Phaedri I 29, 3) ortum esse videatur; neque est enim quo confirmes etiam adversarios Scriboni voce *nocuus* usos fuisse. Eodem loco ipsum ordinem verborum hunc: *spina nocuus non gobius ulla* et in Ovidio intolerabilem dixi et in poeta quovis bono; scribendum enim fuisse fere *spina non nocuus gobius ulla*, idque sentiet ni fallor qui curet quid sit elegans, quamquam iudicium certum nisi e collectanea similium locorum ad unum omnium comparatione

ferri non poterit, quem laborem ampliorem etiam quam subtiliorem infectum adhuc reliquimus. Placet certe quod scripsit Ovidius ex Ponto IV 6, 43: *vestri non immemor unquam;* at displiceret si scripsisset idem: *turpior non femina ulla* Am. I 13, 34; *gaudere nostris non Quiritem ullum* Trist. II 569; *sumendae rosae non gratia ulla erat* Fast. V 344; *metuentius non ingenium ullum* Fast. VI 259; *videt non amans ullus* Heroid. IV 154. Quod vero in Tristibus legitur V 12, 53: *Non liber hic ullus, non qui* eqs., id anaphorae lege excusari sentio. Adnoto etiam Nasonem scribere hic illic ausum esse *non ullus* pro *nullus*, *non usquam* pro *nusquam* similia tertio aliquo non intercedente vocabulo atque haud raro ut inde vis nervusque adderetur sententiae; hac enim lege ne a prosaicis quidem id alienum est (attenderunt ad tmesin quasi speciem unam metaplasmorum grammatici olim latini, vide Consenti p. 390 K.); imprimis vero in Metam. e. g. III 585. VI 553. VII 558. VIII 228. 837. XV 157. In ipso autem Hal. v. 130 potius corruptum *ulla* esse infra explicabitur neque tamen ut collocatio emendetur verborum.

Rarum aliquid vel putidum lateat sub corruptela versus 73 necesse est, ubi de equo:

quantoque venit spectabilis actu
Conpiscatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis.

Pro *conpiscat* sensus fere *conquassat* vel *conculcat* flagitare videbatur quod apud Ovidium dicitur *pulsat.* Riesius dedit *compescit* comparato uno fragmento Titini comici, ubi compescitur creta. Qualem audaciam ut Nasoni v. d. tribuit, ita ego tribuere ne malo quidem sectatori Nasonis ausim. Compesci equus solet, quippe habenis curaque equitis intenta, compescere ipse sabulonem non poterat nisi cura pariter intenta qua eadem etiam creta apud comicum. Quaesita quaeramus. Iam equus ille de quo agitur victoriosus rediens graviter incedit eiusque tollitur demittiturque ungula pulsu generoso; igitur habenis currit minime laxatis neque conquassante ungula neque violenter tundens solum, cum praesertim leonis corpore dorsum prematur; conscius sit dignitatis saltantemque imitetur equus triumphator. Voluisse scriptor videtur: *Concrispatque solum.* Ita venti crispare solent et iucundo tremori dare mare summum. Ita saltantis crispum latus est (Copa v. 2 cf. Priap. XXVII v. 2). Ita de Mosella Ausonius v. 63: *Quod sulcata levi crispatur arena meatu,* aquis quippe meantibus.

Notum est verbi *pascere* formas passivas nunquam ad id adplicari quod pastu consumatur, sed ad eum tantum qui pastu fruatur. Idem valet de voce *impastus* quae est Vergili Aen. IX 337, velut *perpastus* Phaedr. III 7, 2. Aliud prorsus *depasco* est vel *depascor* cuius obiectum esse non potest nisi cibus. Semel Ovidius adulescens canere ausus est Amor. III 5, 17 de tauro:

Dum iacet et lente revocatas ruminat herbas
Atque iterum pasto pascitur ante cibo,

ubi scribi debebat: *atque cibo* (eodem) *ante pastus iterum pascitur;* ita ut pervenuste participii casum quasi deflexisse poetam appareret eam unam ob causam ut et soni et verborum debitam aequabilitatem nancisceretur; idque praeterea excusatur usu illo poetico quo dicebant *querulus volucrum nidus* pro *querularum volucrum nidus* (Medicam. 77) similia. Iam Halieuticorum scriptor de ruminante pisce dicturus v. 119 facere non poterat quin Ovidi sui locum consuleret unum quo ipsa ruminatio, res minime cantabilis, memoraretur. Ecce versus conflatus hic:

Ut scarus epastas solus qui ruminat escas;

itaque non modo assumpsit ille Ovidi *ante pastus* sed compositum verbum inde formavit inauditum, memor sine dubio participii *epotus*, sed ut grata illa audacia et vere poetica temere abuteretur. Neque igitur parata inde excusatio est quod Ovidius *emodulor emoderor* similia verba sensus aptissimi primus formaverit.

Adsint plura ab Ovidio aliena. Verbum *dissolvere* adest Hal. v. 37, apud Ovidium non nisi *solvere*, atque qui scit loquendi usu quomodo illud ab hoc differre soleat, casui abstinentiam Ovidi non tribuet. *Obniti* (Hal. 12) scripsit Vergilius, Ovidius non scripsit quamquam occasio scribendi nimirum plus una erat; idem valet de *conniti* (indubia enim haec correctio est in Hal. v. 28), idem valet de *increpitare* (Hal. 80), quod ut Propertius in apertissimo loco collocavit III 26, 15, dipodiam hexametri dico ultimam, ita evitavit Naso semper scribens *increpare.* Item *rimari* (Hal. 77) Vergili est, non Ovidi. *Venditare* (Hal. 70) neque Vergilius unquam neque Tibullus Propertiusve neque ipse Ovidius sibi concessit. *Pergere* (Hal. 83) pro *aliquo se conferre* positum in Ovidio non vidi, vidi apud Maronem Aen. XI 521; cf. Sili VII 171. Sed ne illud quidem quod Hal. 53 est *sternere pergit* scribere ille voluerat; quia enim sternere incepisse leonem antea dictum non est, interpretandus locus est: „semper in eo est ut sternat", quam pergendi significationem habes e. g. Lucreti IV 323.

Discribere (Hal. 92 cf. Buechelerum Mus. Rhen. XIII p. 602) non cernitur apud Nasonem; neque quod gravius est, cadentem hic unquam *procidere* dixit (Hal. 57), sed *concidere* Met. VIII 401; IX 650. In Hal. v. 31 voci *crinalis* incognitus poetis sensus tributus est; exspectatur *crinitus*, quod graece εὐπλόκαμος Matroni parodo poetae dicebatur Athen. p. 135 C, πολυπλόκαμος Marcello Sidetae v. 36 at non πουλυπλοκάμων sed ἁπαλοπλοκάμων Philoxenus Cytherius Athen. p. 147 B. Porro virum superbum Vergilius *sublatum* dixit, illum *sublatum* praebere nisi volgari sensu verbi *tollere* non vidi; in Halieuticis autem adest etiam participii comparativus *sublatior* v. 55 (velut *audentior* Vergili Aen. VI 95). Draegerus qui in Syntaxis I p. 29 raros comparativos atque superlativos ex poetis nostris composuit omisisse *sublatior* propterea videtur quia adverbium *sublatius* Cicero scripsisse creditur De domo sua 95; ceterum participiorum comparativos ex Ovidio non adscripsit nisi horum: metuens, nitens, simulans, cognitus, correptus; superlativos horum: consuetus, dotatus, iunctus, laudatus, strictus. Dicendus autem est scriptor Halieuticorum insuper satis audacter *sublatior* adiectivum pro adverbio posuisse; certe ad illud ablativum velut *rebus secundis* addi et usu fertur et refert. Terenti Hec. 507: *Quia paulum vobis accessit pecuniae, sublati animi sunt*, accipiendum est pro: *Eo quod paulum* eqs. Cf. Vergili Aen. X 502, Taciti Ann. XIII 11. Caesaris B. G. I 15. V. 38. B. C. II 37.

Pergere possum: genitivum pluralem *ratium* (Hal. 100) ab his poetis omnibus esse alienum, *denuntiare* verbum (Hal. 60) ab Ovidio. Sed hoc ipso verbo invitor ut ad imitationes etiam plures monstrandas transeam qualibus scatere carmen vidisti. Nam versus 60:

Actus aper saetis iram denuntiat hirtis

(ecce aper pelle sua iram denuntians!) consarcinatus est ex Ovidianis *saetis hirtis* Met. XIII 850 et ex Vergilianis *denuntiat irās* Aen. III 366. Item versus 56:

Concussitque toros et viribus addidit iram

alterius partis sonus Ovidianus esto (cf. supra p. 5), prioris vero praeclarissima Vergiliana imitatio, legitur enim Aen. XII v. 7: *Excutiens cervice toros*. Item *vires nocendi* (Hal. 43) non unus hic poeta ex Ovidio arripuit (Met. VII 417), sicut etiam *artes nocendi* illae Vergili (Aen. VII 338) imitatores suos videbant. Vergilius avium nidos dulces vocaverat (Georg. I 414); piscium scriptori

ubi phycis piscis avium nidos imitari dicendus fuit, inter scarum ruminantem et chromin immundam dulces ecce nidi interponuntur (Hal. 122; similitudinem primus Hauptius observavit). Ita linteo vili purpurei panni adsuuntur. At sub lacera veste et male consuta cernitur ingenium nudum veroque orbum decore et Musis sanctis invisum.

Invidae sane Musae quae divitis ingenii speciem ne in tantulo quidem cantu, qui non plus sextam partem singuli libri Ovidiani valebat, homini condonaverint sacris suis non initiato. Inopia miserabili utitur. *Ferocia mentis* scribitur v. 51 (de lectione enim ne dubita; in libro *mestes*); statim iteratur v. 59. Clausula et v. 103 et v. 124 eadem haec: *concolor illi* (membranae v. 124 *concolori*); clausula *scorpius ictu* et v. 5 ponitur et v. 116; clausula *in auras* et v. 25 et v. 36; clausula *sub undis* et v. 9 et v. 122. Vox *laxare* in priore fragmenti parte scripta est ter, v. 13 et 27 et 42 (simul monendum est, satis raram hanc esse in Ovidio: Heroid. II 123; Art. III 73; qui accedit locus *laxare rudentes* ex Ponto IV 9, 73 Vergilio debetur Aen. III 267; cf. Stati Theb. VII 141); *mora* in parvo ambitu item ter est v. 91, 99 et 102; *varie* v. 89 et statim v. 92; post duplex *aversus* v. 13 et 17 statim *aversare* adest v. 22. Ita duplicatur *celsus* v. 71 et 88, *fidens* v. 55 et 63, *generosus* v. 66 et 73, *demittere* v. 78 et 88 — nonne vocabulo aliquo feliciter invento ita gavisus esse poeta videtur ut parum contentus semel posito fuerit? Verbo *capere* bis posito et v. 67 et 65 coniectura nostra scriptorem liberavit; de lectione autem *capto timore* dubitandum non est, dicta ea videlicet ut *capere iram, animos, spem* similia. Contra bis, et v. 83 et v. 85, adiectivum *medius* legendum esse supra dubitanter coniecimus. Video tamen plura: *sedes profundi* quae sunt v. 92 circumscribuntur v. 83 vocibus *sedes* et *profundum,* velut *pelagus* quoque ex v. 83 iteratur v. 94. Verbum *sequi* ut mittam versum 101 quater cernitur v. 22. 52. 63. 76; *locus* et v. 85 et 86; *ira* et v. 56 et 60 (praeterea 39); *pendentem* et v. 35 et 38; *vimen* et 13 et 16; *vis* et v. 43 et 47 et 56 (praeterea v. 9 et 76); et quidem *vires* cum genitivo gerundii coniungitur et v. 43 et 76. Verbis *at contra* sententia incipit v. 31 et 118. *Fertur* autem et *ferentes* quod in uno metro utrumque exstat v. 40, acumen hoc potius esse voluit poeta. Atque in copia verborum hoc modo castiganda talia ne respeximus quidem quae iterari res iubebat, velut *terga* vel *tergora* septiens scriptum est, *unda* sexiens, *rete* ter, ut videtur, *cauda* sexiens (et quidem quinquiens inter pauculos versus 5—38). Neque

non notandum erit substantiva verbalia vocali *u* formata parum ea poetica nimis in hoc carmine cumulari: v. 116 *capitis ictu,* 97 *ictu ensis,* 5 *caudae ictu,* 72 sq. *spectabilis actu* et *concita pulsu.*

III.

Praeiudicasse de re videmur qui enumerantes ex Halieuticis et quae scribere non potuisset Naso et quae noluisset scribere et quae eo indigna crederemus et quae aliquam certe dubitationem deberent inicere piscium scriptorem ab Nasone semper fere disiunxerimus. Igitur iam a philologo iudicio provocandum ad psychologicum erit vel pathologicum. Atque hoc unum agi quam brevissime poterit. Diem supremum Ovidius obiit anno a. u. c. 770 teste apud Hieronymum Suetonio, id quod in dubium adhuc vocavit nemo, vix tunc senex vel annos natus aut LIX aut LX. Iam questus quidem est in Tristium l. V c. XII: *ipse mihi videor iam dedidicisse latine*, et ibidem c. IX Tomis se barbarum factum esse qui getice sarmaticeque loqui didicisset; atque in epistula ex Ponto IV 2 ad Severum exposuit non iam iuvare se numeris carmina nectere, sacrum abesse sibi poetandi impetum fluereque vena pauperiore carmina. Sed tamen tenemus ex ipso mortis anno et primi Fastorum libri exordium et secundi; tenemus nisi ex hoc, at ex antecedenti anno quae fluxerint epistulae ad amicos scriptae, quod tempus certum maxime est de ep. ex Ponto IV 9, credibile de toto hoc libro. Atque non omnibus quidem iuventutis coloribus splendere tristem Musam condecebat; ceterum nisi forte hos Ovidiani ingenii sermonisque veros testes esse negabis — atque adversarium me agniturum esse eum tantum dico qui in centum quadraginta versibus quibusvis vere Ovidianis similem turbam et rerum singularium et peccatorum deprehenderit, quod studium interpretationem saltem Ovidianam iuvabit — dicendum est aut spuria esse Halieutica aut ultimo fere vitae mense tali morbo captum poetam fuisse qua fere Messala Corvinus fuit orator quem ita ut vix pauca verba coniungeret memoriam ac sensum amisisse legimus; quippe et sensum Ovidius artis suae metricae et memoriam apti ac proprii sermonis. Fortasse etiam post acipenserem memoratum inediane se confecit? Superest ut naturam argumenti spectemus. Componere potuisse Ovidium Halieutica praefracte negare nolo, quamquam inter eius scripta vix est quod comparari apte possit. Primum quidem a Lactantio Inst. Div. II 5 docemur breviter comprehendisse Nasonem Phaeno-

mena quod opusculum his versibus satis elegantibus terminatum fuerit:

Tot numero talique deus simulacra figura
Imposuit caelo, perque atras sparsa tenebras
Clara pruinosae iussit dare lumina nocti.

Sonus Ovidianus. Figuras astrorum simulacra ille etiam alibi vocavit, unicum hunc locum dico Met. II 194, ubi Phaeton per caelum agitatus videt vastarum simulacra ferarum, hoc est leonem, ursam, draconem, pistricem si quas alias habes. Addendus autem locus tertius erit; Ariadne in Heroid. X v. 81 sqq. mille pereundi figuras videt: si mare prospiciebat, phocae minantur, si terram, lupi leones tigrides. Pergitur v. 95:

Caelum restabat: timeo simulacra deorum.

Itaque mundi tripartiti caelum omittere noluit poeta, cf. Art. II 37: *Restat iter caeli.* Sed *simulacra deorum* absurda; quid enim statuae ad caelum? quid ad timorem? Sensus hic potius fuit quamvis frigidus: caelum videre restabat: sed vel simulacra timeo ferarum. Itaque aut *simulacra leonum* restitue aut acutius: *timeo simulacra timorum;* neque enim hic error librariorum, sed stupida interpolatio est. Denique etiam hic astra simulacra dicuntur. Ceterum commemorare has Ariadnae querelas praepostere scriptas non decet nisi ut de vero statu loci vel transcurrente disputatione monearis. Post v. 87 intercidit aut plus aut unus saltem pentameter quo pisces praeter phocas etiam alii inducebantur. Tum sequebantur vv. 93—98. Tunc hexameter excidit unus, quem excipiebant vv. 88—92. Quibus statim adnexuit poeta versum 99 et sequentia. Cuius rationem iudicii mei ut explicari huic loco parum convenit, ita ipsam se tibi oblaturam esse spero. — Alterum Phaenomenorum compendii fragmentum apud Probum est ad Vergili Georg. I 138: *Ovidius in Ph. dicens de Perseo:*

Pleiades ante genus septem radiare feruntur
Sed tamen apparet sub opaca septima nube.

Radiant scilicet ante Persei genu laevum. Quod si indubitata lectio *genus* est, reputandum propono quod Cicero quoque scripsit in Arateis v. 27: *At propter laevum genus* (Persei) *omni ex parte locatas Parvas Vergilias* eqs. (cf. ibidem v. 45); fingi potest igitur Nasonem adulescentem in ludo rhetorum artiore spatio Ciceronis opus comprehendisse. Certe cum provectioris artis operibus istud componi opusculum nolim. — Atque adulescentiae alterum quoque opusculum est quod ad studia severa magis quam ad lusum ele-

giacum pertinere videatur. Fragmentum dico illud quod continet quidem medicamina faciei, continebat olim potius formae medicamina et quidem feminarum ipso Ovidio teste Art. III 205: parvus, sed cura grande libellus opus. Qui noverit huic poetae ad formam puellarum attinere quid sit visum, non dimidiam sed quintam fere aut sextam partem parvi libelli diem tulisse intelleget quales *parvi* libelli Vergilianorum georgicon sunt (cf. Mus. Rhen. XXXII p. 393). Cura tamen grande opus fuit; nam post exordium amatorium rem suam ex medicinorum scriptoribus graecis curiose sibi prompsit (breviter sed bene hoc dixit Leutsch. Ersch. et Gruber. Encycl. III 8 p. 78), ita ut, elegantissimum si non curas sermonem, plane agnoscere posses praecepta illa medicinalia Celsi Plini aliorum. Inde ipsum *ἀλκυόνειον* in v. 78 quod apud Plinium est et Dioscoridem et Galenum. Iam vero Plinius in libro Nat. Hist. XXX cp. 10 (§ 28 sqq.) ipsum fragmenti nostri argumentum tractat de maculis in facie (cf. Ov. v. 78) de cute in facie custodienda, de vitiis tollendis, quamvis medicamina ipsa aliunde transscribat; (oesypum tamen non ignorabat Ovidius, Art. III 213; Rem 354); deinde cp. 11 (§ 31) de gravedine similibus pauca addit, tum vero pergit (§ 33): *Anginis felle anserino cum elaterio et melle citissime succurritur, cerebro noctuae, cinere hirundinis ex aqua calida poto. Huius medicinae auctor est Ovidius poeta.* Itaque ne quis forte alibi Ovidium etiam prosa oratione ista tractasse somniet, hic ipsius elegiaci nostri carminis inique decurtati testimonium aliquod fragmenque deprehendi firmiter contendo. Nam angina morbus fauces strangulans vel *συνάγχη* in Demosthenis vita quae locum habet licet oculos amatoris minus offendat, poetae tamen non est cur non curae fuerit. Idem in Arte Am. III postquam nonnulla ad augendam formam facientia memoravit, ita de nostro libello v. 207:

Hinc quoque praesidium laesae petitote puellae;

(lectionem variam *laesae petitote figurae* recte repudiavit Riesius): hoc est: talis liber est unde praesidium petant etiam eae puellae, quae morbo laesae vel valetudine affectae sint. Itaque non solum scobem et vitiligines, sed incommoda valetudinis plura tractavit: medearis, puella, gravedini: basiationi obest; medearis anginis: obsunt sermocinanti, atque adeo collum cervicesque lana multa circumvoluta eris! Ceterum ita nimirum versus Artis 207 accipiendus est, ut in parvo hoc libello neque de dentium inertia neque de creta inducenda neque de replendis superciliis poeta

verba fecerit. Plinium vero ita rem egisse ut saepius existumo, ut primarium suum auctorem hoc loco minime abiceret, sed concinere hac in re Ovidium tritissimum recordatus addere suis elegantissimum auctorem festinaret. *Elaterion* verbum ad dactylos facile adhibebatur. In manuscriptis denique quod inscribitur carmini *de medicamine faciei femineae,* haec videlicet librariorum coniectura est non recta neque aptior ea qua illud *de piscibus et feris* Halieuticorum fragmento inscribebant.

Iam vero vides ad doctissimum hoc carmen Nasonem non fuisse impulsum nisi cura rerum humanarum atque amatoriarum; nam etiam eo poeta verus fuit, quod unum hominem spectabat et unam vitam humanam; descendisse eum ad astutias et piscium et piscatoris canendas non nimis simile veri est. Aliter modo talia molitus ante excessum Augusti fuisset! Adulari poeta rectori orbis terrarum potuisset qui interdum piscabatur hamo (Sueton. Aug. 83). Igitur si descendit, exordium videlicet a suo fecit exsilio; ludebat rebus trivialibus, ostentabat vices fortunae quibus praedam capere olim amatorem urbanum docuisset, nunc doceret piscatorem rusticum; excurrebat ad hominum vitam vel heroum; indicabat quod imitaretur exemplum graecum. Itaque verum exordium amissum esse coniecerunt et alii et Leutschius l. l. p. 90. Cuius tamen rei indicium nullum cernitur. Dispositio quoque integra teste Oppiano. Nam etiam hic ipsi capturae piscium praemittit et catalogum nominum l. I, cui adnectitur de natura piscium variorum tractatus usque ad l. II finem, et astutiarum narrationes l. III; vix casu similiter egit poeta latinus; qui uno tantum volumine rem complexurus eo diversus sane est quod ab astutiis quam a catalogo exordium facere iure suo malebat.

Atque ipsa dispositio observata iam satis forsitan refragari videatur coniecturae etiam alteri qua ingrata et ardua istorum versuum excusare volebant: non absolutum carmen esse neque nisi conatum aliquem et adumbrationem perpoliendumque fuisse postea, fortasse ut epistulis ex Ponto insereretur (ita Leutsch. l. l.). Consilio certo deberi patet etiam excursum illum de feris. Sed contra dici plura possunt. Nam mihi equidem ille mirum quantum Musarum expers videtur qui poetas non prosa oratione sed versibus in poemate primis lineis designando uti sibi persuaserit, oblitus idem ut nostri aevi poetarum ita ipsius Aeneidis Vergilianae. Porro si haec non essent nisi collecticiae copiae carmen verum praeparantes, stupefacere nos stupiditas deberet hominis qui graecis liberius usurus legere ea non satis habuisset, sed

etiam vertisset fere ad verbum in hexametros latinos. Namque iam tangenda saltem hoc loco est quam infra explicabimus observatio non simplicior quam gravior in priore certe parte fragmenti scriptorem graeco aliquo exemplo revera accurate obsequi, quod si in capite huius disputationis exposuissemus grammatica fortasse argumentatio tota supervacanea visa fuisset, quandoquidem non nisi liberrime ingeniosissimum poetam alienis uti auxiliis dicet is quoque qui O. Schneiderum de Ibide Callimachi perperam iudicasse atque ad huius imaginem ipsam Ovidianam Ibin deformatam esse intellexerit. Denique illam Ovidi et Halieuticorum sermonis differentiam ex imperfecto statu fragmenti explicare insanire est; sermonem nemo suum exuit; contra minus polita vel celerius scripta propriis poetae magis inundentur oportet. Iucundissima Schilleri nostri praesto comparatio est; cuius fragmenta ne neglegat, qui iudicium de nostra quaestione ferre volet.

Unum addam. Aridum et invenustum fragmentum etiam Zingerleo visum est, maxime vero enumeratio piscium; relegamur tamen ab eo ad enumerationes illas nominum vel heroum vel oppidorum vel canum vel similium quas Ovidius ipse cum alibi tum in Transformationibus ostendit more stili epici quo rerum accurate describendarum studium cum studio coniungitur tardandae actionis tranquillandi animi eventus praeparandi. Quod commemorandum duxi spuria Halieutica esse novo argumento evicturus, Zingerleo duce. Enumerantur in parte posteriore pisces quinquaginta tres; sed qua enumerentur arte animum adverte. Plurimi quidem particulis adseruntur aut *et* aut *que* aut *atque* (*ac*), sed non minus quater *tum* legitur (v. 103. 109. 111. 126), non minus quater omnino particula desideratur (v. 99. 121. 126; de versus 103 lectione non admodum constare dicetur infra); accedit etiam quod semel sine ulla ratione inicitur *quin* v. 113: *Quin laude insignis caudae melanurus*, male; atque locus est ubi aptius poni potuerit; editur enim v. 75:

> Quae laus prima canum quibus est audacia praeceps
> Venandique sagax virtus viresque sequendi.

Prorsus hoc absurdum, nisi *quae* interrogantis esse statues; sed mirum etiam tunc erit; insuper offendet *quibus est,* cum exspectetur: „Quae laus prima canum est? Animi n e audacia praeceps venandine s. v.“ eqs.? Traditur *qui*; scriptum fuit: *Quin laus prima canum*, hoc est: Quin etiam plus equis canes valent. Iam vero ad catalogos ut revertamur, Ovidius ipse nomina canum

duobus praemissis unum et triginta adponit Met. III 210 sqq., neque usquam deest simplex particula copulativa, neque usquam adest insuper aut *tum* aut *quin;* variationis gratia praepositione *cum* eleganter utitur: *cum Laelape* et *Cyprio cum fratre.* Triginta duo nomina adsunt Met. VIII 301, nusquam deficiente copula propria; ter *cum*, semel v. 309 *nec aberat;* idem valet de Met. II 217, ubi nomina 23, semel *cum,* bis per anaphoram *ardet* legitur; idem de reliquis locis, Met. IV 11 (nomina 15), Met. VII 461 (nomina 14) atque ne Epistulae ex Ponto desint, vide IV 10, 47 (nomina 16); cf. Met. VII 352; 224; V 607; XV 754. VIII 664. IX 645 et 690. X 90 et 260. XII 302. Heroid. IX 87. Met. VI 414 et 392. Conferatur Cydippes epistulae v. 81 sqq. Neque Silium ubi inspexi contra facere animadverti neque Vergilium, nisi quod copula caret versus Aen. VII 795, item peccavit Homerus Latinus v. 168, peccavit Lucanus VI 787.

Unum tamen Ovidi editiones quo impugnare regulam possis ostendunt. Scribitur Met. VII 464:

> Hinc humilem Myconon cretosaque rura Cimoli
> F l o r e n t e m q u e S y r o n, C y t h n o n, planamque Seriphon
> Marmoreumque Paron eqs.

Codices vero et reliqua praebent et *Florentemque tyron Cyprum;* unde olim Raph. Regius: *Florentemque Cythnon Scyron.* Vera tamen emendatio bene non cedet nisi ei qui ad particulas attenderit. Accedunt duo quae pressit Micyllus: nam harum Cycladum enumeratarum cum una quaeque adiectivo ornetur, carere una adiectivo sive Cythnos sive Scyros non poterat; deinde tota Asia quidem poetae florens dici poterat non addito quo floreret (Met. XIII 484), poterant etiam Cyclades omnes simpliciter dici florentes (ita in Ciris v. 471): at nostro loco si florens insularum una vocaretur, reliquas non florere intellegendum esset, quod quia absurdum est N. Heinsius non male temptavit: *florentemque thymo Cythnum*, Micyllus male: *fl. auro Siphnon;* nam *Siphnon* potius in v. 466 legendum esse Heinsius vidit. Denique *tyron* etiam speciem prae se fert ablativi simillimam. Atque pro *Cyprum* insano nihil proclivius quam *Cythnum* ponetur quippe cum insula ista proxime iaceat a Seripho; utraque simul adest etiam Met. V 251 sq. Historici quae inter Cycladas regis Minois fuerint enumerare minus solent; at iterum catalogus fere idem est in Ciri ubi v. 475 post Delum ponitur *Cythnus spumanti litore incincta*, deinde Ovidianis verbis *marmorea Paros* cum Vergilius loco simili Aen. III 125 sq.

niveam Paron exhibeat, deinde ex ipso Vergilio sumpta *viridis Donusa,* denique *Aegina* (cf. Ovidi v. 472 sqq.) et *Seriphos sementifera* cum apud Nasonem *plana Seriphos* sit. Iam vero sicut ad Parum designandum unice aptum marmor fuit, ad Cimolum creta (tritissima haec creta Plinio: cf. XXXV 195 sqq. XX 212 XXI 138 et locos plures), sicut Met. VIII 222 fecunda melle vocatur Calymne, ita quaerendum est insulae Cythni quid maxime proprium fuerit; thymum fuisse nescitur; scitur hoc; nam apud Pollucem VI 63 inter alia multa *παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκιμοῦντα* occurrit etiam *τυρὸς Κύθνιός τε καὶ Σικελικός; τυρὸς Κύθνιος* memorabatur Alexi poetae Athen. p. 516 E; *τυρῷ Κυθνίῳ* contentum se dixit Epicurus Laert. Diog. X 11; nam cytisus Cythni erat indeque tralatus in omnes Cycladas, magno casei proventu: Plin. XIII 134. Itaque de lectione Ovidiana iam non dubitabo. Addidici duo: iam enim ubi latina vox (caseo) repugnabat, graeco vocabulo quod minime expectaveramus uti audere Nasonem cernimus, unde concludendum videtur non solum *βούτυρον* (apud Celsum al.) et *τυροτάριχος* (Cicer. ad Att. IV 8 et XIV 16 et ad Famil. IX 16; cf. apud Apicium tyropatinam VII 11) Romano accomodata ori fuisse sed ipsum quoque *τυρόν;* ita ut aliquatenus comparare ex Ovidio liceat lampadas et aulaeum et crateram et pyxidem. Deinde vero quo illud etiam firmetur, temerarie insuper corripuisse poetam cernimus longam *υ* vocalem; defendere eum voles fortasse Theocriteo versu I 58 ubi vocis *τυρόεντα* correpte pronuntiandam esse syllabam primam et Lobeckius ad Sophocl. Aiac. p. 184 agnovit et Meinekius; sed causa alia videlicet; usu Romanorum non transformari soni graeci non poterant; cuius rei exempla in huius disputationis decursu praeclare similia se offerent. In Plauti Mil. Glor. v. 24 ubi *epityrum* memoratur (hoc est: quod vel post caseum vel ad caseum comedatur) quid ipse poeta dederit non satis liquet. Ceterum qui *florentemque Syron* Ovidio dabant et ipsi solemnem certe Graecis mensuram neglegebant. Denique *tyro* sicut singulare est, rei tamen non minus singularis exemplum iniciam. Nam in Horatianis illis *Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota* si forte *diota* in libris non plane legeremus sed vel *diora* vel simile, non minore quam in Ovidio audacia verum refingeres: nam neque in litteris latinis *diota* recurrit et tamen ne recta quidem graeca forma est quae aut *δίωτος* fuisset aut *διωτίς;* itaque latinae consuetudinis, qua graeca violabatur, Horatianus locus testis unus et solus est: cf. Bentleium Carm. I 9, 8 et Zangemeisterum De Hor. vocibus singul. p. 7.

Tamen de versu Ovidi nondum peracta res videtur. Seriphos plana dicitur; eadem in Ciri etiam sementifera; utrumque permirum; saxosa enim potius insula ac lapidosa fuit teste Strabone X 487: *οὕτω δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος ὥςτε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες*, quare interpretes fere omnes planam eam inepte dici consentiebant; Heinsius acquiescebat tamen in ista lectione, ego non satis possum sentioque id unum clare ponendum poetae fuisse quo maxime insula quaeque cognosceretur. Atque in Ciri quis non magis Seriphon expectaverat sementi orbam quam sementiferam? certe *διὰ τὸ σκληρῶς ζῆν* insula in proverbium abierat (Aristoph. fr. 676 D.). Nescio tamen num difficultas utraque una tollatur observatione. Planta fuit *σέριφος* vocata. Iam vero summa specie veri haec Lobeckius scripsit Prolegg. p. 294 vocalem i longam fuisse etiam in herbae nomine probaturus: „*σέριφος* sive *σέριφον* herba .... sine dubio ab insula nomen habet ut buxus (sc. *Πύξος Πυξοῦς*) et thapsus". Conferas etiam Josephi Bell. Iud. VII 6, 3: *Βαάρας ὀνομάζεταί τις τόπος φύει τε ῥίζαν ὁμωνύμως λεγομένην αὐτῷ*. Quid multa? Herbam *σέριφον* insula quia ferebat sementifera poetae audiebat, quo sementis nomine fortasse tanquam ad serendi verbum pertinente graecum sonum (cf. *σέρις*) exprimere videbatur. Quod si verum est, si insularum copiae utriusque reputaris similitudinem, eo devenies ni fallor ut Ovidianum hunc versum rescribas:

Florentemque tyro Cythnon plantaque Seriphon.

IV.

Iam vero quaestio eo vergit ut Plinius viris gravissimis gravissimus visus auctor num de Ovidio Halieuticon scriptore errare potuerit scrutemur. Quod tamen paucis absolvi potest. Scripsit ille XXXII 152 finito magno piscium catalogo: *His adiciemus ab Ovidio posita* nomina *quae apud neminem alium reperiuntur sed fortassis in Ponto nascentia, ubi id volumen supremis suis temporibus incohavit, bovem cercyrum* eqs. Corruptus locus; nam *nomina nascentia* absurdum; igitur Hauptius *nascentium;* durissime me hercule, atque adeo ni egregie fallor non recte; pergi enim deinceps debebat: *bovis, cercyri* eqs. Plinius scripsisse videtur: *ab Ovidio posita animalia . . . in Ponto nascentia,* velut idem antea § 142: *non alienum videtur indicare per tot maria . . . quae intellegantur animalia... eaque nominatim complecti,* ubi nescio num ex-

pectaveris *quae inveniantur* aut fortasse *quae investigantur animalia.* Iam quod primum ille de piscibus Ovidianis *quae apud neminem alium reperiuntur* quamquam credi hodieque solet tamen falsissimum esse et diu cognitum est (cf. Montigny Quaestiones in Plinii . . de animalibus libros. Bonnae 1864 p. 40) et stultitiae ignorationique Plini deberi infra explicabitur. Qua coniectura non verior ea est quam aliunde acceperat, Ovidi carmen esse et quidem Tomis supremis vitae temporibus ab eo incohatum.

Errores huius saeculi similes circumspicientibus Culex carmen se offert. Scimus non solum Statium (Silv. II 7, 73 sq. et I praef.) atque Martialem (XIV 185 et VIII 56, 19 sq.), sed iam Lucanum ipsum Suetonio teste (p. 50 Reiffersch.) Culicem Vergili lectitasse et hunc quidem non sine admiratione, cum illi pariter os rude agnoscerent. Iam quia qui diem tulit Culex post Neronem scribi haud facile potuit, dubitandum non erat quin idem esset atque quem admiratus Lucanus est. Critica illa non fuerunt ingenia. Excusent apud criticos inter se de caeca ista credulitate Lucanus deceptus deceptusque Plinius. Non intellego non unum quemque quicunque primos Culicis versus decem legerit persentire, ita de se loqui solitum non esse modestissimum poetam. At vero nescio num fortasse de origine spuria inter omnes iam conveniat. Ad quod stabiliendum iudicium pauca monui Ad hist. hex. lat. p. 41 sq.; addere tamen linguae castigationes cesso praesertim cum ab infantia Vergili imitatoris infantia quo differat sentiatur facilius quam dignoscatur. Sed proprium transformationis verbum *abire in aliquam rem* (v. 226) Ovidianarum Transformationum memoriae deberi videatur. *Telamonia virtus* (v. 297) pro forti Telamone est (cf. v. 326): ita virtus non stat apud Maronem. Hic semel pluraliter (X 854) *mortes* dicere ausus est: imitator etiam *neces* (v. 310). *Transnare* cum accusativo coniungebat ille (Georg. III 270. Aen. IV 245. VI 671. X 265); hic aliter (v. 214); quo eodem loco est egregium illud *viscera*, atque etiam *Lethaeae undae* pro Stygiis: suspicari tamen possis sonuisse hoc auribus Romanis quasi undae letales sine accuratiore fluminum distinctione, quoniam miro modo Vergilius ipse Hesiodi λήθην (Theogon. 227) latine in letum convertit VII 277 (cf. de hac re Flachium Hermae t. IX p. 114 sq.); possit tamen ipsum *letales* in Culice scribendum videri. Memorabilius hoc dixerim: nam cum Propertius scripsisset II 1, 19 sqq.

Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
  Impositam, ut caeli Pelion esset iter,

Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri
Xerxis et imperio bina coisse vada,

vix casu similia coniunxit Culicis poeta v. 27:

Triste Iovis Rhoetique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus,
Nec Centaureos Lapithas eqs.
Nec perfossus Athos nec magno vincula ponto
Iacta meo quaerent iam sera volumine famam

et quae sequuntur. Quae exceperat versus 35 hunc in modum:

Mollia sed tenui pede currite, carmina. Versus
Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet;

de quo loco disputavi l. l. p. 17. Iam qui rem probent probaturos etiam lectionem esse spero.

Idem num etiam *Erichthonios* adiectivo v. 336 uti a Propertio II 6, 4 didicerat? Ambigo etiam de v. 245. Facienda coniectura erit, simul tamen res alia tractanda eaque gravissima. Initium faciat Culicis versus 400. Pastorem hic legimus tumulum quem modo exstruxerit conserere (v. 398) floribus plurimis; sequitur florum ipsorum catalogus isque concluditur verbis insolentissime scriptis v. 411: *his tumulus super inseritur* (!). Quia autem seruntur flores, non crescere dici ii possunt sed fore potius ubi crescant; quare v. 399 cum ad *crescent* accedat varia lectio *crescit* scriptum tamen fuisse non potest nisi *crescet.* Iam v. 400 ad acanthum et rosam additur *Et violae omne genus*, sequuntur nomina alia. Illud vero quid sit reputemus. Totum genus violarum quotquot in terris sunt significari infacete sumatur. Reliquum est ut omnia genera violae dicta putemus; sed multa eius omnino non sunt genera, neque varia poetae hi distinguere violaria didicerant nisi quod modo nigra magis modo pallentia praedicant. Accedit quod in toto hoc catalogo observatur herbarum nominibus adiectivum aut nullum adici aut tale quo natura unius cuiusque apte illustretur; itaque viola si omnino dicenda odora fuit vel humilis. Quapropter haec potius poetae verba fuisse debent:

Hic et acanthus
Et rosa purpureum crescet pudibunda ruborem
Et viola — omne genus! — hic crescet Spartica myrtus
Atque hyacinthus et hic Cilici crocus editus arvo eqs.;

quorum sensus fuerat nimirum: „florum hic omnia genera crescent“, iniciturque *omne genus* ut indicetur, cur tanta tamque

luxuriante nominum enumeratione infra molestus scriptor esse pergat; nomina enim ponit non minus octodecim! Ad Lucreti vv. II 759 et V 440 comparationem vix est quod voceris. Ceterum *crescet* bis scribi fere necessarium fuit, inque v. 399 Vossianus maxime liber sequendus; cernitur autem summa insolentia scriptoris altera qua *pudibunda ruborem* construxerit ad similitudinem structurae etymologicae: *pudens pudorem*. Purpureus pudor dicitur ex imitatione Ovidi Am. I 3, 14; II 5, 34 (cf. Anthol. lat. Ries. 217, 3). Iam vero postquam tersiorem locum istum legendum dedimus, in ipsam artis qua compositum istud carmen sit observationem incumbamus nescio num planiorem an graviorem quaeque quod Hauptium fugit limae poeticae observatorem singularem nonnunquam aliud egisse vir summus cum Culicem ederet dicetur. Id enim istius poetae vocalium conlidentium odium fuit ut synaloepha abuteretur rarissime neque ubi abutebatur elidi sineret nisi vocalem brevem. Nunc vero non paucis locis etiam longae absorptae ab insequente vocali syllabae leguntur hiatu duriore; qui versus sunt:

73 Otiaque invidia degentem ac fraude remota
140 Ilicis et nigrae et species Lethaea cupressus
245 Otia quaerentes frustra situlae, ite puellae
248 Atque alias alio densas supero agmine turmas
266 Femineum incorrupta decus manet, et procul illa
272 Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
279 Blanda voce sequax regionem insederat Orphei
380 Et tamenestsi audis dimittes omnia ventis
393 Gramineum ut viridi foderet de caespite terram.

Vide quam inprospere rem gesserit hominum doctissimorum sagacitas. Scilicet casu factum esse quis credet quod versus illi in libris manuscriptis omnes fere ad unum se offerunt nitidi et puri et hiulca lectionis molestia liberi? Igitur recurrendum ad libros erit utendumque ad veram lectionem via rectiore. Restituendum in v. 73 e libro maxime Vossiano:

Otiaque invidiae degentem fraude remota;

in v. 140 ubi traditum est:

Ilicis et nigrae species et laeta cupressus,

scriptum plane fuerat:

Ilicis et nigrae species nec laeta cupressus,

id est: et tristis cupressus; sicut e. g. Propertius III 28, 52 *nec proba Pasiphae* pro: et improba Pasiphae. Genus autem hoc emen-

Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri
  Xerxis et imperio bina coisse vada,

vix casu similia coniunxit Culicis poeta v. 27:

Triste Iovis Rhoetique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus,
Nec Centaureos Lapithas eqs.
Nec perfossus Athos nec magno vincula ponto
Iacta meo quaerent iam sera volumine famam

et quae sequuntur. Quae exceperat versus 35 hunc in modum:

Mollia sed tenui pede currite, carmina. Versus
Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet;

de quo loco disputavi l. l. p. 17. Iam qui rem probent probaturos etiam lectionem esse spero.

Idem num etiam *Erichthonios* adiectivo v. 336 uti a Propertio II 6, 4 didicerat? Ambigo etiam de v. 245. Facienda coniectura erit, simul tamen res alia tractanda eaque gravissima. Initium faciat Culicis versus 400. Pastorem hic legimus tumulum quem modo exstruxerit conserere (v. 398) floribus plurimis; sequitur florum ipsorum catalogus isque concluditur verbis insolentissime scriptis v. 411: *his tumulus super inseritur* (!). Quia autem seruntur flores, non crescere dici ii possunt sed fore potius ubi crescant; quare v. 399 cum ad *crescent* accedat varia lectio *crescit* scriptum tamen fuisse non potest nisi *crescet.* Iam v. 400 ad acanthum et rosam additur *Et violae omne genus*, sequuntur nomina alia. Illud vero quid sit reputemus. Totum genus violarum quotquot in terris sunt significari infacete sumatur. Reliquum est ut omnia genera violae dicta putemus; sed multa eius omnino non sunt genera, neque varia poetae hi distinguere violaria didicerant nisi quod modo nigra magis modo pallentia praedicant. Accedit quod in toto hoc catalogo observatur herbarum nominibus adiectivum aut nullum adici aut tale quo natura unius cuiusque apte illustretur; itaque viola si omnino dicenda odora fuit vel humilis. Quapropter haec potius poetae verba fuisse debent:

Hic et acanthus
Et rosa purpureum crescet pudibunda ruborem
Et viola — omne genus! — hic crescet Spartica myrtus
Atque hyacinthus et hic Cilici crocus editus arvo eqs.;

quorum sensus fuerat nimirum: „florum hic omnia genera crescent“, iniciturque *omne genus* ut indicetur, cur tanta tamque

luxuriante nominum enumeratione infra molestus scriptor esse pergat; nomina enim ponit non minus octodecim! Ad Lucreti vv. II 759 et V 440 comparationem vix est quod voceris. Ceterum *crescet* bis scribi fere necessarium fuit, inque v. 399 Vossianus maxime liber sequendus; cernitur autem summa insolentia scriptoris altera qua *pudibunda ruborem* construxerit ad similitudinem structurae etymologicae: *pudens pudorem.* Purpureus pudor dicitur ex imitatione Ovidi Am. I 3, 14; II 5, 34 (cf. Anthol. lat. Ries. 217, 3). Iam vero postquam tersiorem locum istum legendum dedimus, in ipsam artis qua compositum istud carmen sit observationem incumbamus nescio num planiorem an graviorem quaeque quod Hauptium fugit limae poeticae observatorem singularem nonnunquam aliud egisse vir summus cum Culicem ederet dicetur. Id enim istius poetae vocalium conlidentium odium fuit ut synaloepha abuteretur rarissime neque ubi abutebatur elidi sineret nisi vocalem brevem. Nunc vero non paucis locis etiam longae absorptae ab insequente vocali syllabae leguntur hiatu duriore; qui versus sunt:

73 Otiaque invidia degentem ac fraude remota
140 Ilicis et nigrae et species Lethaea cupressus
245 Otia quaerentes frustra situlae, ite puellae
248 Atque alias alio densas supero agmine turmas
266 Femineum incorrupta decus manet, et procul illa
272 Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
279 Blanda voce sequax regionem insederat Orphei
380 Et tamenestsi audis dimittes omnia ventis
393 Gramineum ut viridi foderet de caespite terram.

Vide quam inprospere rem gesserit hominum doctissimorum sagacitas. Scilicet casu factum esse quis credet quod versus illi in libris manuscriptis omnes fere ad unum se offerunt nitidi et puri et hiulca lectionis molestia liberi? Igitur recurrendum ad libros erit utendumque ad veram lectionem via rectiore. Restituendum in v. 73 e libro maxime Vossiano:

Otiaque invidiae degentem fraude remota;

in v. 140 ubi traditum est:

Ilicis et nigrae species et laeta cupressus,

scriptum plane fuerat:

Ilicis et nigrae species nec laeta cupressus,

id est: et tristis cupressus; sicut e. g. Propertius III 28, 52 *nec proba Pasiphae* pro: et improba Pasiphae. Genus autem hoc emen-

dandi cui adplicetur locus hic neque primus est neque vero ultimus (cf. in Horati carm. I 9, 2 errorem codicis Turicensis). Porro v. 266 corruptus ita:

Femineum concepta decus manet;

ubi *conspecta* facile agnosces; ceterum expectabam:

Ecce Ithaci coniunx semper decus Icariotis
Infernum conspecta decus manet.

Item versus 393 sine molestia nisi grammatica exstat ita:

Gramineam viridi foderet de caespite terram;

hoc est:

Hunc et in orbem
Destinat ac ferri capulum repetivit in usum (in orsum?)
Gramineam viridi fodit et de caespite terram.

At vero egregie in v. 272 furor in libris dicitur audacia Orphei:

Nec timuit Phlegethonta furens, ardentibus undis:

hoc est: quamvis undae arderent.

In versu porro 380 quod Hauptio debetur *tamenetsi* rarissime legi apud poetas monuit L. Muellerus de re metr. p. 273 non comparans ille nisi Enni Ann. v. 512, cum tamen addendus esset Catulli 68 B v. 95. Habent autem libri fere:

Et tamenut vadis dimittes omnia ventis;

quae nata ex hac videntur scriptura (plenum locum exhibeo):

Sed tolerabilibus curis haec immemor audis
Et lamenta vagis dimittes omnia ventis!
Digredior nunquam rediturus. Tu cole fontis
Et viridis nemorum silvas et pascua laeta.
At mea diffusas rapiuntur dicta per auras.

Librarii quo peccaverint unus tantum modo locus est; scripsit enim poeta de turba vocem blandam sequente v. 279 haec potius:

Blanda voce sequax regione insederat Orphei;

regionem codices. Summam autem aspretudinem versibus 248 et 245 addidit Hauptius quamvis in altero statui posset vocis *supero* pronuntiatio correptior; nihil enim a tali violentia magis alienum quam et sextus pes hexametri et quintus. Si tali poetae quid conveniret magis curasset in v. 248 ubi *super* libri vitiose servant edidisset:

Atque alias alio densas sequor agmine turmas.

Quae omnia si recte et disputata et iudicata sunt, eo acrius iam eripienda Danaidibus et elidenda Hauptiana illa situla erit v. 245

quamvis exquisita. Cuius in locum, cum in libris versus fere talis appareret:

Otia quaerentem frustra siblite (vel *sublite*) puellae

olim quidem dolia sollemnia suffeci hunc in modum:

Dolia quaerentes frustra supplere, puellae;

id quod aliis fortasse locorum aliorum, mihi Propertiani loci memoriam excitat II 1, 67:

Dolia virgineis idem ille repleverit umbris;

supplere enim usurpatum quasi *replere* sit non male profecto audaciae hominis convenit; sed etiam similiter usurpabatur Ovidio Met. VII v. 291. Neque tamen in his conquiescere ego satis possum; modulo enim ac pede quisque suo etiam poetarum metiendus est; isti quid versibus iniungere placuerit doceant libri manuscripti; subitum enim ingenium a Tantalo et Sisypho ad puellarum turbam temeraria et sanequam ardua exclamatione provectum ita potius video (v. 239 sqq.; temptandus simul fuit v. 244):

Terreor a tantis insistere, terreor, umbris:
Ad Stygias revocatus aquas, vix ultimus, amni
Exstat, nectareas divom qui prodidit escas,
Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quin saxum procul advorso qui monte revolvit,
Contempsisse dolo quem numina vindicat orcus,
Otia quaerentem frustra! Supplete, puellae!
Ite! quibus taedas accendens tristis Erinys
Sicut Hymen (pro fata) dedit conubia mortis.

Denique subtilissimam hanc in Culice infracte loquendi abstinentiam tandem si dis placet perspectam Vergili pueri temporibus vindicare quis audebit?

De compositione poematis hoc submoneatur. Quae de pastore et de dracone leguntur prompsisse sibi scriptorem ex Georgicis III 417 sqq. l. l. demonstravimus qui ipse color a Vergilio promptus ex Nicandri Theriacis fuit v. 21 sqq. Ita in Nucis elegia oratoria largitate profunduntur quae in parco graeco condita cernuntur epigrammate Anth. Pal. IX 3; ita Ciris poeta Vergilianum locum thema quasi esse suum quod explicet ipso fine carminis testatur. Ea autem res inaudita, de culicis agere fatis doctum poetam. Batrachomyomachiam suam Homero Romano dare voluisse posteriores (cf. Stati Silv. I praef.) si dixerim non male dixisse videar. Sed unde tandem fluxit inventio illa ut videtur absurda insectam bestiolam istam humationem quasi ius suum ab homine quem

servaverat impetrare, ridiculum Elpenorem? Vellem ad hoc attendissent epyllion qui fabellas aniles et nutricularum *μυθάρια* iam conquirere ex antiquitate quoque susceperunt. Tales nugas pueriles puerum maxime decere Maronem falsarius putavit sed obtruncavit misere, ut iniceret praemonstrantia os hoc futurum grandissimum. Pastoris vitam sua vita cariorem sibi duxit culex; pietas valet inter utrumque et par officium (v. 211. 225. 231); memorabile videtur quod et senex et inbecillus pastor dicitur (v. 388); memorabilius et sane quam mirum hoc, quod in tota sua oratione culex tumulum non plane postulat, sed etiam apud inferos conscium pastorem adesse vult (v. 378; cf. illud *par officium* v. 231); quamquam postea quasi beneficio laeto vivere illi concedit (383) et adornando tumulo culici pastorem satisfacere poeta statuit „pro vitae munere funeris officium“ (414). Ad comparationem voco anguillam illam apud Zenobium IV 64 quae a Cissami Coo debitam humationem postulat, et ipsa sicut culex (Cul. v. 183) *alumnus humoris.* Legimus enim: *Κίσσαμις Κῶος· οὗτος ἦν ὁ πολυθρέμματος· τούτῳ φασὶν ἔγχελυν ἐπιφαινομένην κατ᾽ ἔτος τὸ κάλλιστον τῶν προβάτων ἁρπάζειν· καὶ τὸν Κίσσαμιν ἀνελεῖν αὐτήν· φαινομένην δὲ αὐτῷ κατ᾽ ὄναρ κελεῦσαι καταθάψαι αὐτήν· τὸν δὲ μὴ φροντίζοντα παγγενῆ ἀπολέσθαι.* Itaque pleniorne fabula talis fere fuerat (nam num etiam complicatiora subsint videant doctiores quique variorum populorum fabellas conquirunt)? Societatem inierant pastor senex et culex animal; convenerat inter amicos vivere una et una mori et bona et mala una pati et opem ferre invicem. Iam tutos dies culex degebat; homini autem ipse pericula praenuntiabat leviter pungente aculeo. Accidit autem uno aliquo die ut obdormisceret pastor. Eum ubi fortius punxit monitor bonus misere contritus atque adeo mortuus neglectus est; tantum enim somnus valebat, ut amicum suum pastor ne respiceret quidem. Proxima vero nocte umbra culicis pastorem impium querimoniis adiit, pactionis admonuit, pro munere vitae par officium expostulavit. Haec ultima senis nox fuit; si quem enim voce compellunt deliciarum suarum manes, pro omine mortis facile habeatur. Quare postridie dum ille tumulum manu struit imbecilla, labore et dolore fractus et subito emortuus esse fertur et in tumulo positus ipse et apud inferos deliciis suis adfuisse et testis et vindex et socius. Tales igitur nugas parodicas fere et sane quam absurdas quaeque ad regem cantiunculae Goethianae adsonant qui pulicem et habebat et amabat, si illis saeculis decantatas omnibus fuisse statuerimus,

intellegemus ad admirationem tunc adspirare potuisse poetam qui argumento maximopere triviali grandissimam induisset tractationem.

Praeterea scilicet res inseruntur heroicae. In quibus quae de Orpheo et Eurydice narrantur efficta aperte sunt, quod latere potuisse miror, ex iis quae Gallo expulso libro Georgicon IV Vergilius indiderat; compara et totum et singularia haec: Adit apud alterum Orpheus *alta ostia Ditis et ipsas domos leti et intima Tartara* (Verg. v. 467 et 481), apud alterum adit *maesta obtenta Ditis ferrugine regna Defossasque domos ac Tartara nocte cruenta obsita* (Cul. 273. 274); apud illum *Cocytus* et *Styx,* apud hunc cernitur *Phlegethon* (Cul. 272). Ibique sunt *nescia humanis precibus mansuescere corda* (Verg. 470); hoc est illud: *Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam credidit* eqs. (Cul. 270 sq.). Cul. 278—285 ad fortunam Orphei antea valentem excurritur, ubi ni fallor flagitabis: Tum *rapidi steterant amnes* atque Tum*que imam viridi radicem moverat alte Quercus humo* (*strepitans ramis?*). Sequentia plane ita interpungenda:

Haec eadem potuit Ditis te vincere coniunx
Eurydicenque viro ducendam reddere. Non fas,
Non erat: Invictae divae exorabile numen!

cf. de Proserpina Verg. v. 487, ubi quae de Eurydice sunt ad superas auras veniente, explicantur Cul. 289—291. Respexit Orpheus Verg. 491; cf. respectus Cul. 269. Misera Eurydice Verg. 494; cf. Cul. 268. Crudelia fata sunt Verg. 495; crudelis Orpheus Cul. 292, sed non solus Orpheus; nam aut vocem *magis* cum poneret ineptiebat scriptor aut scribebat:

Sed Styx crudelis: crudelis tu magis, Orpheu!

Deinde illud in Culice v. 294: *Dignus amor venia, gratam si Tartara nossent* (ita corrige; quippe amorem gratum noverat raptor Proserpinae) explicatur iam Vergiliano hoc versu 489: (Dementia cepit amantem) *ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes.* Versum Cul. 295 bene sanavit Ribbeckius, non bene traiecit: *Peccatum meminisse tuom, grave sede piorum:* hoc est: eo peccavisti, quod in lethaea ora oblivione non captus es. Perrexisse autem scriptor videtur: *Vae! manet heroum contra manus.*

Itaque Culex ortus mendacio ac simulatione falsarii. Non deest quod addi possit. Tenere Quintilianus se dixit libros Hermagorae nomine inscriptos quos tamen si quis res expositas perpendisset Hermagorae non esse intellegeretur III 5, 14: *sive falsus est titulus sive alius hic Hermagoras fuit.* Tamen idem in alia re

minus caute Quintilianus. Certissimum est (nam interpolationis coniecturam et Halmius refutavit Sitzungsber. d. Muench. Acad. 1866 p. 513 et explicatius Jordanus in Hermae XI p. 312 sqq.) oratoriae rei cognitorem deceptum indigne esse adulterina illa Sallusti in Ciceronem controversia; cuius non solum verba advocat (IV 1, 68 et IX 3, 89), sed etiam tanta et confidentia et neglegentia sequitur auctoritatem, ut Ciceronis carminum esse dicat quae non esse videntur (XI 1, 24; cf. Jordan. l. l. p. 315). Iam magis etiam Quintiliano libris plurimis volutatus Plinius si in cuiusque libelli fidem et auctorem inquirere monitus fuisset, pro parsimonia sua temporis: nullus liber tam suspectus, exclamasset, ut non aliqua parte prosit; cur ergo interpellabas? decem amplius versus perdidimus!

At vero cautius sane et considerantius de Horatio egisse antiquitatem video. Ita de eo Suetonius (p. 47 Reiff.): *venerunt in manus meas et elegi sub titulo eius et epistola prosa oratione quasi commendantis se Maecenati. Sed utraque falsa puto; nam elegi vulgares, epistola etiam obscura, quo vitio minime tenebatur.* Atqui non solum epistulam sed ipsos quoque elegos fuisse quasi commendantis se Maecenati re grammatica efficitur. Orti igitur elegi subditicii ex eadem officina fuere unde nostra quam legimus Elegia ad Maecenatem atque huius elegiae scriptor ipsius Lolli amicitiam odiosam iactat v. 10 quam Horatius quoque in carminum quarto libro professus est. Iam poemata talia vide quam facile ab Horatio dignoscere Suetonii debuerint. Vosque ergo cessabitis tandem ad exercitationes istas indignas et vere volgares provocare qui ipsorum Horati carminum partem aut magnam aut minorem a simili falsario oriri potuisse firmare studeatis!

Quod autem Seneca philosophus Tibulli carmen pro Ovidiano legisse videtur, res prorsus incredibilis est. Legitur apud eum Natur. Quaest. IV 2, 2: (in Aegypto) *proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille* (Nilus) *magnus influxit aut parcior. Nemo aratorum adspicit caelum. Quare non cum poeta meo iocor et illi Ovidium suum inpingo? qui ait:*

nec Pluvio supplicat herba Iovi.

Locus plenus errorum. Nam primum quemnam usquam quaeso poetarum Seneca suum poetam sine nomine dicere poterat? Porro quis omnino fuit cui suus Ovidius impingi posset? Porro quidnam omnino ioci inest in carmine Tibulliano I 7 quod perstringit philosophus? Denique cur tali interrogatione satis admirabili rumpi disputationem sivit suam? Legatur Tibullus (v. 23 sqq.):

Nile pater, quanam possim te dicere causa
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirin
Barbara, Memphiten plangere docta bovem;

sequitur autem laus cum Osiridis tum vero uvae et Bacchi Aegyptiaci apta ea bacchanti poetae. Seneca furorem istum Niloticum non poterat non improbare malignusque ita poetam ne nominatum quidem castigasse mihi videtur: *Nemo aratorum adspicit caelum. Qua de re non cum poeta* [debacchor] *et illi bovem deum suum inpingo, qui ait* eqs. Dubium relinquatur sub *meoiocor* (habent libri etiam *in eo iocor*) quid tandem lateat. Quia autem Aegyptiaca orgia cogitantur, suspicionem meam celare nolo quamvis nove antiquam: *Qua de re non cum poeta mareoticor et illi bovem deum suum inpingo qui ait*: quod fere dictum sit sicut vilicari possessio dicitur a vilico.

V.

Iam quali falsario Halieutica tribuenda sunt? Prius indagetur tempus quo scripserit. Notabile iam hoc forsitan videatur. Seneca in Phaedra fabula canticum exhibet venaticum; ibique de canibus legitur v. 41 sqq.:

Nunc demissi nare sagaci
Captent auras lustraque presso
Quaerant rostro eqs.

Exquisite haec dicta; non minus exquisite in Halieuticis de canibus haec v. 76 sqq.:

(Quibus est) sagax virtus viresque sequendi,
Quae nunc elatis rimantur naribus auram
Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro —;

casui similitudo cedatur; tamen si cui casu orta non videatur, veriusne Senecam tragoedias scribentem adiisse dicet piscatoriae artis fragmentum an falsarium poetam plurimos colores qui aliunde sumpserit colorem Annaeanum adpinxisse reliquis?

Procedatur ad versum fragmenti 95 qui cum totam fere quaestionem absolvat aegre a me reservatus est:

Hippuri celeres et nigro tergore milui.

Miluum trisyllabum pronuntiabant antiquiores, usque ad Phaedrum I 31, 3 et Persium IV 26 cui pro *milvus oberrat* iam restitutum est suum *miluus errat*. Pro duabus syllabis hodie positum non cernitur ante Martialem IX 55 et Iuvenalem IX 55. Hoc intolerabile in Ovidio esse (supervacaneum est enim adferre Ovidi Am. II 6, 34; Met. II 716; Fast. III 794) intellexit Lachmannus (ad Lucretium p. 379). Legere ideo iussit: *et nigro tergore iuli*. Id quod docto studio recepit Merkelius. Atque aliquid sane speciei coniecturae additur celeriore Plini excerptorum comparatione (§ 152sq.) quandoquidem ibi citatur iulus piscis qui apud Ovidium istum frustra quaeritur; accuratius tamen inspicientes iam haeremus: ordinibus enim Plinius carmen excerpsit aperte duobus; atque eorum prior quo magis nomina nova quam res novae respiciuntur curiosissime sequitur versuum ordinem traditum: bovem v. 94, cercyrum 102, orphum 104, erythinum 104, iulum? mormyras 110, chrysophryn 111, *parum (*percam* legas necesse est) 112, tragum 112, *melanurum 113, *epodas 126; altera serie res quattuor ponuntur de channe 108, glauco 117, pompilo 101, chromi 121 (pompilus molestus magisne apud Plinium an in ipso carmine rectum locum amiserit infra quaeramus), quibus additur observatiuncula aliqua ipsius Plini de versu 96. Ita etiam § 11sq. Plinius priorem carminis partem referens rerum ordinem retinuit: scarum ex v. 9, lupum 23, muraenam 27, polypum 32, mugilem 38, lupum 39, muraenam 43, anthiam 46. Porro Plinius dum excerpit nomina carere adiectivis ornamentis noluit nisi quae carent in ipso poemate, quod valet de bove, de perca, de trago, neque non nimirum de orpho quippe quem poeta concolorem quidem cantharo dixerat, at non ipsum dixerat canthari abstrusi colorem! Itaque nigrum tergore iulum et plene repetiisset Plinius et post erythini mentionem factam. Magis etiam ab ista coniectura Lachmannus abstinuisset si explorasset rem: ἴουλος appellari non piscis solet, sed vermes qualia τὰ ἔντερα τῆς γῆς dixit Numenius (Athen. p. 305 A), pertinens ad insecta alis carentia, Aristot. H. A. p. 523 B 18 ed. Acad. Ber. Piscis ἰουλίς, semper apud prosaicos, fere semper apud poetas (cf. schol. Oppian. Hal. II 434), ter tantum formam ἴουλοι supponi video, in Eratosthenis Herma apud Athen. p. 284 D, apud Oppianum Hal. III 186 (capiuntur quidem etiam verme pisces; hic tamen notari piscem reliqua evincunt), apud Marcellum Sidet. v. 15, semper in fine metri ubi ἰουλίδες locum non habebant. Itaque formam illam nominis doctis epicis graecis concessam latinum scriptorem praetulisse quis sibi persuadeat?

Neque nimirum iulus piscis ab iulide pisce diversus esse potest, sed ita uterque coniungitur velut κάνθαρος et κανθαρίς, σκόμβρος et σκομβρίς similia plura; ideo apud Marcellum πετρώεντες audiunt ἴουλοι, velut πετρήεσσα ἰουλίς est in Leonidae Tarentini epigrammate Anthol. Pal. VII 504; nam ab Aristotele quidem H. A. p. 610B 6 inter τὰ ἀγελαῖα ponitur, ab Oppiano inter saxatilia I 124. Prima piscium capi solet iulis; idem de iulo valere apud Eratosthenem l. l. videtur, ubi certe primus ei locus datur. Sed moleste cautus videor; iam non nigro tergore iulides sunt, sed variae quam maxime multisque splendentes coloribus: ita apud Gesnerum Animal. marit. p. 25 legimus: „iulis: piscis vix digito longior, varius: nimirum dorso violaceo: a capite ad caudam subauream lineam ductam habet, hinc et inde rostri modo dentatam: cui pars quae subest colore est caeruleo, venter candido flavescente eqs. sec. Rondeletium; et postea: non est una iulidum species, inquit Bellonius, evariant enim colore, sed semper revertuntur ad suas notas quibus ab invicem discernuntur." Qua de causa germanice piscis non solum meeriunker vocatur, sed regenbogenfisch. Ideo ipse Oppianus IV 443 ποικίλον σῶμα pisciculi memoravit, itemque idem II 434 βαλιῇσιν ἰουλίσι quam lectionem indubiam anceps ut fieri solet scholiasta explicat καταστίκτοις ἢ ταχείαις. Et est celer piscis; sed quoniam apud bonos scriptores vindicari adiectivum non solet nisi feris, cf. Eurip. Alc. 519; Hec. 90; Rhes. 356; Anthol. Pal. VI 326, ubi fieri potest colorem cogitemus; quod necessarium nimirum de Dionyso Thracio βάλις dicto (habet Etym. Magnum Βαλίαι αἱ ταχεῖαι .... καὶ βαλιὰ διαποικίλος [sc. δορά?] καὶ βάλιν τὸν Διόνυσον Θρᾷκες); tamen minus hoc cum Lobeckio Aglaoph. p. 293 de varia dei veste explicaverim quam de νεβρίδι aut etiam de pantherae pelle quibus creberrime ornatus deus in vasculariis picturis cernitur. Ceterum apud inferiores velut ποικίλος αἰόλος etiam βαλιός vento celeri datur similibus; tamen Pseudooppiani Cyn. II 314 neque *celer* cum scholiasta neque *varius* interpretor sed *variabilis*. Denique idem antiquitus vocabulum esse βαλιός Graecorum Latinorumque *varius* vereor ne hodieque viros doctos fugerit.

Satis intellexisse videmur in Halieuticis latinis ubi non habuerit locum iulis. Sed verus etiam locus monstrari potest. Quem fuisse inter erythinum v. 104 et inter mormyres v. 110 Plinius testis est. Iam inspicias velim v. 105:

. . Insignis sargusque notis, insignis et alis.

Non iam caecutiendum amplius est. Piscium πτερύγια pinnas

dici, non alas ne puer quidem nescit; neque vel ipsi hirundini pisci aut miluo aut loligini qui volare ferebantur alas tribuit antiquitas. Illa qualia leguntur accipere latinus quisque ita debebat, sargum piscem axillas habuisse, ideo nimirum et bracchia et pedes velut rana marina apud Plin. IX 159 et alas et pedes habet et clunes. Atque etiam si alae pro pinnis habitae essent, notae quidem insigne aliquod sunt, pinnae minime — defectus potius pinnarum insigne fuisset. Itaque in corruptela aperta confidenter reponimus

Insignis sargusque notis, insignis iulis.

In quibus *notis* ad duplex *insignis* facilius trahebatur quam in versu ita scripto: Insignisque notis sargus, insignis iulis. Verissime autem ita colores iulidis notari ex verbis Gesneri concludas quae adposuimus; neque enim nimirum notae idem atque maculae, veluti de sargo quoque apud Gesnerum reperimus: „circa branchias et caudam in eo nigra nota satis ampla apparet: et lineae subnigrae a branchiis ad caudam ducuntur — quae omnia cum melanuro communia habet“, quae scripta sunt ipso Aristotele duce qui sargum aeque ac melanurum et *πολύγραμμον* et *μελανόγραμμον* et *ὀρροπυγόστικτον* dixerat teste Athenaeo p. 313D. Corruptelae similis certe exemplum adferam Heroidis Ovidianae XIV versum 103 ubi cum antiquitus legatur:

Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras?

mihi quidem latere non nimis tecte videtur: *quid* et o! *freta longa pererras* (cf. e. g. *tuque o!* Vergil. Georg. I 12). Apud Plinium vero pro *iulum* rectiorem formam *iulim* facile iterabis, velut *orphum* statim antea pro *orphim*. Pervolitans ille carmen praedicari de iulide nihil nisi insignem esse existumavit ideoque huic suum epitheton dare supersedit. Quod si etiam nunc *sparulum* scribere males, haec ea via est, qua etiam ex apice extricabitur scytalosagittipelliger. Denique in v. Hal. 95 scriptum fuisse nihil potest nisi *milui* (antiqua scriptura *milii*) — si quidem tantam silvam nominum piscium traditam tenemus ut totam paene veterum cognitionem amplecti videamur. Nigro tergore esse miluos vel *ἱέρακας* quo confirmem non habeo; certe avis nomen non propter coloris similitudinem acceperant, sed velut hirundines pisces quia volare dicebantur (Plin. IX 81, Oppian. Hal. I 428) quamvis tardius (Oppian. v. 435), sicut etiam inter miluos aves fuerunt qui tardius volarent (Dionys. de avibus I 6). Deest nomen et apud Aristotelem et apud Athenaeum. Ex Marcello comparanda *ἅρπη* videatur, ex piscium indice a Plinio servato XXXII 145sqq.

ἰκτῖνος (media syllaba huius nominis brevis apud Philen Propr. An. 688). Sequitur autem Lachmanno ipso iubente neque iniussu sanae rationis ut Halieutica non ante Phaedrum Persiumque scripta esse contendamus.

Subnotentur pauca de anaphora poetica siquidem in versu 105 qualis traditur *Insignis sargusque notis insignis et alis* aliquatenus offendimur etiam voce *et*. Contra cum ea quam nos restituimus sermonis forma conferatur e. g. Vergili Aen. XI 641:

Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Deicit Herminium;

in quibus anaphora tota voce *que* ad antecedentia adligatur. Anaphorae autem hoc summum munus est, ut particularum gratiam scriptori faciat. Quod et per se patet et perpulchre e. g. Ovidiano loco Met. XIII 355 sqq. illustrabitur:

peteret moderatior Aiax
Eurypilusque ferox claroque Andraemone natus
Nec minus Idomeneus patriaque creatus eadem
Meriones, peteret maioris frater Atridae.

Itaque praeclari versus Vergiliani Propertiani Tibulliani aliorum:

Regalisque accensa comas, accensa coronam
O dulci iocunda viro, iocunda parenti
Lectos Caere viros, lectos Cortona superbi
Centum quae silvas, centum quae flumina servant
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae
Lecto te solum, lecto te deprecor uno
Prima petit non illa virum, non illa pericli
Di patrii servate domum, servate nepotem
Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum
Audiit et Triviae longe lacus, audiit omnis
Noli nobilibus, noli conferre beatis
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator
Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes
Haec urant pueros, haec urant scripta puellas
Vobiscum est Iope, vobiscum est candida Tyro
Verbera sunt praecepta fugae, sunt verbera freni
Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna
Venit et upilio, tardi venere bubulci

atque Ovidi ipsius:

Quo properas ingrata viris, ingrata puellis

Purpureos laniata sinus, laniata capillos
O patriae praelate meae, praelate parenti
Interea crescente Remo, crescente Quirino
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore
Longa internodia crurum, Longa manet cervix
Templorum positor, templorum sancte repostor
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Non illud Pallas, non illud carpere livor
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis
Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes
Utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis
Sensit equum, sensit volucrem crinita colubris
Vidisset lacrimas, vultum vidisset amantis
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos
Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant
Pirithoi virtute Lycum cecidisse ferebant, Pirithoi virtute Chromim
In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
Dira canam. Procul hinc natae, procul este parentes
Illic et nebulas, illic consistere nubes
Multi illum iuvenes, multae cupiere puellae
Multas silva tegit, multae stabulantur in antris.

Hic igitur adstrictior usus in hexametris quidem scribendis valebat. Pentametri vero sunt quorum molliori arti talia condonarint, velut Tibullus I 1, 78; 4, 82; II 5, 100:

Despicium dites despiciamque famem
Deficiunt artes deficiuntque doli
Cespitibus mensas cespitibusque torum

quibuscum compara Ovidi Heroid. IV 112:

Pirithoum Phaedrae Pirithoumque tibi;

item epist. Sapphus v. 54:

Nisiades matres Nisiadesque nurus;

quod effingitur in Epiced. Drusi v. 112:

Ausoniae matres Ausoniaeque nurus,

quibus aliter praeiverat Ovidius Am. II 11, 36:

Nereïdesque deae Nereïdumque pater.

Displicebat quidem Ovidio ipsi versus suus hic qui est Am. II 11, 10:

Et gelidum borean egelidumque notum

id quod clarissimo Senecae testimonio constat Controv. II 2, 12; at minus puta displicuisset si scribere licuisset:

Egelidum borean egelidumque notum.

In illo vero de Nereidibus pentametro ad ipsam anaphoram particula quoque tracta est bis posita; cuius similia sunt Prop. II 3, 44:

Uret et Eoos uret et Hesperios

et quod inde effinxit Naso Am. I 15, 29:

Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois;

et Met. VI 121; XI 266; XIV 830; XIII 861 (cf, etiam II 758):

Omnibus his faciemque suam faciemque locorum Reddidit.
Felix et nato, felix et coniuge Peleus.
O et de Latio o et de gente Sabina
Ille tamen placeatque sibi placeatque licebit
Quod nollem, Galatea, tibi.

Neque aliter Propertius I 20, 26; III 26, 56:

Hunc super et Zetes hunc super et Calais
Purus et Orion purus et Haedus erit.

Quocum confer etiam Tibulli I 2, 69; 4, 5:

Totus et argento contextus, totus et auro.
Nudus et hibernae producis frigora brumae
Nudus et aestivi tempora sicca canis

in quibus tamquam oblivisci poeta videtur, prius *et* adesse ut antecedentibus sententia adnectatur, vel ipse se correcturus eandem sententiam iterum dicere adgredi, sed ecce novo eam decore exornatam. Non dissimiliter Ovidius e. g. ex Ponto IV 8, 54:

Et quicquid post haec quicquid et ante fuit;

atque idem Met. V 306 et Propertius III 28, 53; IV 12, 32:

Perque tot Haemonias et per tot Achaidas urbes.
Et quot Thraca tulit vetus et quot Achaia formas.
Totque hiemis noctes totque natasse dies.

Quid quod Vergilius scripsit Aen. I 222:

gemit et crudelia secum
Fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

sicut Tibullus II 6, 9:

Castra peto valeatque Venus valeantque puellae.

et Ovidius Met. X 722 (cf. etiam VII 198):

Desiluit pariterque sinum pariterque capillos Rupit.

Itaque in his vocula copulativa elegantissime abundat. Eandem autem ne abundare quidem dico in iis exemplis ubi verbum ali-

quod bis ponitur nullo alio interposito, quale est et illud *iam iamque* et his similia:

Met. XIV 183: Tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur.
Met. III 580: ede tuum nomen nomenque parentum.
Met. I 642: at illa patrem sequitur sequiturque sorores.
Met. VIII 292: area frustra Et frustra expectant . . . horrea
Met. VI 193: Sum felix (quis enim neget hoc) felixque manebo
Met. X 108: Qui citharam nervis et nervis temperat arcum.
Met. XII 609: armarat deus idem idemque cremarat.
cf. Vergili VIII 649: indignanti similem similemque minanti
et Lucreti II 106: Cetera dissiliunt longe longeque recursant,
et Properti III 12, 13: In me tela manent manet et puerilis imago

ita ut paene mireris etiam talia ut Amor. I 2, 41 legi:

Tu pinnas gemma, gemma variante capillos.

Atque huc fere etiam locus ille pertinet in Met. X 200:

nisi si lusisse vocari
Culpa potest, nisi culpa potest et amasse vocari.

Quid vero de Tibulli versu dices I 7, 49 quem edunt:

Huc ades et genium ludo geniumque choreis Concelebra?

Mirari ego non satis possum non *ludis* poetam sed *ludo* dixisse. Singularis numerus alienus is et ab Ovidio (nam Met. X 182 *lusus* legendum) et a Propertio, quia diem natalem uno celebrari ludo paene ridiculum est, ne in Tibullum quidem inculcandus fuit. Libri ita potius:

Huc ades et centum ludos geniumque choreis Concelebra.

Itaque accidit sensum apertum viri summi ut non viderent. Et *ludos celebrare* sollemniter dicitur et *natalem* (*genium*) *celebrare*, sicut Ovidius ex Ponto IV 9, 116: *natalem ludis scit celebrare*. An vero ἓν διὰ δυοῖν enuntiare non licebat Tibullo (vide Disseni praef. p. CLXXV)? Vellem igitur aliquis ad legem attendisset manifestissimam hexametri, qua bina hemistichia ornanda in fine curabantur vocibus sensu iungendis: quod artificium et in quinto quoque hexametro primi libri Tibulliani occurrere et apud alios multo etiam spissius observavimus (Ad hist. hex. p. 51); iungendae igitur choreae centum sunt ea ratione qua Ovidius scripsit Met. XIII 952: *Pectora fluminibus iubeor supponere centum*, atque Martialis II 14, 9: *Inde petit centum pendentia tecta columnis*.

Eadem lege explicanda sunt et quod in Culice durissime legitur (v. 277):

Sed fortuna valens audacem fecerat ante,

et alia etiam difficiliora, velut in Ciris loco ut videbatur desperato et coniecturientibus celeberrimo v. 13 iam nullam nobis litterulam immutare opus est, nisi quod antecedentis versus clausulam abscissam complebimus ita:

Quod si mirificum genus omne s[onare valerem]
(Mirificum saecli modo sit tibi velle libido),
Si me iam summa Sapientia pangeret arce . . . .,
Non ego te talem venerarer munere tali;

nam quae in parenthesi posita sunt, hunc habent sensum: „modo sit tibi saecli huius libido: velle mirificum, hoc est: scribi velle mirabilia"; scilicet saeculum illud quadam sane libidine et Aratea et res magicas ad astrologiam adfines sectabatur testibus et aliis et Manilio quem dicere consuevimus. Denique Tibullus cur non planius scribere praetulerit *Huc ades et centum genium ludosque choreis Concelebra,* peritiorem sentire necesse est. Atque permirum est quod ipse Lachmannus qui in Disseniana editione recensenda falsam illam anaphoram Tibullo non dari non vult, contra idem ad Propertium p. 198 eandem putidam dixit et vi gratiaque carentem denique expungendam; scripsit enim Propertius III 27, 7 sqq.:

Rursus et obiectum fletis capiti esse tumultum
  Cum Mavors dubias miscet utrimque manus,
Praeterea domibus flammam domibusque ruinas,
  Neu subeant labris pocula nigra tuis.

De quibus Muelleri placita non moror. Patet enim non caput tumultu, sed capiti tumultum obiectum audacius dici ut una enuntiati structura coniungi apte possint etiam flamma et ruinae. Neque a Propertiano ore alienum fuit illud *flere,* hoc est timore summo angi, *ne pocula subeant* eqs. Ita *terrere ne* Horatius carm. I 2, 5 solus et unus dicere ausus est: nam in Panegyrici in Messallam v. 2 quem comparaverunt scriptum fuit me si audis:

Te Messalla canam. Quamquam me cognita virtus
Terret an infirmae valeant subsistere vires,
Incipiam tamen.

Sed Propertius etiam altero loco II 7, 3: *flemus uterque diu Ni nos divideret.* Iam in priore illo quia et flamma et ruinae ad nihil magis quam ad domos pertinent, mutationibus in tali poeta ab-

stinendum esse arbitror. Nempe anaphoram eandem quamvis ingratam etiam Maro usurpavit Aen. IV 169:

Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit;

et iterum X 708:

Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit multosque palus Laurentia.

Neque aliter Naso Am. I 2, 27:

Ducentur capti iuvenes captaeque puellae.

Tamen hanc veram anaphoram esse minus intendebant poetae; minus etiam illud e. g. Fast. II 35 (cf. Met. III 716):

Omne nefas omnemque mali purgamina causam.

Prorsus autem admirabilem locum addo qui est in Panegyrici in Messallam v. 62:

Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras!

Itaque Culicis similem versum 305 non scriptum esse a Vergilio certo affirmari nequit; in quo tamen etiam molestissimum illud *viri Troiae* inest, nec non adeo totus abundat ut facillime pro spurio haberi possit; vide totum locum:

O quis non referat talis divortia belli
(Quae Troiae videre viri videreque Grai),
Teucria cum magno manaret sanguine tellus
Et Simoïs Xanthique liquor, Sigeaque Phrixi
Litora cum Troas saevos ducis Hectoris ira
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera tela neces ignes inferre paratos.

Ad *videre* subiectum trahi non potest nisi *litora* (nec tamen *liquor*); itaque *saevos* pro *saevi* scribere necesse fuit; ideo pro *praeter* corrupto sensu caret quod posuerunt *propter*. Quod si *Phrixi litora* probabiliter posui iam non frustra Statius in manibus tenuisse Culicem videbitur qui idem posuerit Achill. I v. 28, cf. v. 409.

Eadem anaphora e. g. etiam in Elegia in Maecenatem v. 95: *Victus aret victusque metat.* Sed multo magis etiam infracti sermonis esse credatur ubi *et* interponitur, velut ibidem v. 97:

Tempora dispensant usus et tempora cultus,

quale est etiam apud Martialem III 89:

Utere lactucis et mollibus utere malvis;

atque etiam ex Propertio infra similia adferamus. Quod vero Ovidius scripsit Met. VIII 385: *Primus vidisse putatur* Et *primus sociis visum ostendisse cruorem*, ab his *et* non facile abesse poterat, quippe cum poeta hac maxime sermonis forma sibi gratissima uteretur: „putatur vidisse et visum ostendisse", ad quam *primus* bis positum non nisi accessit. Solutus autem anaphorae lege ibi poeta erat, ubi totum complebatur distichon et duo tota enuntiata coniungebantur, veluti Propertius III 10, 1 sq:

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Emathio iam dare tempus equo.

cf. Ovidi Amor. I 15, 33 sq. et 2, 11 sq.; Fast. IV 763 sq. Trist. V 12, 55 sq.:

Cedant carminibus reges regumque triumphi,
Cedat et auriferi ripa benigna Tagi.
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas
Et vidi nullo concutiente mori.
Pelle procul morbos; valeant hominesque gregesque,
Et valeant vigiles, provida turba, canes.
Omnia barbariae loca sunt vocisque ferinae
Omniaque hostilis plena tumore soni.

Item Lygdamus el. 3 v. 11 sq.:

Ante meum veniat longos incompta capillos
Et fleat ante meum moesta Neaera rogum.

Item Lucanus VI 319:

Nunquam me Caesaris, inquit,
Exemplo reddam patriae, nunquamque videbit
Me nisi dimisso redeuntem milite Roma.

Denique notandum est ad vocem fortiter bis positam interdum eandem tertio membro adseri molliore copula hunc in modum (Fast. IV 179 sq. I 489 sq. I 81 sq. Prop. I 16, 23 sq. Tibull. II 5, 11):

Ter, sine, perpetuo caelum versetur in axe,
Ter iungat Titan terque resolvat equos.
Passus idem est Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus in Aonia constitit exul humo,
Passus idem Tydeus et idem Pagasaeus Iason.
Iamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Me mediae noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
Scit bene quid fati provida cantet avis
Tuque regis sortes, per te praesentit aruspex eqs.

Iam vero in versu Halieuticon tali: *Insignis sargusque notis insignis et alis* superfluum certe vel *et* videbitur vel quod idem foret *etiam*. Quam pulchre econtra a Vergilio *et* interponitur in ἐπιτιμήσει illa Aen. X 85 (cf. Macrobi IV 24):

Aeneas ignarus abest. Ignarus et absit!

Item egregie Ovidius Met. VI 3; XII 213; ex Ponto IV 9, 63:

Laudare parum est. Laudemur et ipsae.
Haemonii proceres aderant; aderamus et ipsi.
Sic tu bis fueris consul, bis consul et ille.

Etiam supponitur e. g. Met. VIII 747: *saepe sub hac . . . ., saepe etiam.* Ita *quoque* ibidem v. 735 et Fast. I 361: *Culpa sui nocuit; nocuit quoque culpa capellae.* Sed talia cum anaphora illa in Halieuticis obvia comparare vix serio licet, liceat Propertiana nonnulla, atque inde etiam discernendum inter poetas esse et molliorem quidem Propertianum diffluere sermonem cognoscitur: hic enim I 24, 23; III 20, 15; I 1, 29; III 16, 11 haec:

Contendat mecum ingenio contendat et arte
Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis
Ferte per extremas gentes et ferte per undas
Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est.

Tamen apud eundem I 8, 25 sq. omitti *et* vix poterat:

Et dicam „licet Autariis considat in oris
Et licet Hylleis, illa futura mea est“.

Atque ista ego omnia non magis ad suspectandam illam in Halieuticis lectionem *insignis et alis* argumentum, quam ad anaphoram apud poetas latinos prudentiore iudicio examinandam incitamentum esse aliquod volui quantulumcunque.

VI.

Sed ad definiendam qua scripta Halieutica latina fuerint aetatem aut egregie fallor aut conferet etiam altera pars huius disputationis ad quam procedendum nunc est. Iam enim non sermonem curantes sed rem, primum ostendere proposuimus nihil de suo dedisse poetam, omnia compilavisse ex aliis, ita ut ridicule errasse Plinius dicendus esset nec non inter nostrates qui eum sequerentur et quod caute Zingerle scripsit p. 120: dass auch der Verfasser der Halieutica bei dem noch so kleinen Gebiete doch

nicht gar alles aus eigener Beobachtung geschöpft — cautius scribendum doctissimo viro fuisset: doch gar nichts aus eigner Beobachtung geschöpft. Simul tamen inquiremus in collectaneam Plini de piscibus doctrinam, non ut tota illa de Plini auctoribus quaestione difficillima et doctioribus apta intricemur, sed ut ne praetermittatur si qui fructus inde ad nostram rem pertinens capi poterit.

Antea vero observatiuncula de Grati Cynegeticis inseratur; nam simile eorum argumentum Halieuticis, quamquam ingenium hoc cultum et liberale et de poetico sermone bene meritum. Quem tamen sine exemplo rem suam adgressum credere dubitabis, licet non adsit quod compares. Iam vero apud Plutarchum in Erotico cap. 14 fragmentum epicum scriptoris nomine non addito exhibetur notabile et quidem inducitur ita: *ἀλλὰ δορκάδας μὲν θηρεύουσι καὶ λαγωοὺς καὶ ἐλάφους ἀγρότερός τις συνεπιθωύσσει καὶ συνεξορμᾷ θεός· εὔχονται δ' Ἀρισταίῳ δολοῦντες ὀρύγμασι καὶ βρόχοις λύκους καὶ ἄρκτους*

ὃς πρῶτος θήρεσσιν ἔπηξε ποδάγρας.

Hexameter mancus est; insuper intolerabile amphibrachy verbum circa pedem quintum. Nullam autem speciem veri consequemur resecantes augmentum veluti O. Schneiderus Callimach. II fragm. anon. 379 temptavit *ὁλοιὰς πῆξε ποδάγρας*, sed aperte compositum verbum fuerat aut *κατέπηξε* aut melius *συνέπηξε*. Iam in parvulum quod superest spatium quae apte inmittantur non multifaria erunt. Sed enim sensum consulens quid addi aut potuerit aut debuerit nihil aptius invenio nisi hoc: Aristaeus qui primus bestiis pedicas fabricatus ex hac vel illa materia est; itaque credi sane potest scriptum fuisse:

ὃς πρῶτος θήρεσσι δρυὸς συνέπηξε ποδάγρας;

(cf. *δρυοπαγής* adiectivum apud Sophoclem fragm. 634 N.); *θηρεσσιν* enim et *δρυοσσυν* tam similia inter se ut facillime alterutrum praetermitti potuerit.

Itaque fragmentum hoc ubi exstiterit certa quidem coniectura dici nequit; quis enim exempli gratia si legerit apud Eustathium p. 1057 l. 4 haec: ... *ἐν ποιήσει τὸ οὖλος ὁ ὀλέθριος οὐ σύνθετον τὸ οὐλοβόρος ἔχις, οἷον, εἰ ἔτυμον τὸ τὴν μύραιναν σὺν οὐλοβόροις ἐχίεσσι θόρνυσθαι, ἤγουν σπερμαίνειν, θορὸν δέχεσθαι, προλιποῦσαν ἁλὸς νομόν* — quis non inquam halieutici alicuius libri fragmentum odorabitur? sed Theriacis debetur Nicandri v. 826 sq. (cf. Athenaei p. 312 D; O. Schneideri Nic. p. 149; *οὐλοβόροις* autem secus explicare dissuadet

οὐλόθυμος Hesychi). Aristaeus vero deus in cynegeticis addictis Oppiano ad venationem minus pertinet, sed legitur de eo IV 269 sq.: *πρῶτος ποιμένιον ἱδρύσατο, πρῶτος ἐκεῖνος καρποὺς* eqs.; nihilo setius venatico alicui carmini inventorem pedicarum dabis Gratio maxime in comparationem vocato. Cuius verba quae sunt v. 92 sqq. paulo emendatiora adscribemus ita:

Quid? qui dentatas iligno robore clausit
Venator pedicas cum dissimulantibus armis
Saepe habet inprudens alieni lucra laboris.

(Dissimulantia arma pedicae sunt; cum his venator etiam inprudens saepe lucra habet, quae labori alieno hoc est pedicarum inventori debentur).

O felix tantis quem primum industria rebus
Prodidit auctorem! Deus illa an proxuma divo
Mens fuit, in caecas aciem quae magna tenebras
Egit et ignarum perfudit lumine vulgus?

Habes igitur hic quoque deum vel semideum qui primus pedicas dentatas iligno robore clauserit. Similiter nonnulla dicta de Aristaeo apud Vergilium Georg. IV 283: *Arcadii memoranda inventa magistri* et 315: *Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem, Unde nova ingressus hominum experientia cepit* et 358: *fas illi limina divom Tangere* et 322: *praeclara stirpe deorum.* Item optime in mores Aristaei quadrare video quae Gratius habet v. 103 sqq.:

Haut illo quisquam se iustior egit
Aut fuit in terris divum observantior alter:
Ergo illum primis nemorum dea finxit in armis
Auctoremque operi dignata (vel *dignans*?) inscribere magno
Iussit adire suas et pandere gentibus artes.

Tamen ipsum huius auctoris nomen Gratium commemorare debuisse non dices. Iam vero mira difficultas haec quod tamen commemoravit ille nomen sed aliud potius, *Dercylus:* quem locum sane quam male Hauptius quoque edidit v. 99 sqq.:

Dic age Pierio (fas est), Diana, ministro:
Arcadium stat fama senem, quem Maenalus altor
Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae
Per non adsuetas metantem retia valles
Dercylon.

Qui enim cum *stat fama* construi poterat merus accusativus *senem*? Qui poni *dic age* sine ullo obiecti indicio? Neque illud *fas est*

sensum aptum habet. Neque unquam nobis scientibus ipsa Diana vatibus quidquam dicebat; itaque *fama* vocativus non esse non potest fuitque conformata sententia ita fere:

Dic age Pierio (fas est, Diana?) ministro
Arcadium, sacra fama, senem, quem eqs.

Quippe veniam venator a Diana sua petit, quod non Dianae, sed Pieridum se ministrum dicat. Quid vero de Dercylo? Graecum hoc nomen est sane, et quidem prorsus ridicule Wernsdorfius grammaticum illum Dercylon significari putaverat cuius memoria apud Athenaeum Plutarchumque est. Tu aut duobus nominibus dictum deum et Aristaeum et Dercylum fuisse aut loci lectionem falsam esse statues; nam etiam Nonnus Dionys. V 221 venatoris retia Aristaeo tribuit; quodque ei apud Opp. Cyneg. II 4 Hippolytus clarissimus supponitur venatorum id quidem facile explicabis; Dercylus abstrusus heros qua lege suppositus sit demiraberis. Ego autem, ut dicam quod sentio, tam multis praemissis iam non adferri dei nomen in v. 103 expecto aut si adferatur grandius adferri parentum nominibus (*αἷμα σοφοῦ Φοίβοιο καὶ εὐπαλάμοιο Κυρήνης* Nonnus V 216) vel similibus additis. Nunc eo vergo ut coniciam: „*Per non adsuetas metantem retia valles* Dorcasin“, qualis *θήρεσσι* dativus in fragmento graeco est; scilicet vocabuli huius formam etiam rariorem *δόρξ* noverat Gratius v. 200. Denique Maenalus cui Amyclae adiunguntur sive mons sive oppidum est, male certe aut *altor* additur aut quod in codicibus extat *auctor*. Quid si hoc loco Arcadiae aucupium florebat? Scribi poterat *Maenalus auceps.*

His peractis ad Halieuticorum partem priorem nos convertamus quae piscium sollertiae exempla continet. Iam Barthius olim in Adversariis ubi quae de scaro leguntur cum Aeliani narratione comparavit aliunde ista descripsisse poetam latinum intellexit. Nos Aelianum quidem mittimus quippe cui adsint qui praeferri possint, sed Oppiani potius carminis atque libelli illius quem de sollertia animalium Plutarchus composuit exactam cum Ovidio falso comparationem instituamus.

De lupo legitur in Ovidi vv. 39 sq.:

Lupus acri concitus ira
Discursu fertur vario fluctusque ferentes
Prosequitur quassatque caput dum vulnere saevus
Laxato cadat hamus et ora patentia linquat.

Item Oppianus III 128 sqq.:

Λάβραξ δ' ἀγκίστροιο τυπεὶς εὐκαμπέος αἰχμῇ
ὑψόσ' ἀναθρώσκων κεφαλὴν ἀζηχὲς ἐρείδει
αὐτῇ ἐν ὁρμιῇ βεβιημένος, ὄφρα οἱ ἕλκος
εὐρύτερόν τε γένοιτο καὶ ἐκφυγέῃσιν ὄλεθρον.

Item Plutarchus p. 977 B.: *ὁ δὲ λάβραξ.... ὅταν περιπέσῃ τῷ ἀγκίστρῳ βελουλκεῖ τῇ δεῦρο κᾀκεῖ παραλλάξει τε κεφαλῆς ἀνευρύνων τὸ τραῦμα καὶ τὸν ἐκ τοῦ σπαραγμοῦ πόνον ὑπομένων ἄχρις ἂν ἐκβάλῃ τὸ ἄγκιστρον.*

Ad *ἐρείδει* apud Oppianum scholiasta scripsit: *ἐμβάλλει, ἀντὶ τοῦ γενναίως ἐπερείδει τὴν κεφαλὴν τῷ ἀγκίστρῳ πρὸς τὸ εὐρυνθῆναι τὴν πληγὴν καὶ ἐξελθεῖν τὸ ἄγκιστρον.* Vides autem inter auctores tres non solum verba concinentia etiam minutiora, sed totam eadem ratione conformatam periodum ultima parte inducta voculis *dum ὄφρα ἄχρις*. Latinus vero inertiam suam prodit detritis illis *acri concitus ira* ubi *acri captus hamo* exprimendum fuit. Neque causa cernitur ulla cur etiam illud *fluctus prosequi* iniecerit quod insolentissime scriptum nunc demum notamus ita velut si viator dixerit: viam meam prosequor.

De muraena Ovidius v. 27:

Et (At? cf. v. 38 et 31) murena ferox teretis sibi conscia tergi
Ad laxata magis connixa foramina retis
Tandem per multos evadit lubrica flexus
Exemploque nocens cunctis iter invenit una.

Eadem apud Oppianum III v. 117 verba sunt:

Μύραιναι δ' ὅτε κέν ποτ' ἐνιπλήξωσι λίνοισι
διζόμεναι βρόχον εὐρὺν ἐν ἕρκεϊ δινεύονται,
τοῦ δὲ διαΐγδην ὀφίων νόμον ὁρμηθεῖσαι
πᾶσαι ὀλισθηροῖσι διεξέπεσον μελέεσσι.

Et quidem alter *per multos flexus* dixit quod alteri videbatur *ὀφίων νόμον*. Ceterum satis ineleganter *διζόμεναι βρόχον εὐρὺν* vel *εὐρύτερον* latine exprimitur: *connixa ad magis laxata foramina.* Conferas etiam Aeliani I 33.

De sepia Ovidius v. 19:

Sepia tarda fugae tenui cum forte sub unda
Deprensa est iam iamque manus timet illa rapacis,
Inficiens aequor nigrum vomit illa c
Avertitque vias oculos frustrata sequentis.

Eadem nonnullis praemissis Oppianus III 156 sqq.:

Σηπίαι αὖ τοίησι δολοφροσύνησι μέλονται.
ἔστι τις ἐν μήκωσι θολὸς κείνησι πεπηγὼς
κυάνεος πίσσης δνοφερώτερος, ἀχλύος ὑγρῆς
φάρμακον ἀπροτίοπτον, ὅ τε σφίσιν ἄλκαρ ὀλέθρου
ἐντρέφεται· τὰς δ' εὖτ' ἂν ἕλη φόβος, αὐτίκα κεῖνον
ὀρφναίας ῥαθάμιγγας ἀνήμεσαν, ἀμφὶ δὲ πόντον
πάντα πέριξ ἐμίηνε καὶ ἠμάλδυνε κέλευθα
ἰχὼρ ἀχλυόεις, ἀνὰ δ' ἔτραπε πᾶσαν ὀπωπήν·
αἱ δὲ διὰ θολόεντος ἄφαρ φεύγουσι πόροιο
ῥηϊδίως καὶ φῶτα καὶ εἴ ποθι φέρτερον ἰχθύν.

Item Plutarchus 978 A sq.: *οὐκ ἄξιόν ἐστι τὸ τῆς σηπίας παράδειγμα παρελθεῖν· τὴν γὰρ καλουμένην μύτιν παρὰ τὸν τράχηλον ἔχουσα πλήρη ζοφερᾶς ὑγρότητος ἣν θόλον καλοῦσιν ὅταν καταλαμβάνηται μεθίησιν ἔξω τεχνωμένη τῆς θαλάττης διαδολωθείσης ποιήσασα περὶ αὐτὴν σκότος ὑπεκδῦναι καὶ ἀποδρᾶναι τὴν τοῦ θηρεύοντος ὄψιν.*

Singula hoc in exemplo curiosius perpendamus. Communis sententiis tribus etiam structura est; incipiunt enim a *cum forte* vel *εὖτ' ἂν* vel *ὅταν*. *Cum deprensa est* apud Plutarchum habet cui respondeat. *Inficiens aequor* apud graecorum utrumque (*ἐμίηνε* et *διαδολωθείσης*), *oculos frustrata* item apud utrumque recurrit. Atque etiam mirum illud *avertitque vias* simillimum Oppiani verbis videtur *ἠμάλδυνε κέλευθα;* sed enim *ἠμάλδυνε* idem quod *ἠφάνισε* (cf. schol.): quodsi *avertere* aliter accipi non possit atque apud Caesarem Bell. Gall. I 16 ubi ab Arare Helvetii „iter avertere" dicuntur, iam non idem scripserunt poetae. Sed potuerat facillime pangi latine *occultatque vias;* vereor itaque ne ponere ausus homo *avertere* sit sensu „furto subducere", velut dicebant: avertere pecuniam, hereditatem, praedam similia. Commeruit quippe ut vel inaudita ei imputaremus. Versus autem 21 litterae supremae abscissae sunt legimusque *nigrum vomit illa c.* Hauptius Ulitio duce ingratum hypermetrum dedit *vomit ilicet humorem.* Facilior correctio aut haec: *vomit illa colorem* aut potius: *vomit illa cruorem;* in hoc enim etiam sonus Ovidianus qualis in Met. XV 596 legitur: *rutilum vomit ille cruorem* (cf. supra p. 5 sq.). Accedit quod *ὁ θόλος* sepiae etiam Oppiani loco adscripto dicitur *ἰχώρ*, sicuti Plinius quoque de sepia IX 45: *effuso atramento quod pro sanguine his est*, et iterum XI 8: *sepiae in mari sanguinis vi-*

res optinet. Tamen hanc lectionem causa adest aperta cur abicere debeamus eadem videlicet qua Hauptius indignam eam putavit quam proferret. Totam iterum lege sententiam: *sepia cum forte Deprensa est iam iamque manus timet* illa *rapacis, Inficiens aequor nigrum vomit* illa *cruorem*: duplex *illa* enim quid valet nisi risum movere? Falsum alterutrum est neque alterum adoptare nisi eum decet qui falsum prius esse evicerit. Atque mihi quidem hoc sane ad verum multo propensius videtur; nam prius *illa* inertissimum ad taedium usque superfluit neque sensum haberet nisi si quid eo praeter sepiam aliud (velut fuga!) induceretur. Ecce error iucundissime submotus: (*sepia cum*) *Deprensa est iam iamque manus timet* hilla *rapacis.* Hoc est: iam ipsa viscera (*μήκωνες* Oppianus, *μύτις* Plutarchus) timent ne sibi rapaci manu sucus eripiatur. Quod non solum dictum exquisite videtur sed etiam ad rem ipsam aptissimum; id enim ducebant mirum in plerisque animalium, scire ea quare petantur (Plin. VIII 9); ita peti dentes suos sciunt elephanti (ibid. 7); castoreum suum fibri (ibid. 109); propter margaritas se peti gnara concha (Plin. IX 110; cf. etiam e. g. Philen v. 1662; Timotheum ed. Haupt. in Herma III cap. 54 lin. 15). Sedes autem atramenti, etiam apud Aristotelem quidem ea tum *μύτις* tum *μήκων* vocata, *χολή* apud Nicandrum Alex. v. 473, cum in Epigrammate de Sepia legatur:

Praestat carne cibos, apicum dat felle figuras
Et viri specie usum ad utrumque facit;

(in quibus *viri* pro *brevi* refecimus comparato Ov. Hal. v. 131, Oppian. Hal. II 455, Phil. 1831), haec eadem cur ab alio scriptore dici *hilla* minus potuerit non video. Immo iacent hillae inter ventriculum vel gulam et inter alvum (cf. Plini XI 200; Celsi IV 1); igitur audi modo Aristotelem Part. An. p. 681 B 19 ipsa viscera sepiae non aliter definientem: in mollibus animalibus esse *μόριόν τι ὑγρὸν δι᾽ οὗπερ ὁ στόμαχος* (gula, ventriculus) *τέταται πρὸς τὴν κοιλίαν* (alvum), id quod *μύτις* audiat apud quosdam; atque eandem sedem indicat scribens fragm. 315 Rose: *ὁ δὲ μήκων κεῖται ἐπάνω τῆς κοιλίας.* Iam latine quid vel aptius quam hilla? Id autem res iubebat fere poeta a plurali hillarum numero maioribus animalibus unice apto ut abstineret· quippe cum de animali res esset multo simpliciore et quod vera viscera omnino non haberet (cf. Aristot. fragm. citatum) neque duplicem ipsam vesicam sed simplicem; quapropter ad Laberium provocare nolo qui numerum singularem scripserat Ribb. Com. v. 145 (atque hic maxime

locus grammaticos et ipsum Vossium in Aristarcho ed. Foertsch I p. 508 permovit ut inter pluralia tantum ilia ponerent, hillas non ponerent). Recepta autem hac coniectura mea iam in illa quoque lectione nunc simul recipienda *vomit illa cruorem* cur positum sit *illa*, quod aliter et ipsum satis abundaret, explicabis. Denique *vomere* accuratissime Oppianeae lectioni respondet *ἀνήμεσαν*, quod eo gravius est quo falsius; certe Boeotis potius *ὀπισθοτίλαι* sepiae videbantur, cf. Strattin apud Athenaeum p. 622 A; Hesych. s. v.; Phot. 341, 18 quamquam atramentum in ore habere sepia dicitur Galen. lex. Hippocr. p. 528; Hesych. s. v. *μυττίς*.

De mugile apud Ovidium v. 38:

At mugil cauda pendentem everberat escam
Excussamque legit.

Praeclare eadem Plutarchus p. 977 A sq.: *πολλάκις δὲ καὶ τὸ στρογγύλον ὁ κεστρεὺς ὑποπτεύων ἐν κύκλῳ περινήχεται, τῇ οὐρᾷ περιῤῥαπίζων τὸ ἐδώδιμον καὶ ἀνακάπτων* (ita recte Wyttenbachius) *τὸ ἀποκρουόμενον.* Vide enim etiam in rhetorica re concordiam. Strictius latine dicendum plane fuit: excutit escam excussamque legit, ideoque graece: *ἀποκρούων τὸ ἐδώδιμον καὶ ἀνακάπτων τὸ ἀποκρουόμενον*; hoc concinnum; at uterque laxius loquuntur ut res variis coloribus diligentius illustretur. Copiosior autem Plutarchus ubi additur: *ἂν δὲ μὴ δύνηται, συνάγων τὸ στόμα καὶ περιστείλας τοῖς χείλεσιν ἄκροις ἐπιψαύων ἀποκνίζει τοῦ δελέατος*; Eadem etiam cognita Oppiano III 520 sqq.:

οὐ μάλ᾽ ἑτοίμως
ψαῦσε βορῆς, οὐρῇ δὲ πάρος μάστιξεν ἐγείρων
ἄγκιστρον, μήπου τις ἐνὶ χροῒ θέρμετ᾽ ἀϋτμή
(ζωοῦ γὰρ κεστρεῦσιν ἀπώμοτόν ἐστι πάσασθαι).
ἔνθεν ἔπειτ᾽ ἄκροισι διακνίζει στομάτεσσι
δαῖτα περιξύων. ἁλιεὺς δὲ κτλ.

Ad *περιξύων* scholiasta *παραψαύων* apparetque Graecorum utrumque ipsa exempli vocabula in hac posteriore parte pari diligentia assumpsisse. Sed enim ad Plutarchi verba *ἂν δὲ μὴ δύνηται* (sc. *ἀποκρούειν*) etiam rationem Oppianus aliquam inserit v. 523: nequire enim mugilem comedere escam si calor in ea sit et vivus halitus. Hocine etiam Plutarchus legerat? Immo variavit rem Oppianus; neque enim iam sollertias piscium hoc loco sed rationes tractat quibus capi soleant; itaque sic transformavit fabulam, ut hamum ipsum periculumque subesse omnino non per-

spiceret mugil, causamque excogitavit novam, qua rem explicaret et suo consilio caudae verbera accomodaret. Quod praeclarum quo illustretur istorum scriptorum compilatio exemplum est. Duae de calliditate mugilum fabellae fuerant: altera de evitando hamo quam et Plutarchus et Ovidius memoravit, altera de evitando rete quam unam Oppianus ponere inter piscium calliditates satis habuit III 98 sqq., cum praeteriret hanc latinus poeta, praeteriret etiam Plutarchus, qui duo tantum retis vitandi exempla prolaturus mugiles non praemittit nisi capi rete p. 977 F.

De lupo quoque fabulae acceptae duae fuere. Iterum enim de eo Plutarchus 977 F hunc in modum: *Ἀλλὰ καὶ πρὸς ταῦτα* (sc. *τὰ δίκτυα*) *μηχαναὶ ταῖς γαλαῖς ὥσπερ τῷ λάβρακι· *συρομένην γὰρ αἰσθανόμενος βίᾳ διΐστησι καὶ τύπτει κοιλαίνων τοὔδαφος· ὅταν δὲ *ποιήσῃ τῆς ἐπιδρομῆς τοῦ δικτύου χώραν ἔωσεν ἑαυτὸν καὶ προςέχεται μέχρις ἂν παρέλθῃ.*

Non aliter Oppianus III 121:

> *Λάβραξ δὲ πτερύγεσσι διὰ ψαμάθοιο λαχήνας*
> *βόθρον ὅσον δέξασθαι ἑὸν δέμας, ἠΰτ' ἐς εὐνὴν*
> *ἐκλίνθη· καὶ τοὶ μὲν ἐπ' ἠϊόνας κατάγουσι*
> *δίκτυον ἀσπαλιῆες, ὁ δ' ἰλύϊ κείμενος αὔτως*
> *ἀσπασίως ἤλυξε καὶ ἔκφυγεν ἄκρον ὀλέθρον.*

Hinc lacunosus latini fragmenti locus iam plenior adscribi ita poterit v. 23 sqq.:

> Clausus rete lupus quamvis inmitis et acer
> Dimotis cauda submissus sidit arenis
> [In foveaque iacens, ubi rete levatur] in auras,
> Emicat atque dolos saltu deludit inultus.

Sed etiam Plutarchi verbis succurrendum videtur. Primum enim etiamsi Wyttenbachio parebimus sensu carebunt ista *ὅταν δὲ ποιήσῃ* (*πρὸ*) *τῆς ἐπιδρομῆς τοῦ δικτύου χώραν ἔωσεν ἑαυτὸν* eqs. Quid est enim *ἐπιδρομή? ὁ ἐπίδρομος* venatoribus funis retis superior audiebat quo rete ipsum attrahebatur (cf. Polluc. V 29; Plini autem verba XIX 11 ita adscribo: *vidimusque* tamen *tantae tenuitatis ut anulum hominis cum epidromis transirent*, (*vix?*) *uno portante multitudinem qua saltus cingerentur*); itaque *ἡ ἐπιδρομὴ τοῦ δικτύου* ipsa adstrictio retis neque aliud est. Porro quid sibi vult *χώραν ποιεῖν?* Rem si spectaveris talia flagitabis: *ὅταν δὲ προνοήσῃ τῆς ἐπιδρομῆς τοῦ δικτύου τ' ὥραν.* Porro stare nequit *ἔωσεν ἑαυτόν*: poterit *εἰςέωσεν ἑαυτὸν* in eoque acquiesco;

nam *εἰςωθεῖν* verbum ut est rarissimum ita rei unice convenit; absonum contra *ἐξέωσεν* ante *προςέχεται* positum foret. Sed plura consequuntur: etiam *τύπτει* apud Plutarchum incommodum: scriptum fuerat: *καὶ κύπτει κοιλαίνων τοὔδαφος*: *submissus sidit.* Quid vero de antecedentibus? ad *συρομένην* trahere *τὴν πανάγραν* Hercule dignus labor; atque etiam *διΐστησι* illud cum rem si spectas — quomodo enim piscis totam nassam potius quam unam maculam nassae dimovebit? — tum vero verba latini poematis, ad arenas, non ad rete attinere putabis. Denique mentio vel caudae desideratur vel pinnarum. Ostendere me verum non spondeo; via confido utendum tali esse: *πτερυσσομένην γὰρ ἁλοὺς τὴν ἄμμον βίᾳ διΐστησι*, in quibus *ἁλοὺς* idem atque *clausus rete.* Sed salubra etiam in poeta latino impedimur: an enim saltu piscis revera dolos deludit? Sed ipse iacet immotus fere neque nisi nassae motu emicat. Neque Plinius *saltu* legisse credetur qui ita rem referat: *lupum rete circumdatum harenas arare cauda atque ita condi dum transeat rete.* Itaque haec stultitia poetae non fuit. Multa correximus, corrigatur hoc quoque:

ubi rete levatur in auras,
Emicat atque dolos astu deludit inultus.

Idem tamen quia ad *dimotis arenis* adponere *pinnis* desperabat, non bene caudam cum pinnis commutavit: neque enim cauda efficere piscis potest *βόθρον ὅσον δέξασθαι ἑὸν δέμας.* Sed cur non malebat: Dimota pinnis arena?

De polypo Ovidius v. 31 sqq.:

At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus haeret et hac eludit retia fraude:
Et sub lege loci sumit mutatque colorem
Semper ei similis quem contigit.

Item Oppianus in secundo libro v. 233:

(*πουλύποδες*) *οἳ πέτρῃσιν ὁμοίϊοι ἰνδάλλονται*
τὴν κε ποτιπτύξωσι, περὶ σπείρῃς τε βάλωνται;

cf. ibid. v. 297:

εἰ γὰρ καὶ ἀλευόμενος περὶ πέτρην
πλέξηται χροιήν τε πανείκελον ἀμφιέσηται.

At Plutarchus p. 978 D sqq.: *τῶν δὲ πολυπόδων τῆς χρόας τὴν ἄμειψιν ὅ τε Πίνδαρος ... καὶ Θέογνις ὁμοίως· πουλύποδος νόον ἴσχε πολυχρόου ὃς ποτὶ πέτρῃ τῇ περ ὁμιλήσῃ τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη. τοῦ δὲ πολύποδος ἔργον ἐστὶν οὐ πάθος ἡ μεταβολή· μεταβάλλει γὰρ ἐκ προνοίας* eqs.

Mendum turpe in latinis; neque enim post pronomen demonstrativum *hac* (*fraude*) adstrui sententia quae sequitur poterat copula *et*. Itaque Hemsterhusius ad Lucianum dial. marin. IV 3 ubi de polypo similia sunt nostrum locum dum citat vitium videbat, proposito autem suo non sustulit: Ut sub lege loci sumat mutetque colorem. Iam falsum dico etiam *sub lege loci*, quod Hauptius (praef. p. XXI) peculiare dixit Ovidio. Ovidius enim potius ita Amor. III 2, 20:

Haec in lege loci commoda circus habet.

et Artis Am. I 142 sine praepositione:

Quod tibi tangenda est lege puella loci.

Sub recte addi non credo; neque enim pertinuisse videtur nisi ad clausulas tales velut: *sub lege ne, sub conditione ut, sub ea conditione ne, sub exceptione si*, item *sub poena mortis* (Sueton. Calig. 48). Genitivus *loci* ad talem clausulam qui addi potuerit non video. Bene autem erit si color quam ob causam mutetur addiderimus; neque enim semper fit; unde huc ego quidem deferor:

Polypus haeret et hac eludit retia fraude:
Pressus lege loci sumit mutatque colorem,

hoc est: si ab hoste premitur. Quae si quà est sermonis durities propria tamen ea huius poetae est. Atque ne nunc quidem explanata omnia: nempe fraude ista coloris hostis quidem eludentur oculi, at retia minime, neque ideo nimirum retia eludi reliquorum scriptorum quisquam tradebat: at eludebatur praeter hominem piscium quoque incursus velut murenarum. Concidit ecce etiam *retia* lectio. Quid? si sollemnia in hoc carmine retia sibi invenire in his scribae videbantur: *Polypus haeret et hac eludit* praelia *fraude?* velut *eludere hastas, telum* similia dicebant. Rationisne suasioni oboedies?

Adicitur autem etiam altera fraus qua polypus insidias eludat, et quidem ea si hamo captus sit:

Atque ubi praedam
Pendentem setis avidus rapit, hic quoque fallit,
Elato calamo cum demum emersus in auras
Brachia dissolvit populatumque expuit hamum.

Hoc Ovidius solus ex communi auctore descripsit, describere nec Plutarcho neque Oppiano placuit.

Haud aliter de murena una Oppiano narratiuncula satisfacere videbatur omisitque hanc quam latine scriptam legimus v. 43:

Nec proprias vires nescit murena nocendi
Auxiliique sui morsu nec cominus acri
Deficit aut animos ponit captiva minacis.

Haecine omnia? captiva est; iam ubi auxilium? Num verborum hoc tumore fieri potuit ut rem scriptor revera oblivisceretur? At enim Plinius recens tum carmen inspiciens de muraena excerpendum hoc esse vidit: *muraenae amplius devorant quam hamum; admovent dentibus lineas atque ita erodunt.* Itaque abolitus versus saltem unus, neque plus uno, cum duos illa vix compleant; liberiore autem ornatu res etiam alias Plinius refert, velut quae de polypo sunt. Igitur sic puta vel similiter legebatur:

Amplius os hamo vorat eroditque ita linum,

eaque exciderunt propter similitudinem vocum principalium *Amplius* et *Anthias* qua ratione et alii multi errores explicantur et quod in libris Homeri Latini quibusdam versus 92 ante v. 93 in marginem abiit cum alter a *Turpiter* alter a *Iuppiter* inciperet.

Legitur autem de anthia v. 46 sqq.:

Anthias his tergo quae non videt utitur armis
Vim spinae novitque suae versoque supinus
Corpore lina secat fixumque intercipit hamum.

Similia certe Plutarchus legerat 977 C: *οἱ δὲ ἀνθίαι τῷ συμφύλῳ βοηθοῦσιν ἰταμώτερον· τὴν γὰρ ὁρμιὰν ἀναθέμενοι κατὰ ῥάχιν καὶ στήσαντες ὀρθὴν τὴν ἄκανθαν ἐπιχειροῦσι διαπρίειν τῇ τραχύτητι καὶ διακόπτειν.*

Itaque artificium idem apud Plutarchum, nisi quod non sibi ipsi, sed fratri opem fert anthias neque ideo ut lina secet verso corpore supinus natare dici potest.

Sed accurate idem atque Ovidius Oppianus recepit qui non inter sollertias, sed in captura piscium de anthia eadem brevitate qua Ovidius haec inserit III v. 333 sq.:

Πολλάκι δ' ὀξύπρωρον ὑπὲρ ῥάχιν ἔτμαγε δάψας
ὁρμιήν, ἀπὸ δ' ἦξε λιπὼν κενὸν ἀγρευτῆρα.

Itaque piscis lineam quam ipse admorsam tenet (*δάψας*) imponens in acuta sua spina dissecat. Ipsum *δάψας* illud Ovidius falsus ita expressit ut *fixum* hamum esse diceret. Id vero quo discrepat Plutarchus quo pacto explicabis? Duae videlicet de anthia in exemplo communi fabellae exstiterant, quarum in altera calliditas piscis quomodo ipsi prodesset, in altera quomodo piscibus sociis exponebatur. Quod persuasum habebis ultimo loco iis examinatis quae de scaro pisce scripta produntur. Adnoto autem Plinium de anthia

Item Oppianus III 128 sqq.:

Λάβραξ δ᾽ ἀγκίστροιο τυπεὶς εὐκαμπέος αἰχμῇ
ὑψόσ᾽ ἀναθρώσκων κεφαλὴν ἀζηχὲς ἐρείδει
αὐτῇ ἐν ὁρμιῇ βεβιημένος, ὄφρα οἱ ἕλκος
εὐρύτερόν τε γένοιτο καὶ ἐκφυγέῃσιν ὄλεθρον.

Item Plutarchus p. 977 B.: *ὁ δὲ λάβραξ .... ὅταν περιπέσῃ τῷ ἀγκίστρῳ βελουλκεῖ τῇ δεῦρο κἀκεῖ παραλλάξει τε κεφαλῆς ἀνευρύνων τὸ τραῦμα καὶ τὸν ἐκ τοῦ σπαραγμοῦ πόνον ὑπομένων ἄχρις ἂν ἐκβάλῃ τὸ ἄγκιστρον.*

Ad *ἐρείδει* apud Oppianum scholiasta scripsit: *ἐμβάλλει, ἀντὶ τοῦ γενναίως ἐπερείδει τὴν κεφαλὴν τῷ ἀγκίστρῳ πρὸς τὸ εὐρυνθῆναι τὴν πληγὴν καὶ ἐξελθεῖν τὸ ἄγκιστρον.* Vides autem inter auctores tres non solum verba concinentia etiam minutiora, sed totam eadem ratione conformatam periodum ultima parte inducta voculis *dum ὄφρα ἄχρις.* Latinus vero inertiam suam prodit detritis illis *acri concitus ira* ubi *acri captus hamo* exprimendum fuit. Neque causa cernitur ulla cur etiam illud *fluctus prosequi* iniecerit quod insolentissime scriptum nunc demum notamus ita velut si viator dixerit: viam meam prosequor.

De muraena Ovidius v. 27:

Et (At? cf. v. 38 et 31) murena ferox teretis sibi conscia tergi
Ad laxata magis connixa foramina retis
Tandem per multos evadit lubrica flexus
Exemploque nocens cunctis iter invenit una.

Eadem apud Oppianum III v. 117 verba sunt:

Μύραιναι δ᾽ ὅτε κέν ποτ᾽ ἐνιπλήξωσι λίνοισι
διζόμεναι βρόχον εὐρὺν ἐν ἕρκεϊ δινεύονται,
τοῦ δὲ διαΐγδην ὀφίων νόμον ὁρμηθεῖσαι
πᾶσαι ὀλισθηροῖσι διεξέπεσον μελέεσσι.

Et quidem alter *per multos flexus* dixit quod alteri videbatur *ὀφίων νόμον.* Ceterum satis ineleganter *διζόμεναι βρόχον εὐρὺν* vel *εὐρύτερον* latine exprimitur: *connixa ad magis laxata foramina.* Conferas etiam Aeliani I 33.

De sepia Ovidius v. 19:

Sepia tarda fugae tenui cum forte sub unda
Deprensa est iam iamque manus timet illa rapacis,
Inficiens aequor nigrum vomit illa c
Avertitque vias oculos frustrata sequentis.

Eadem nonnullis praemissis Oppianus III 156 sqq.:

> *Σηπίαι αὖ τοίῃσι δολοφροσύνῃσι μέλονται.*
> *ἔστι τις ἐν μήκωσι θολὸς κείνῃσι πεπηγὼς*
> *κυάνεος πίσσης δνοφερώτερος, ἀχλύος ὑγρῆς*
> *φάρμακον ἀπροτίοπτον, ὅ τε σφίσιν ἄλκαρ ὀλέθρου*
> *ἐντρέφεται· τὰς δ' εὖτ' ἂν ἕλῃ φόβος, αὐτίκα κεῖνον*
> *ὀρφναίας ῥαθάμιγγας ἀνήμεσαν, ἀμφὶ δὲ πόντον*
> *πάντα πέριξ ἐμίῃνε καὶ ἠμάλδυνε κέλευθα*
> *ἰχὼρ ἀχλυόεις, ἀνὰ δ' ἔτραπε πᾶσαν ὀπωπήν·*
> *αἱ δὲ διὰ θολόεντος ἄφαρ φεύγουσι πόροιο*
> *ῥηϊδίως καὶ φῶτα καὶ εἴ ποθι φέρτερον ἰχθύν.*

Item Plutarchus 978 A sq.: *οὐκ ἄξιόν ἐστι τὸ τῆς σηπίας παράδειγμα παρελθεῖν· τὴν γὰρ καλουμένην μύτιν παρὰ τὸν τράχηλον ἔχουσα πλήρη ζοφερᾶς ὑγρότητος ἣν θόλον καλοῦσιν ὅταν καταλαμβάνηται μεθίησιν ἔξω τεχνωμένη τῆς θαλάττης διαδολωθείσης ποιήσασα περὶ αὑτὴν σκότος ὑπεκδῦναι καὶ ἀποδρᾶναι τὴν τοῦ θηρεύοντος ὄψιν.*

Singula hoc in exemplo curiosius perpendamus. Communis sententiis tribus etiam structura est; incipiunt enim a *cum forte* vel *εὖτ' ἂν* vel *ὅταν. Cum deprensa est* apud Plutarchum habet cui respondeat. *Inficiens aequor* apud graecorum utrumque (*ἐμίῃνε* et *διαδολωθείσης*), *oculos frustrata* item apud utrumque recurrit. Atque etiam mirum illud *avertitque vias* simillimum Oppiani verbis videtur *ἠμάλδυνε κέλευθα;* sed enim *ἠμάλδυνε* idem quod *ἠφάνισε* (cf. schol.): quodsi *avertere* aliter accipi non possit atque apud Caesarem Bell. Gall. I 16 ubi ab Arare Helvetii „iter avertere" dicuntur, iam non idem scripserunt poetae. Sed potuerat facillime pangi latine *occultatque vias;* vereor itaque ne ponere ausus homo *avertere* sit sensu „furto subducere", velut dicebant: avertere pecuniam, hereditatem, praedam similia. Commeruit quippe ut vel inaudita ei imputaremus. Versus autem 21 litterae supremae abscissae sunt legimusque *nigrum vomit illa c.* Hauptius Ulitio duce ingratum hypermetrum dedit *vomit ilicet humorem.* Facilior correctio aut haec: *vomit illa colorem* aut potius: *vomit illa cruorem;* in hoc enim etiam sonus Ovidianus qualis in Met. XV 596 legitur: *rutilum vomit ille cruorem* (cf. supra p. 5 sq.). Accedit quod *ὁ θόλος* sepiae etiam Oppiani loco adscripto dicitur *ἰχώρ*, sicuti Plinius quoque de sepia IX 45: *effuso atramento quod pro sanguine his est*, et iterum XI 8: *sepiae in mari sanguinis vi-*

res optinet. Tamen hanc lectionem causa adest aperta cur abicere debeamus eadem videlicet qua Hauptius indignam eam putavit quam proferret. Totam iterum lege sententiam: *sepia cum forte Deprensa est iam iamque manus timet* illa *rapacis, Inficiens aequor nigrum vomit* illa *cruorem*: duplex *illa* enim quid valet nisi risum movere? Falsum alterutrum est neque alterum adoptare nisi eum decet qui falsum prius esse evicerit. Atque mihi quidem hoc sane ad verum multo propensius videtur; nam prius *illa* inertissimum ad taedium usque superfluit neque sensum haberet nisi si quid eo praeter sepiam aliud (velut fuga!) induceretur. Ecce error iucundissime submotus: (*sepia cum*) *Deprensa est iam iamque manus timet* hilla *rapacis.* Hoc est: iam ipsa viscera (*μήκωνες* Oppianus, *μύτις* Plutarchus) timent ne sibi rapaci manu sucus eripiatur. Quod non solum dictum exquisite videtur sed etiam ad rem ipsam aptissimum; id enim ducebant mirum in plerisque animalium, scire ea quare petantur (Plin. VIII 9); ita peti dentes suos sciunt elephanti (ibid. 7); castoreum suum fibri (ibid. 109); propter margaritas se peti gnara concha (Plin. IX 110; cf. etiam e. g. Philen v. 1662; Timotheum ed. Haupt. in Herma III cap. 54 lin. 15). Sedes autem atramenti, etiam apud Aristotelem quidem ea tum *μύτις* tum *μήκων* vocata, *χολή* apud Nicandrum Alex. v. 473, cum in Epigrammate de Sepia legatur:

Praestat carne cibos, apicum dat felle figuras
Et viri specie usum ad utrumque facit;

(in quibus *viri* pro *brevi* refecimus comparato Ov. Hal. v. 131, Oppian. Hal. II 455, Phil. 1831), haec eadem cur ab alio scriptore dici *hilla* minus potuerit non video. Immo iacent hillae inter ventriculum vel gulam et inter alvum (cf. Plini XI 200; Celsi IV 1); igitur audi modo Aristotelem Part. An. p. 681 B 19 ipsa viscera sepiae non aliter definientem: in mollibus animalibus esse *μόριόν τι ὑγρὸν δι᾽ οὗπερ ὁ στόμαχος* (gula, ventriculus) *τέταται πρὸς τὴν κοιλίαν* (alvum), id quod *μύτις* audiat apud quosdam; atque eandem sedem indicat scribens fragm. 315 Rose: *ὁ δὲ μήκων κεῖται ἐπάνω τῆς κοιλίας.* Iam latine quid vel aptius quam hilla? Id autem res iubebat fere poeta a plurali hillarum numero maioribus animalibus unice apto ut abstineret· quippe cum de animali res esset multo simpliciore et quod vera viscera omnino non haberet (cf. Aristot. fragm. citatum) neque duplicem ipsam vesicam sed simplicem; quapropter ad Laberium provocare nolo qui numerum singularem scripserat Ribb. Com. v. 145 (atque hic maxime

locus grammaticos et ipsum Vossium in Aristarcho ed. Foertsch I p. 508 permovit ut inter pluralia tantum ilia ponerent, hillas non ponerent). Recepta autem hac coniectura mea iam in illa quoque lectione nunc simul recipienda *vomit illa cruorem* cur positum sit *illa*, quod aliter et ipsum satis abundaret, explicabis. Denique *vomere* accuratissime Oppianeae lectioni respondet *ἀνήμεσαν*, quod eo gravius est quo falsius; certe Boeotis potius *ὀπισθοτίλαι* sepiae videbantur, cf. Strattin apud Athenaeum p. 622 A; Hesych. s. v.; Phot. 341, 18 quamquam atramentum in ore habere sepia dicitur Galen. lex. Hippocr. p. 528; Hesych. s. v. *μυττίς*.

De mugile apud Ovidium v. 38:

At mugil cauda pendentem everberat escam
Excussamque legit.

Praeclare eadem Plutarchus p. 977 A sq.: *πολλάκις δὲ καὶ τὸ στρογγύλον ὁ κεστρεὺς ὑποπτεύων ἐν κύκλῳ περινήχεται, τῇ οὐρᾷ περιῤῥαπίζων τὸ ἐδώδιμον καὶ ἀνακάπτων* (ita recte Wyttenbachius) *τὸ ἀποκρουόμενον*. Vide enim etiam in rhetorica re concordiam. Strictius latine dicendum plane fuit: excutit escam excussamque legit, ideoque graece: *ἀποκρούων τὸ ἐδώδιμον καὶ ἀνακάπτων τὸ ἀποκρουόμενον*; hoc concinnum; at uterque laxius loquuntur ut res variis coloribus diligentius illustretur. Copiosior autem Plutarchus ubi additur: *ἂν δὲ μὴ δύνηται, συνάγων τὸ στόμα καὶ περιστείλας τοῖς χείλεσιν ἄκροις ἐπιψαύων ἀποκνίζει τοῦ δελέατος*; Eadem etiam cognita Oppiano III 520 sqq.:

οὐ μάλ᾽ ἑτοίμως
ψαῦσε βορῆς, οὐρῇ δὲ πάρος μάστιξεν ἐγείρων
ἄγκιστρον, μήπου τις ἐνὶ χροῒ θέρμετ᾽ ἀϋτμή
(ζωοῦ γὰρ κεστρεῦσιν ἀπώμοτόν ἐστι πάσασθαι).
ἔνθεν ἔπειτ᾽ ἄκροισι διακνίζει στομάτεσσι
δαῖτα περιξύων. ἁλιεὺς δὲ κτλ.

Ad *περιξύων* scholiasta *παραψαύων* apparetque Graecorum utrumque ipsa exempli vocabula in hac posteriore parte pari diligentia assumpsisse. Sed enim ad Plutarchi verba *ἂν δὲ μὴ δύνηται* (sc. *ἀποκρούειν*) etiam rationem Oppianus aliquam inserit v. 523: nequire enim mugilem comedere escam si calor in ea sit et vivus halitus. Hocine etiam Plutarchus legerat? Immo variavit rem Oppianus; neque enim iam sollertias piscium hoc loco sed rationes tractat quibus capi soleant; itaque sic transformavit fabulam, ut hamum ipsum periculumque subesse omnino non per-

spiceret mugil, causamque excogitavit novam, qua rem explicaret et suo consilio caudae verbera accomodaret. Quod praeclarum quo illustretur istorum scriptorum compilatio exemplum est. Duae de calliditate mugilum fabellae fuerant: altera de evitando hamo quam et Plutarchus et Ovidius memoravit, altera de evitando rete quam unam Oppianus ponere inter piscium calliditates satis habuit III 98 sqq., cum praeteriret hanc latinus poeta, praeteriret etiam Plutarchus, qui duo tantum retis vitandi exempla prolaturus mugiles non praemittit nisi capi rete p. 977 F.

De lupo quoque fabulae acceptae duae fuere. Iterum enim de eo Plutarchus 977 F hunc in modum: *Ἀλλὰ καὶ πρὸς ταῦτα* (sc. *τὰ δίκτυα*) *μηχαναὶ ταῖς γαλαῖς ὥσπερ τῷ λάβρακι· *συρομένην γὰρ αἰσθανόμενος βίᾳ διΐστησι καὶ τύπτει κοιλαίνων τοὔδαφος· ὅταν δὲ *ποιήσῃ τῆς ἐπιδρομῆς τοῦ δικτύου χώραν ἔωσεν ἑαυτὸν καὶ προσέχεται μέχρις ἂν παρέλθῃ.*

Non aliter Oppianus III 121:

Λάβραξ δὲ πτερύγεσσι διὰ ψαμάθοιο λαχήνας
βόθρον ὅσον δέξασθαι ἑὸν δέμας, ἠΰτ᾽ ἐς εὐνὴν
ἐκλίνθη· καὶ τοὶ μὲν ἐπ᾽ ἠϊόνας κατάγουσι
δίκτυον ἀσπαλιῆες, ὁ δ᾽ ἰλύϊ κείμενος αὔτως
ἀσπασίως ἤλυξε καὶ ἔκφυγεν ἄκρον ὀλέθρον.

Hinc lacunosus latini fragmenti locus iam plenior adscribi ita poterit v. 23 sqq.:

Clausus rete lupus quamvis inmitis et acer
Dimotis cauda submissus sidit arenis
[In foveaque iacens, ubi rete levatur] in auras,
Emicat atque dolos saltu deludit inultus.

Sed etiam Plutarchi verbis succurrendum videtur. Primum enim etiamsi Wyttenbachio parebimus sensu carebunt ista *ὅταν δὲ ποιήσῃ (πρὸ) τῆς ἐπιδρομῆς τοῦ δικτύου χώραν ἔωσεν ἑαυτὸν* eqs. Quid est enim *ἐπιδρομή? ὁ ἐπίδρομος* venatoribus funis retis superior audiebat quo rete ipsum attrahebatur (cf. Polluc. V 29; Plini autem verba XIX 11 ita adscribo: *vidimusque* tamen *tantae tenuitatis ut anulum hominis cum epidromis transirent*, (*vix?*) *uno portante multitudinem qua saltus cingerentur*); itaque *ἡ ἐπιδρομὴ τοῦ δικτύου* ipsa adstrictio retis neque aliud est. Porro quid sibi vult *χώραν ποιεῖν?* Rem si spectaveris talia flagitabis: *ὅταν δὲ προνοήσῃ τῆς ἐπιδρομῆς τοῦ δικτύου τ᾽ ὥραν.* Porro stare nequit *ἔωσεν ἑαυτόν*: poterit *εἰςέωσεν ἑαυτὸν* in eoque acquiesco;

nam *εἰςωθεῖν* verbum ut est rarissimum ita rei unice convenit; absonum contra *ἐξέωσεν* ante *προςέχεται* positum foret. Sed plura consequuntur: etiam *τύπτει* apud Plutarchum incommodum: scriptum fuerat: *καὶ κύπτει κοιλαίνων τοὔδαφος*: *submissus sidit.* Quid vero de antecedentibus? ad *συρομένην* trahere *τὴν πανάγραν* Hercule dignus labor; atque etiam *διΐστησι* illud cum rem si spectas — quomodo enim piscis totam nassam potius quam unam maculam nassae dimovebit? — tum vero verba latini poematis, ad arenas, non ad rete attinere putabis. Denique mentio vel caudae desideratur vel pinnarum. Ostendere me verum non spondeo; via confido utendum tali esse: *πτερυσσομένην γὰρ ἁλοὺς τὴν ἄμμον βίᾳ διΐστησι,* in quibus *ἁλοὺς* idem atque *clausus rete.* Sed salubra etiam in poeta latino impedimur: an enim saltu piscis revera dolos deludit? Sed ipse iacet immotus fere neque nisi nassae motu emicat. Neque Plinius *saltu* legisse credetur qui ita rem referat: *lupum rete circumdatum harenas arare cauda atque ita condi dum transeat rete.* Itaque haec stultitia poetae non fuit. Multa correximus, corrigatur hoc quoque: el ?

ubi rete levatur in auras,
Emicat atque dolos astu deludit inultus.

Idem tamen quia ad *dimotis arenis* adponere *pinnis* desperabat, non bene caudam cum pinnis commutavit: neque enim cauda efficere piscis potest *βόθρον ὅσον δέξασθαι ἑὸν δέμας.* Sed cur non malebat: Dimota pinnis arena?

De polypo Ovidius v. 31 sqq.:

At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus haeret et hac eludit retia fraude:
Et sub lege loci sumit mutatque colorem
Semper ei similis quem contigit.

Item Oppianus in secundo libro v. 233:

(*πουλύποδες*) *οἳ πέτρῃσιν ὁμοίϊοι ἰνδάλλονται*
τὴν κε ποτιπτύξωσι, περὶ σπείρῃς τε βάλωνται;

cf. ibid. v. 297:

εἰ γὰρ καὶ ἀλευόμενος περὶ πέτρην
πλέξηται χροιήν τε πανείκελον ἀμφιέσηται.

At Plutarchus p. 978 D sqq.: *τῶν δὲ πολυπόδων τῆς χρόας τὴν ἄμειψιν ὅ τε Πίνδαρος ... καὶ Θέογνις ὁμοίως· πουλύποδος νόον ἴσχε πολυχρόου ὃς ποτὶ πέτρῃ τῇ περ ὁμιλήσῃ τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη. τοῦ δὲ πολύποδος ἔργον ἐστὶν οὐ πάθος ἡ μεταβολή· μεταβάλλει γὰρ ἐκ προνοίας* eqs.

Mendum turpe in latinis; neque enim post pronomen demonstrativum *hac* (*fraude*) adstrui sententia quae sequitur poterat copula *et*. Itaque Hemsterhusius ad Lucianum dial. marin. IV 3 ubi de polypo similia sunt nostrum locum dum citat vitium videbat, proposito autem suo non sustulit: Ut sub lege loci sumat mutetque colorem. Iam falsum dico etiam *sub lege loci*, quod Hauptius (praef. p. XXI) peculiare dixit Ovidio. Ovidius enim potius ita Amor. III 2, 20:

Haec in lege loci commoda circus habet.

et Artis Am. I 142 sine praepositione:

Quod tibi tangenda est lege puella loci.

Sub recte addi non credo; neque enim pertinuisse videtur nisi ad clausulas tales velut: *sub lege ne, sub conditione ut, sub ea conditione ne, sub exceptione si*, item *sub poena mortis* (Sueton. Calig. 48). Genitivus *loci* ad talem clausulam qui addi potuerit non video. Bene autem erit si color quam ob causam mutetur addiderimus; neque enim semper fit; unde huc ego quidem deferor:

Polypus haeret et hac eludit retia fraude:
Pressus lege loci sumit mutatque colorem,

hoc est: si ab hoste premitur. Quae si qua est sermonis durities propria tamen ea huius poetae est. Atque ne nunc quidem explanata omnia: nempe fraude ista coloris hostis quidem eludentur oculi, at retia minime, neque ideo nimirum retia eludi reliquorum scriptorum quisquam tradebat: at eludebatur praeter hominem piscium quoque incursus velut murenarum. Concidit ecce etiam *retia* lectio. Quid? si sollemnia in hoc carmine retia sibi invenire in his scribae videbantur: *Polypus haeret et hac eludit* praelia *fraude?* velut *eludere hastas, telum* similia dicebant. Rationisne suasioni oboedies?

Adicitur autem etiam altera fraus qua polypus insidias eludat, et quidem ea si hamo captus sit:

Atque ubi praedam
Pendentem setis avidus rapit, hic quoque fallit,
Elato calamo cum demum emersus in auras
Brachia dissolvit populatumque expuit hamum.

Hoc Ovidius solus ex communi auctore descripsit, describere nec Plutarcho neque Oppiano placuit.

Haud aliter de murena una Oppiano narratiuncula satisfacere videbatur omisitque hanc quam latine scriptam legimus v. 43:

Nec proprias vires nescit murena nocendi
Auxiliique sui morsu nec cominus acri
Deficit aut animos ponit captiva minacis.

Haecine omnia? captiva est; iam ubi auxilium? Num verborum hoc tumore fieri potuit ut rem scriptor revera oblivisceretur? At enim Plinius recens tum carmen inspiciens de muraena excerpendum hoc esse vidit: *muraenae amplius devorant quam hamum; admovent dentibus lineas atque ita erodunt.* Itaque abolitus versus saltem unus, neque plus uno, cum duos illa vix compleant; liberiore autem ornatu res etiam alias Plinius refert, velut quae de polypo sunt. Igitur sic puta vel similiter legebatur:

Amplius os hamo vorat eroditque ita linum,

eaque exciderunt propter similitudinem vocum principalium *Amplius* et *Anthias* qua ratione et alii multi errores explicantur et quod in libris Homeri Latini quibusdam versus 92 ante v. 93 in marginem abiit cum alter a *Turpiter* alter a *Iuppiter* inciperet.

Legitur autem de anthia v. 46 sqq.:

Anthias his tergo quae non videt utitur armis
Vim spinae novitque suae versoque supinus
Corpore lina secat fixumque intercipit hamum.

Similia certe Plutarchus legerat 977 C: *οἱ δὲ ἀνθίαι τῷ συμφύλῳ βοηθοῦσιν ἰταμώτερον· τὴν γὰρ ὁρμιὰν ἀναθέμενοι κατὰ ῥάχιν καὶ στήσαντες ὀρθὴν τὴν ἄκανθαν ἐπιχειροῦσι διαπρίειν τῇ τραχύτητι καὶ διακόπτειν.*

Itaque artificium idem apud Plutarchum, nisi quod non sibi ipsi, sed fratri opem fert anthias neque ideo ut lina secet verso corpore supinus natare dici potest.

Sed accurate idem atque Ovidius Oppianus recepit qui non inter sollertias, sed in captura piscium de anthia eadem brevitate qua Ovidius haec inserit III v. 333 sq.:

Πολλάκι δ᾽ ὀξύπρωρον ὑπὲρ ῥάχιν ἔτμαγε δάψας
ὁρμιήν, ἀπὸ δ᾽ ἦξε λιπὼν κενὸν ἀγρευτῆρα.

Itaque piscis lineam quam ipse admorsam tenet (*δάψας*) imponens in acuta sua spina dissecat. Ipsum *δάψας* illud Ovidius falsus ita expressit ut *fixum* hamum esse diceret. Id vero quo discrepat Plutarchus quo pacto explicabis? Duae videlicet de anthia in exemplo communi fabellae exstiterant, quarum in altera calliditas piscis quomodo ipsi prodesset, in altera quomodo piscibus sociis exponebatur. Quod persuasum habebis ultimo loco iis examinatis quae de scaro pisce scripta produntur. Adnoto autem Plinium de anthia

ita referre ut *cultellatam spinam* habere anthiam dicat. Unde hanc vocem? Memoriter ea repeti ex eiusdem VIII 91 videtur estque id quasi pignus recte hoc quoque loco in optimo uno Riccardiano tradi: (delphinorum dorso) *cultellata inest spina* (velut infra etiam: *alvum illa secant spina*).

Oppianus de scaro nobilissimo pisce uberior est narratque primum commune scaris hami effugium, deinde ad rete transit; latinus poeta haec recepit, illa omisit. Itaque Oppianus IV 49 sqq.:

εὖτε γὰρ ἐς κύρτοιο πέσῃ λόχον αἰόλος ἰχθῦς
αὐτίκ' ἐπεφράσθη τε καὶ ἐκδῦναι κακότητος
πειρᾶται, τρέψας δὲ κάτω κεφαλήν τε καὶ ὄσσε
ἔμπαλιν εἰς οὐρὴν ἀνανήχεται ἕρκος ἀμείβων.
ταρβεῖ γὰρ σχοίνους ταναηκέας αἳ πυλεῶσι
ἀμφιπεριφρίσσουσι καὶ οὐτάζουσιν ὀπωπὰς
ἀντίον ἐρχομένοιο.

Quae ita latine scripta sunt v. 9 sqq.:

Sic et scarus arte sub undis
Si n[assa captus de spe, piscator et ipse,]
Decidit adsutamque dolo tandem pavet escam,
Non audet radiis obnixa occurrere fronte,
Aversus crebro vimen sed verbere caudae
Laxans subsequitur tutumque evadit in aequor.

Itaque *non audet* idem quod *ταρβεῖ; σχοῖνοι radii; ἀντίον ἔρχεσθαι obnixa occurrere fronte; τρέψας δὲ κάτω aversus;* caudam quoque memorat Oppianus, verberibus omissis. Igitur in capite sententiae recte locari *si* graeco exemplo probatur; eodem commendatur nassam latere sub littera *n*. Decidere autem scarus qui poterat in nassa? Aut male corruptum *decidit* est aut ita accipiendum ut nos accepimus; tum vero de lacuna explenda non nimis contra me pugnabitur. Duriusculum sane *arte* in v. 9; tamen durius esset etiam, si in v. 10 *nassae* scriberes ut esset iungendum: „si arte nassae captus"; duplex ablativus ad participium non peius ponebatur quam illud *septem spatiis circo* in v. 68; ars autem haec illa est in qua laborem suum se ponere poeta clamat v. 82. Denique quod in v. 11 traditur antiquitus *adsumptaque dolo,* nisi *dolo* adderetur laudarem *adsumptam*; esca enim haec non dolo, sed incuria adsumitur; accedit quod etiam scaro femina pro esca piscatores utebantur: hanc etiam minus dolus sumpserit. Quod autem ingeniose excogitarunt *adsutamque bolo,* laudasse me satis sit; tutius enim ipse mihi iisse praeeunte Ulitio videor.

Sequentia de scarorum societate quae agunt ab utroque eodem modo adiunguntur; atque ita Oppianus IV 56:

οἱ δέ μιν εἰςορόωντες ἀμήχανα δινεύοντα
ἔκτοθεν ἀντιόωσιν ἀρηγόνες οὐδ' ἐλίποντο
τειρόμενον· καί πού τις ἑὴν ὤρεξε διασχὼν
οὐρὴν ἠύτε χεῖρα λαβεῖν ἔντοσθεν ἑταίρῳ·
αὐτὰρ ὃ δὰξ μὲν ἔρεισεν, ὁ δ' ἔσπασεν ἄϊδος ἔξω
οὐρὴν ἡγήτειραν ὑπὸ στόμα δεσμόν ἔχοντα·
πολλάκι δὲ προβαλόντος ἑὴν ἔντοσθεν ἁλόντος
οὐρὴν ἄλλος ἔμαρψε καὶ ἐξείρυσσε θύραζε
ἑσπόμενον· τοιοῖςδε νοήμασι πότμον ἄλυξαν.

Eadem Plutarchus ita p. 977 C:

οὗτοι δὲ καὶ τοῖς εἰς κύρτον ἐμπεσοῦσι τὰς οὐρὰς παραδόντες ἔξωθεν ἕλκουσι δάκνοντας προθύμους καὶ συνεξάγουσιν, — nisi quod etiam pauca haec Plutarchus praemisit: *Ἄλλα δὲ ἐπιδείκνυται μετὰ τοῦ συνετοῦ τὸ κοινωνικὸν καὶ τὸ φιλάλληλον ὥςπερ ἀνθίαι καὶ σκάροι. σκάρου μὲν γὰρ ἄγκιστρον καταπιόντος οἱ παρόντες σκάροι προςαλλόμενοι τὴν ὁρμιὰν ἀποτρώγουσιν*; quae etiam apud Oppianum sunt IV v. 43, ut diximus, ubi *πολλάκι πληγέντος ὑπ' ἀγκίστροιο ἄλλος ἐπαΐξας πρόμαχος σκάρος ὀδοῦσιν ὁρμιὴν ἀπέκερσε.*

Ovidiana autem tam prave corrupta verba in v. 15 sqq., ut emendata describere nondum liceat:

Quin etiam si forte aliquis dampro nataret
Mitis luctantem scarus hunc in vimine vidit,
Aversi caudam morsu tenet atque lita
Uber servato quem texit que resultet.

Tamen hoc quidem statim elucet, scari cum Oppiano auctore duplici via vimine scarum liberent, earum alteram quidem clarissime repeti a Plutarcho, alteram et quidem posteriorem (inde a v. 62) a falso Ovidio.

Superest ut lectionem curemus. Et quidem verba *si vidit* optime respondere Oppiano apparet qui habet *οἱ δέ μιν εἰςορόωντες*. Item mitis scarus non sponte dicitur, sed quia auctor ille ex quo ista fluxere mitem scarum esse et *φιλάλληλον* (cf. Oppiani v. 40) hac narratione probaverat. Iam vero in v. 15 regnare Heinsi aliquod temptamen solet quod fuit:

si forte aliquis dum praenatat arcto
Mitis luctantem scarus hunc in vimine vidit;

id quod Thuanei magis libri fide nititur qui habet: *si forte aliquis dam pronata reto* eqs. Atque aliquam veri speciem in his esse si quis agnoverit ignoscet quod nos quoque in ista olim verba iuravimus. Quem meum errorem quia ne Zingerle quidem correxit corrigere iam mihi ipsi concedatur.

Et primum captat is veri dissimilitudinem qui Thuanei scripturas Vindobonensibus anteponit. Taedet enim enumerare vitia quae ille habet horum similia: *Etmoro ucanis* ubi Vind. recte *Et morsu canis; amos ponat captiuam macis* ubi Vind. recte: *animos ponit captiva minacis; maiore gurum* ubi Vind. recte: *maior equorum.* Contra Vindobonensis nusquam vincitur a Parisino nisi in rebus levissimis, plerumque orthographicis, ut *saepia* habet pro *sepià*, *caecidit* pro *cecidit*, *imperavit* pro *impetravit*, *creberrima* pro *creberruma*, *expsitis* pro *expositis*, *Au fuit* Grat. v. 104 ubi Paris. *aut fuit* sed *t* linea traiecto, *excaepit* pro *excepit*, *magna quae* pro *magnaque*, denique *vimens sub* Hal. 13 ubi Paris. *vimen sub* cum legendum sit *vimen sed.* Accedit locus ubi praeter calami errorem Vindob. item a vero propior esse quam Paras. videtur Grat. 34: *Optuma Cinyphiae*; nam Parisinus: *Optumaci nymphie*, Vindobonensis: *optuma ticinyphiae.* Difficilior locus est Grati v. 69 sqq. qui ita fere in Vind.:

Ipse deus cultorque feri Tirynthius orbis,
Quem mare quem tellus quem praeceps ianua Ditis
Omnia temptantem qua laus erat obvia *passi,
Hinc decus et famae primum impetravit honorem.

Hic pro *passi* in Paris. est *pse si* (a supra). Subposuerunt alii ineptiora, Hauptius *passa est;* non satis certo, immo falso; esse enim poeta semideos volebat exempla, quam magna mercede illi silvas impulerint (cf. 65), ita ut Herculem omnino exspectemus laborantem: „*Quem mare, quem tellus, quem praeceps ianua Ditis Omnia temptantem qua laus erat obvia* pressit“ pergique videatur: *Hinc,* ut sit: non nisi hinc *famae impetravit honorem.* — Unus locus est ubi aperte meliora legisse videbatur Thuanei librarius; sed econtra neglegentiam ille prodit interpretum. Praecepta de cassi facienda ponit Gratius v. 25 sqq.:

Prima iubent tenui nascentem iungere filo
Limbum et quadruplicis tormento adstringere limbos:
Illa operum patiens, illa usus linea longi.
Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore

Per senos circum usque sinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo si quisquam est plurimus hostem.

Ita in v. 28 Parisinam membranam sequuntur nisi quod haec etiam concordans cum Vindob. pro *medio* exhibet *memedio.* Videamus interpretationem qualem Ulitius Wernsdorfius Sternius curaverunt. Linea efficitur, si limbi quattuor tenui filo iuncti torquentur et adstringuntur. Haec linea est ὁ περίδρομος. Iam audi: Eum cassem qui ab illo peridromo nascitur medio o r e (?), id est a media parte peridromi (?), oportet circumlaqueare per senos sinus vel segmenta! O s hoc quid sibi velit intellegere vereor ut intellegentia prudentiorum sufficiat. At novimus peridromo orbem effici; itaque *orbe* substituere festina. Atque iam acquiescat quis forsitan in Parisina lectione: „Tum ipsum cassem qui medio lineae orbe nascitur circumlaqueabis“ eqs. Sed haec ex Vindobonensi restituta quis non et elegantiora esse et veriora sentiet:

Tunc ipsum e medio cassem, q u o nascitur, o r b e
Per senos circum usque sinus laqueabis eqs.

Circumlaqueatur cassis e medio peridromo, ubi ipse nascitur, usque ad peridromum per senos sinus; atque ita t e r g u m (cf. Vergili Aen. X 784) efficitur vel ὁ κεκρύφαλος.

Ut vero Halieuticorum memoriam resuscitem Heinsianum illud *si forte aliquis, dum praenatat, arcto . . . in vimine vidit,* praebet etiam quod carpas; nimis enim illud *arcto vimine* distractum, atque de *praenatat* ut ad Plini IX 146 et ad praenavigandi usum mittamur, tamen minus *dum praenatat* quam *qui praenatabat* dicendum fuit. Porro *dum* planam voculam abiisse in *dam* non nimis veri simile, denique *nataret* quod traditur metro clausula aptissima est. Proficiscendum est ab *aliquis.* Nempe qui ad scarum accedet non a l i q u i s scarus erit, sed a l i u s. Hoc usu docemur loquendi, docemur etiam a Plinio qui locum nostrum ita expressit: „*quem* luctatum *eius* si forte alius *scarus extrinsecus* videat“; neque non ab Oppiano qui habet: πολλάκι δὲ . . . οὐρὴν ἄ λ λ ο ς ἔμαρψε. Atque sic nactis nobis unde pendeat *nataret* ad emendationem talis paratus versus est:

Quin etiam si forte alius qui dampro nataret.

Inferamus Plini, inquis, *extrinsecus,* Plutarchi ἔξωθεν, ἔκτοθεν Oppiani. Frustra. An subesse credas: *qui ad rete natarit* vel *ad claustra* vel *ad* quodquod voles aut denique *qui pòne natarit?* Itaque caute agamus, vestigia litterarum premamus. Unum quod scriptum olim fuisse non potest *pro* syllaba est; unum fere unde

haec nasci facile potuit *p* littera; itaque agnoscere videor vocem *dampna* cuius terminatio *na* postquam ante *nataret* sese subduxit, indignum illud subrepsit supplementum. Hoc enim cogito:

Quin etiam si forte alius qui damna notarit
Mitis luctantem scarus hunc in vimine vidit;

in quibus possis etiam *notarat*. Societas est enim scarorum *φιλαλλήλων*. Iam societatis alius hic scarus notavit damna: unum illum abesse.

Certiorem etiam ad insequentia medelam admovere videor. Ubi quod Heinsio debetur:

Aversi caudam morsu tenet atque lita . . .
Liber servato quem texit cive resultat,

cive restituto praeclarum est, ceterum falsum; an non ridiculum putem liberatorem de quo iam actum per tres versus est quemque esse liberum per se patet, nunc demum non fuisse dici in vimine? neque adeo germanice verti licet: der (bekanntlich) freie, sed rectius: als ein freier prallt er zurueck, quasi is qui resultat liberetur. Quin etiam omnis reicienda coniectura quacunque tangitur modus coniunctivus *resultet* qui oriri neglegentia vix poterat. Quod vero Riesius: *citato Verbere servato* eqs. ne probemus etiam res vetat. Iam quo illud etiam *lita*? pertinebat haud dubie ad gravissimam actionem id quod graece dicitur *ἐξείρυσσε* et *ἕλκουσι*, quod Plinius transcribit *adiuvare nisus erumpentis*; quodsi recte conicio *morsu tenet atque lacessit*, litterae turbatae sunt ut v. 127 *paseuc* de quo infra dicemus; ideo *Uber* quia pro illo *resultet* coniunctivo coniunctio aliqua fuerit oportet, nullam lectionem confidentius posui quam hanc:

caudam morsu tenet atque lacessit,
Donec servato quem texit cive resultet.

Scriptum fuisse *Dōec* sumendum est atque hinc in langobardica scriptura nasci facillime *b* littera poterat, in qua hasta directa tenuior est comparetque magis *o* supra quam virgula est ubi addatur librata, ita fere: *ō*. Male autem *texit* vel *protexit* dicitur pro *adiuvit;* tamen *traxit* substituere in isto scriptore haereo; nec minus audacis in v. 14 illud *subsequitur* est quod interpretor: se subtrahit sequens caudam suam.

VII.

Contigit nobis in scriptoris latini de re piscatoria inquirentibus experientiam ut vetustioris alicuius scriptoris de piscium calliditate

tractatum detegeremus cuius ipsa sententiarum conformatio atque ipsa haud raro etiam verba servata fideliter esse videbantur. Stilus ubique idem quem dicunt, idem ubique consilium. Num quis fuerit scire cordi tibi sit nescio. Certe eundem hic illic Aelianus quoque secutus est neque casu Aelianus et anthiarum et scarorum humanitatis exempla — modo fas sit humana de piscibus — uno capite complexus est I 4 et de scaris quidem sicut Oppianus omnia tria auxiliandi exempla cum duo Plutarchus habeat, unum Ovidius; at de anthiis rem ibidem misere depravavit Aelianus: non casu etiam de murena ac sepia coniunxit fabellas I 33 et I 34. Iam vero ad sententiolam attende quam ille sepiae fraudi adnexuit: *τοιοῦτόν τι καὶ τῷ Αἰνείᾳ νέφος περιβαλὼν ἠπάτησε τὸν Ἀχιλλέα ὁ Ποσειδῶν, ὡς Ὅμηρος λέγει.* Minime hoc Aeliani est; idem enim Plutarchus videlicet legerat qui ipse quoque ad sepiam fraudulentam adicit: *ἀπομιμουμένη τοὺς Ὁμήρου θεοὺς κυανέῃ νεφέλῃ πολλάκις οὓς ἂν σῶσαι θέλωσιν ὑφαιρουμένους καὶ διακλέπτοντας.* Itaque auctorem communem illi non poetam sed prosae orationis scriptorem secuti sunt, qui Homeri et poetarum verba docte attulerat sicuti supra ad polypum adferre eum et Pindarum vidimus et Theognidem. Atque requirenti mihi aliquod in Plutarcheo libro praeter Aristotelem auctoris nomen hic locus occurrit quo sane praeterito mire socors dicendus essem; postquam enim piscium genera saepissime catervatim vivere Plutarchus dixit, pergit p. 980 A: *ἀλλὰ μᾶλλον ἐπὶ τὰς κατ' ἰδίαν κοινωνίας αὐτῶν καὶ συμβιώσεις ἰτέον. ὧν ἐστι καὶ ὁ τὸ πλεῖστον ἐξαναλώσας Χρυσίππου μέλαν πινοτήρας παντὶ καὶ φυσικῷ βιβλίῳ καὶ ἠθικῷ προεδρίαν ἔχων· τὸν γὰρ σπογγοτήραν οὐχ ἱστόρηκεν· οὐ γὰρ ἂν παρέλιπεν.* Subnasci suspicio possit scriptum fuisse *τοῦ παντὶ καὶ φυσικῷ βιβλίῳ καὶ ἠθικῷ προεδρίαν ἔχοντος,* audiebat enim Chrysippus *ὁ ὄντως φιλόσοφος καὶ περὶ πάντ' ἀνήρ*; sed in tali lectione neque intellegeretur cur *λογικὰ* omittuntur *βιβλία* et adici postularetur *τῶν Στωϊκῶν.* Itaque adstipulandum omnino Wyttenbachio est corrigenti *ἐν παντὶ .... ἔχων.* Primarium nempe locum pisciculo Chrysippus nisi in physicis ethicisque libris non dabat quia ad *λογικὰ* quaestio de anima moribusque animalium non pertinebat. Quid igitur? nonne prorsus absurde philosophus inter res omnes quascunque tractaret atque universi mundi pinoterae locum dare diceretur primarium? Ergo mores prudentiamque etiam aliorum ille aut piscium aut animalium certe descripserat. Eodem ducit quod plurimum operae (*τὸ πλεῖστον μέλαν*) dedisse eum huic uni

pisciculo legimus — aut prorsus absurde hoc dictum est de eo quem scimus audiisse *τὸν πολυγραφώτατον* aut ita ut supplendum esset cogitando *ὁ τῶν ἰχθύων* vel *ὁ τῶν ζῴων πάντων τὸ πλεῖστον ἐξαναλώσας* eqs. — et quidem pisces inter ista animalia plures adfuisse facile ad credendum est. Eodem id ducere videatur quod etiam omissum a Chrysippo piscem esse scriptor monet. Iam primum eo pellimur ut Oppiani etiam de pinotera consensum quaeramus; qui consensus quia latere non poterit verba nuda adponam et Plutarchi:

ὁ μὲν οὖν πινοτήρας ζῷόν ἐστι καρκινῶδες ὥς φασι καὶ τῇ πίνῃ σύνεστι, καὶ πυλωρεῖ τὴν κόγχην προκαθήμενος, ἐῶν ἀνεῳγμένην καὶ διακεχηνυῖαν, ἄχρι προςπέσῃ τι τῶν ἁλωσίμων αὐτοῖς ἰχθυδίων· τότε δὲ τὴν σάρκα τῆς πίνης δακὼν παρειςῆλθεν, ἡ δὲ συνέκλεισε τὴν κόγχην καὶ κοινῶς τὴν ἄγραν ἐντὸς ἕρκους γενομένην κατεσθίουσι.

et Oppiani II v. 189 sqq.:

Ὄστρακον αὖ βυθίας μὲν ἔχει πλάκας, ἐν δέ οἱ ἰχθὺς
πίννῃ ναιετάει κεκλημένος· ἡ μὲν ἄναλκις ....
ἀλλ' ἄρα οἱ ξυνόν τε δόμον ξυνήν τε καλύπτρην
καρκίνος ἐνναίει, φέρβει δέ μιν ἠδὲ φυλάσσει.
τῷ καὶ πιννοφύλαξ (ita piscis dactylis accomodatur) *κικλήσκεται. ἀλλ' ὅτε κόχλον*
ἰχθὺς ἔνδον ἵκηται, ὁ δ' οὐ φρονέουσαν ἀμύξας
δήγματι κερδαλέῳ πίννην ἕλεν· ἡ δ' ὀδύνῃσιν
ὄστρακα συμπλατάγησε καὶ ἔνδοθεν ἐφράσατ' ἄγρην
αὐτῇ τ' ἠδ' ἑτάρῳ, ξυνόν θ' ἅμα δεῖπνον ἕλοντο.

Contra *σπογγοτήραν* Aristotelis abfuisse a Chrysippo Plutarchus testatur: an hoc dices fuisse cur etiam ab Oppiano praetermitteretur? Miro modo factum est ut nobis quoque pinoteras absumere plurimum atramenti deberet. Novimus librum ex turba Chrysippeorum qui pisciculi mentionem continuerint saltem unum, quintum librum *περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς*. Haec enim Athenaeus p. 89 D postquam Pamphili commemoravit de pina et pinophylace sententiam:

Χρύσιππος δ' ὁ Σολεὺς ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς ἡ πίνη, φησί, καὶ ὁ πινοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις, κατ' ἰδίαν οὐ δυνάμενα συμμένειν. ἡ μὲν οὖν πίνη ὄστρεόν ἐστιν, ὁ δὲ πινοτήρης

καρκίνος μικρός. καὶ ἡ πίνη διαστήσασα τὸ ὄστρακον ἡσυχάζει τηροῦσα τὰ ἐπεισιόντα ἰχθύδια, ὁ δὲ πινοτήρης παρεστώς, ὅταν εἰςέλθῃ τι, δάκνει αὐτὴν ὥςπερ σημαίνων, ἡ δὲ δηχθεῖσα συμμύει. καὶ οὕτως τὸ ἀποληφθὲν ἔνδον κατεσθίουσι κοινῇ.

Itaque cum antea adscriptis et res et ordo rerum concinunt, Plutarchus nimirum hic illic ornatum aliquem etiam putidiorem intulit (*πυλωρεῖ* alia); maior Oppiani fides etiam in structura: *ὅτε ἰχθὺς ἔνδον ἵκηται*, quae in Chrysippo: *ὅταν εἰςέλθῃ τι*, cum neglecta ea a Plutarcho sit; id casu fieri potuit ut duo posteriores una *τὴν ἄγραν* ponerent ubi Chrysippus *τὸ ἀποληφθέν*. Neque affirmari id potest hunc librum ipsum esse quem se sequi Plutarchus ait.

Tamen potest fuisse. Neque iam est quod taceam, prima philosophi verba dum lego non levi semper me dubitatione turbari quae sunt: *ἡ πίνη καὶ ὁ πινοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις, κατ' ἰδίαν οὐ δυνάμενα συμμένειν*. Vertendum videtur: cum non possint vivere sine socio; sed cur non rei convenienter scriptum est *οὐ δυνάμενα ζῆν, διαζῆν, σώζεσθαι?* Sane etiam *συμμένειν* permansionem aliquam significat, sed eam minus personarum quam rerum et magis earum ex partibus pluribus compositarum, ita ut oppositum sit non mori, sed disiungi vel dissolvi in partes suas, estque *τὸ ἓν εἶναι τῶν διαιρετῶν* (Gl. Aristot. Metaph. 12 p. 262, 11), ita ut *συμμένειν* dicantur *συμβάσιες, ὁμαιχμίαι, φιλίαι, συνθῆκαι, στάσις, πόλις*, neque minus apte *ὁ ὀπὸς* Strabon. p. 525; idem valet illa ipsius Chrysippi *συμμονὴ καὶ συνοχὴ* mundi apud Plutarchum Sto. rep. 1054 F. Itaque idem nostro loco pro *διαζῆν* accipere dubito idque eo magis, quia de societate aliqua animalium agitur *συνεργῶν* et *συμμενόντων*. Augetur suspicio comparatione verborum Plutarchi qui Chrysippum aperte spectat cum ita pinoteram inducat: *ἀλλὰ μᾶλλον ἐπὶ τὰς κατ' ἰδίαν κοινωνίας αὐτῶν καὶ συμβιώσεις ἰτέον*. Venia igitur conicienti erit etiam priore loco verbis *κατ' ἰδίαν συμμένειν* quasi termino certo has ipsas *κατ' ἰδίαν συμβιώσεις* designari oppositas eas maioribus piscium et *δημοσίᾳ* constitutis societatibus quae antecedunt. Quod si corruptum est *δυνάμενα*, tamen talibus: *κατ' ἰδίαν εἰωθότα* vel *εἰθισμένα συμμένειν* vereor ne operam perdideris; probabilius autem ni fallor ita Chrysippum scripsisse coniecto: *ἡ δὲ πίνη καὶ ὁ πινοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις κατ' ἰδίαν, οὐ δημοσίᾳ συμμένει*;

in quibus infinitivi forma suborta non ante ortum illud δυνάμενα. Sequitur — quatenus ex coniectura coniecturam facere condonabitur — ut etiam in quinto libro περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς sicut apud Plutarchum maiores scarorum anthiarumque societates pinae antecesserint.

De compositione librorum περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς nihil adhuc compertum habemus. Ne argumentum quidem quid fuerit ex Athenaeo eruas qui parerga tantum quibus ille florebat suum in usum extraxit; memoratum fuerat in quarto libro τὸ ξύρεσθαι τὸν πώγωνα κατ' Ἀλέξανδρον Ath. p. 565 A, in eodem caenae duae ἐν Λυκείῳ τε καὶ Ἀκαδημίᾳ habitae p. 137 F; in quinto autem libro de Pantaleone τῷ πλάνῳ fabula p. 616 A, in eodem, quod in septimo libro repetebatur, Archestrati Epicurei Philaenidisque scripta a gulosis hominibus quae ediscerentur p. 335 D et E, denique in eodem quinto et pinoteras adfuit et comparatio ni fallor aliqua colorum nigri ingrati, grati albi: καθάπερ τινὲς τὰς λευκὰς ὄρνιθας τῶν μελαινῶν ἡδίους εἶναι μᾶλλον. Huc fere etiam de Sardanapalo locum pertinuisse credibile est (Athen. p. 337 A cf. Baguet § CVII). Etiam coquinaris res Chrysippi nomine scripta (Athen. p. 9 C) exstabat (Suida s. v. λασταυροκάκκαβον teste) ἐν τῷ περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, ubi nota libri ita elapsa ut etiam Athen. p. 158 B ἐν τῷ περὶ τοῦ καλοῦ — nam hoc philosophi scriptum idem esse teneas; atque hic Chrysippum etiam γνώμας de lente aliquas attulisse docemur — quo de loco nescio num cui Meinekius iudiciolum suum persuaserit (Anal. crit. ad Ath. p. 75); ut enim concedatur dici potuisse eo sensu ut voluit:

μή μοί ποτ' ἐλαίαν ἔσθι' ἀκαλήφην ἔχων.
χειμῶνος ὥρᾳ βολβοφακῇ βαβαὶ βαβαί.

tamen omnino non perspicitur cur primum versum non omiserit Chrysippus, neque quid tandem iste habeat cur cum altero copuletur. Ego ita obsequendum membranis esse puto:

μηδέποτ' ἐλαίαν ἔσθι', ἀκαλήφην ἔχων
χειμῶνος ὥρᾳ βολβοφακῆν. βαβαὶ βαβαί,

ut sermonis popularis vel comici audacia non substantivum, sed adiectivum sit βολβοφακῆν indicetque libentius Stoicos edere urticam cum lente simul et caepa. Aliena a graeca scilicet lingua et a populis Europae praeter Slavos omnibus substantiva qualia dvandva Indi praedicant (Joh. Schmidt: Die Verwandtsch. der indogerm. Spr. p. 14, Fick, Die Spracheinheit d. Indog. Europas p. 39).

Iam quia de eduliis praeparandis uterque horum locorum agit, utrobique eundem libri numerum excidisse conici potest. Eodem e. g. κλαῦστρον quod Chrysippus iniecit trahi possit, Athen. p. 647 D. Apud Laertium citatur ἐν τοῖς περὶ τοῦ καλοῦ VII 101 et ἐν τοῖς περὶ τῆς ἡδονῆς VII 103. Item apud Plutarchum Sto. rep. 1039 C ἐν τῷ περὶ καλοῦ numerus periit. Summa denique disputationis per tot libros effusae universae quae fuerit ipsa inscriptione docemur: opponebantur inter se voluptas atque honestum, hoc est et quod Epicureis et quod Stoicis esse τὸ τέλος vel finis summus videbatur, ea tamen rebus externis plurimis quasi confluentibus inundata, cum contra in libris περὶ τελῶν vel περὶ τέλους non plus duobus (vide Plutarch. Sto. rep. p. 1042 E sq.) etiam aliorum puta philosophorum de summo bono placita respiceret Chrysippus. Ciceronem in Acad. II 138 et 140 quo iure magis parvum hoc quam maius illud de finibus opus respicere Madvigius dixerit (ad De fin. II 44) non video. Atque ex locis Laerti Diogenis atque Plutarchi adlatis in opere maiore disputatum esse comprobatur, et honestum idem esse atque bonum (cf. Galen. de Hipp. Plat. tom. III p. 460 K.) et econtra voluptatem bonum non esse. An duae portiones librorum fuerant, altera περὶ τοῦ καλοῦ, altera περὶ τῆς ἡδονῆς? Ad animalium naturas qua via sermonem deflexerit non liquet.

Sed hocine revera in nostra re an aliud Chrysippi opus cogitare debeamus opinioni largiar. Viam quaeramus qua ad animalia devenerit. Pavonem ille edixerat natum non esse nisi caudae causa Plut. Sto. rep. p. 1044 C; quod cum Cicero repeteret De fin. III § 18, et hoc et quae ibidem adduntur de usu membrorum a Chrysippo accepisse Ciceronem Madvigius intellexit. In eodem autem libro De fin. § 62 ubi de parentum liberorumque amore agitur et porro § 63 sententia eadem de membris corporis iteratur, simul vi naturae amorem illum nasci explanatur bestiarum exemplo, ibique legitur: *at illa quae in concha patula pina dicitur isque qui enat e concha qui quod eam custodit pinoteres vocatur, in eandemque cum se recipit includitur, ut videatur monuisse ut caveret,* — neque haec tantum sed additur: *itemque formicae, apes, ciconiae aliorum etiam causa quaedam faciunt.* Quae de pina verba errorum nube obducta sensum etiam Madvigio obcaecaverunt. Neque enim de morsu neque de communi praeda quicquam audimus, sed custos ridiculus eo usque pinam non adiuvat, ut primum se in concham recipiat, deinde ab ea includatur, atque inde scriptor cerritus colligit monitum esse ut caveret — quemnam, quaeso?

concham minime! immo concha ipsa talis evadit ut custodem suum custodiens monuerit sese ut reciperet et caveret! Quod quia absurdum est, credatur quidem Cicero festinantius res excerpere solitus esse, haec autem peccavit librarius. Nempe non minus ridiculum illud *enat*: proprium sicut pinae est ut in concha sit semper, num item custodi ut enet? non magis hercle quam ut innatet in concham. Dicendum saltem fuit: qui extra concham natat. Denique corruptela proditur voce *recipit* quam tolerari non posse docti senserunt. Ciceroni et ratio et res et sermo haec adrogant: *at illa quae in concha patula* vivit (quae *pina dicitur*) *isque qui* enatus *e concha* (*qui quod eam custodit pinoteres vocatur; in eandemque cum se* fert piscis *includitur*, *ut videatur monuisse ut* clauderet) *itemque formicae* eqs. Quae laxius sane Cicero construxit nisi forte ad *videatur monuisse* etiam addere *ille* vel *custos* praeferes. Ceterum non anacolutha structura sed sic explenda: *At non solum sibi nati sunt pina .... isque qui* eqs. Ad *enasci e concha* cf. Athen. p. 89 E; Aristotel. p. 547 B 28 sq. Ipsa res autem qua via in hunc de finibus librum devenerit non quaerimus nescioque num sequendus de eius auctore Madvigius sit ibid. p. 831.

Accuratissime autem ipsius Chrysippi quae exhibuimus verba Cicero adsumpsit cum de natura deorum librum alterum componeret. Cuius rei contemplationi paucis vacare interest. Primum ad adornationem narratiunculae qualis ibi Stoicorum pandendae doctrinae inseritur animum advertas, § 123:

> *Pina vero — sic enim graece dicitur — duabus grandibus patula conchis cum parva squilla* (*καρκίνος μικρός*) *quasi societatem coit* (*συνεργὰ κατ᾽ ἰδίαν*) *comparandi cibi; itaque cum pisciculi parvi* (*ἰχθύδια*) *in concham hiantem* (*τὸ ὄστρακον διαστήσασαν*) *innataverunt* (*ὅταν εἰςέλθῃ τι*) *tum admonita* (cf. *σημαίνων*) *a squilla* [*pina*] *morsu* (*δάκνει*) *comprimit conchas* (*συμμύει*). *Sic* (*καὶ οὕτως*) *dissimillimis* (vide exaggerantem!) *bestiolis communiter cibus quaeritur* (*κατεσθίουσι κοινῇ*).

Igitur iam evolvantur quibus orator Stoicus latinus pinam Chrysippi induxerit aut circumdederit. Orsus a quaestione est in § 73 num mundus a diis administretur ideoque inde ab 81 maxime ad admirabilitatem rerum probandam se accingit: unam partibus omnibus naturam communem esse, si igitur quid regatur natura, tamen aut nihil hoc in mundo esse aut mundum totum (85);

partes autem mundi optime effectas a natura esse (exspectaveras 87: „*Doceat* enim *aliquis potuisse melius; sed nemo unquam docebit*“ sqq.); quod si optimae sunt, *videamus utrum eae fortuitone* (libri: *ea fortuitane*) *sint an eo statu quo cohaerere nullo modo potuerint nisi sensu moderante divinaque providentia*; deinde esse aliquem moderatorem ex admirabilitate concluditur rerum usque ad § 90; tum vero id tandem ipsum unde pendet conclusio illa (non recte haec referre Schoemannum video in ed. p. 111) illustrari incipit (90) quanta sit admirabilitas caelestium rerum atque terrestrium, motus caeli certos esse, ordines astrorum ratos (97), pulchritudinem magnam esse rerum et in terra ipsa (98—101) et in caelo qua data occasione evolvuntur phaenomena (102—119); atque in hoc postremo de caelo loco suis magis copiis evagari Cicero credatur. Iam enim ad terram iterum revertitur rationem naturae intellegentis exemplis demonstraturus; cuius cum is finis fuisse debeat ut suam proprietatem omnia tueantur, bene instructas arbores esse ut se conservent, bene animantia ut in suo quaeque genere permaneant. Denique animantia quomodo instructa sint, mirabilium confusione illustratur ex eorum generibus petitorum (120—129). Testatur igitur Cicero ut iam hic statim summam quaestionis absolvamus idcirco et aliorum animalium et piscium virtutes diligentissime tractatas fuisse a Stoicis vel a Chrysippo qui pro omnibus Stoicis est, viro „in omni historia curioso“ (Cic. Tusc. I 108), ut etiam hic summam rationem naturae regnare ostenderet. Id igitur valebat vir paradoxorum amantissimus ut simul animalia *ἄλογα* esse atque ne irae quidem verae (*θυμοῦ*) cupiditatumque (*ἐπιθυμιῶν*) participia doceret (cf. e. g. Galeni l. l. p. 289 sqq.), simul et calliditatem et alias animi virtutes accepisse ea a natura probaret tantas scilicet quantae ad servandam vitam sufficerent. Hoc autem proprium sane Chrysippi esse vix operae pretium dices firmare Laerti Diogenis loco qui est VII 85: *τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασι τὸ ζῷον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό, οἰκειούσης οὕτω* (libri *αὑτῷ*, Madvigius *αὑτῷ*, Zellerus *αὐτὸ αὑτῷ*) *τῆς φύσεως ἀπ᾽ ἀρχῆς, καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν, πρῶτον οἰκεῖον εἶναι λέγων παντὶ ζῴῳ τὴν αὑτοῦ σύστασιν καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν ...... οὕτω γὰρ τά τε βλάπτοντα διωθεῖται καὶ τὰ οἰκεῖα προςίεται ... οὐδέν τε, φασίν, διήλλαξεν ἡ φύσις ἐπὶ τῶν φυτῶν καὶ ἐπὶ τῶν ζῴων ... ἐκ περιττοῦ δὲ τῆς ὁρμῆς τοῖς ζῴοις ἐπιγενομένης ... τούτοις μὲν τὸ κατὰ φύσιν τὸ κατὰ τὴν ὁρμὴν διοικεῖσθαι.*

Atque Cicero haec eadem quae Chrysippea nisi omnia at certe plurimam partem sunt statim ante pavonem Chrysippi explicat De Fin. III § 16 sq., ubi Diogenis locum Madvigius dum comparat sine causa ulla tetigit *συνείδησιν* verbum. Cf. etiam Gelli XII 5, 7. Adicere liceat quae Nat. De. § 91 leguntur de animali spirabilique natura terram circumfundente cui nomen sit aër, ea quoque placuisse Chrysippo secundum Stobaeum ecl. ph. I 374; de aethere ex altissimis ignibus constante cf. Chrysippum apud Diog. La. VII 137.

Iam ipsa animalium exempla apud Ciceronem inspiciantur. Animalibus natura ad vitam retinendam membra varia dedit quorum nullum supervacaneum aut non necessarium sit; item vires dedit et celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque sollertia: adferuntur araneolae (§ 123) quarum aliae quidem sine rete arripere praedam dicuntur, aliae autem *quasi rete texunt ut si quid inhaeserit conficiant.* Idem eodem consilio fusius Plutarchus p. 966 E ad 967 A (*ὅταν ἐνσχεθῇ τι τῶν ἁλωσίμων . . . ταχὺ συναιρεῖν εἰς ταῦτα*); idem Chrysippus ipse (Chalcid. ad Tim. 220), sed ita ut humanae animae principale cum aranea comparet (*cum quid ex bestiolis plagas incurrerit*). Sequitur pina; atque ut aquatilia hic statim componam sepia quoque adducitur quae atramenti effusione se tutetur § 127 ibidemque torpedo quam inter similia Oppianus posuit Hal. III 149 (et II 62). Adeo te tua si quam mecum fecisti de Chrysippo coniectura non fefellit.

Nonnulla eligere ex thesauris Chrysippi, pauciora etiam explicatius describere satis esse ducebat Tullius ponebatque in elegendo elegantiam. Multa enim eiusmodi inquit proferre possum, sed genus ipsum videtis (125); scilicet multa in conditorio Stoici seduli parata videbat. Elegendas etiam ranas marinas duxit (125) quae dicuntur *obruere sese arena solere et moveri prope aquam ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, confici a ranis atque consumi.* Callidi pisces qui ranam ipsam pro esca habeant. Aquatile admirabile quod prope aquam moveatur. Quid subsit Oppianus doceat II 89 sqq., quo loco rana marina itidem primum arena limoque se obruit deinde vero caruneulam extendit prope maxillam sitam; hauc movet, *δόλον ἰχθύσι βαιοτέροισιν· οἵ ῥά μιν εἰσορόωντες ἐφορμώωσι λαβέσθαι*, escam scilicet. Item Aelianus IX 24 in limo eam se abdere narrat et praetendere pilos aliquos vel cilia (*βλεφαρίδας*) quarum cuique *βραχὺ σφαιρίον προςπέφυκεν.* Adnatareque pisces escamque hanc esse opi-

nari; sitos autem pilos illos esse prope oculos, ὑπεράνω τῶν ὀφθαλμῶν. Itaque et interiisse apud Ciceronem verbum et ita fere conformatam rem fuisse consequitur: *et movere prope genam quasdam carunculas ad quas quasi ad escam pisces* eqs. Atque haec quoque Stoicus ex Aristotele sumpsit p. 620 B 11 quem item sequitur Plinius IX 143 nisi quod pilos Aristoteles cogitare sicut Aelianus videtur quae Plinius dicit cornicula.

Denique de piscibus presserim sententiam hanc quoque quam Cicero cum scriberet nimis auctorem suum secutus esse videtur; postquam enim marinarum bestiarum unum tantum pinoteren adtulit, pergit § 124: *Est etiam admiratio nonnulla in bestiis aquatilibus iis quae gignuntur in terra:* harum igitur quia tria exempla ponit, reliquorum quoque aquatilium antea plus unum positum exemplum fuisse exspectabis. De pina autem animadverte adici a Cicerone verba haec: *in quo id rimandum est* (libri *admirandum est;* perspexerat quippe librarius agi de admirandis) *congressune aliquo inter se an iam inde ab ortu natura ipsa congregatae sint.* Itaque bene conscium videmus Chrysippum illius de pinotera e concha enato opinionis quam Ciceronem De fin. III 62 sibi elegisse statuimus. Similis dubitatio apud Aristotelem e. g. de nautilo p. 622 B 17: περὶ δὲ γενέσεως καὶ συναύξεως τοῦ ὀστράκου μὲν οὔπω ὦπται, δοκεῖ δὲ... φύεσθαι ὥσπερ τἄλλα κογχύλια. οὐ δῆλον δέ πω εἰ ἀπολυόμενος (hoc praefero) δύναται ζῆν.

Multa eiusmodi proferre possum, sed genus ipsum videtis. Sed enim ad grues nos vocat Cicero, quorum animadversum artificium ab Aristotele sit *a quo pleraque* (hunc Chrysippus videlicet suum auctorem dixerat); in eo tamen quem nos terimus Aristotele non legitur; atque locum quippe ampliorem non adscribam; sed idem aperte Plutarchus legerat p. 967 B qui trianguli formam sicut Cicero memorat, ceterum parcior verborum; accuratius quam Cicero id servavit, volare eos etiam μετωπηδὸν aut etiam κόλπῳ μηνοειδοῦς περιφερείας de quo cf. Aeliani III 13 κολπωσάμεναι καὶ μηνοειδὲς τὸ μέσον (anne potius τὸ περίμετρον?) ἀποφήνασαι. Quod grues colla et capita in tergo reponunt praevolantium, in eo cum Cicerone congruit Aelianus l. l. Denique quae de excubiis nocturnis Plutarchus ab auctore etiam exuberantia recepit, concinunt ea et cum Aeliano et cum Oppiano Hixeut. II 17; memoravit grues Oppianus etiam in Halieut. I 620.

Quid? quod illa apud Ciceronem § 126: *vomitione canes, purgatione autem alvos ibes Aegyptiae curant,* praeclara concordia re-

fert Plutarchus 974 B: *κύνες δὲ πόᾳ τινὶ καθαίροντες ἑαυτοὺς χολεριῶντας* atque 974 C: *τῆς τ' ἴβεως τὸν ὑποκλυσμὸν ἅλμῃ καθαιρομένης Αἰγύπτιοι συνιδεῖν καὶ μιμήσασθαι λέγουσιν.*

Quid? quod quae ibidem Cicero narrat *capras in Creta feras cum essent confixae venenatis sagittis herbam quaerere quae dictamnus vocaretur, quam cum gustavissent sagittas excidere* [*dicunt*] *e corpore*, Plutarchus praeclare eadem 974 D: *αἱ δὲ Κρητικαὶ αἶγες ὅταν τὸ δίκταμον φάγωσιν, ἐκβάλλουσαι τὰ τοξεύματα ῥᾳδίως .... ἐπ' οὐδὲν γὰρ ἄλλο τρωθεῖσαι φέρονται καὶ ζητοῦσι καὶ διώκουσι τὸ δίκταμον.* Quantò se opere custodiant bestiae (Cicero 126) exemplum Chrysippo fuisse grues videntur, item anseres (Plut. p. 967 B), item lepores (Plut. p. 971 D). Nidorum construendorum (Cic. 129) exemplum habet Plutarchus p. 966 D. Sicut caudae causa pavonem, ita quasdam aves rerum augurandarum causa esse natas et Cicero acceperat § 160 et Plutarchus p. 975 A.

Nescio num iam his diligenter perpensis de Chrysippo istarum sollertiarum sospitatore primario summoque apud posteros auctore meam tibi sententiam cui non vidi ego quo pacto me subtraherem persuaserim. Qua quidem corroborata qui in Ciceronis auctores philosophos inquirant mirum quantum adiuvabuntur. Si enim Chrysippus est ex quo totam hanc animalium sollertium collectionem extraxerit Cicero, etiam reliqua quibus eam praeparari docuimus nec non subsequentia tracta ex eodem Chrysippo esse necesse est. Tam arte omnia cohaerent et philosophica ratiocinatione colligantur. Attamen mihi librum hunc de natura deorum alterum idonea pertractaturo diligentia angustiores ipsius occasionis fines officere video. Nunc haec tantum. Atque Chrysippi libros pervolutatos Senecae ad manum Ciceroni quoque potuisse esse quis infitiabitur? In universum autem ut disputem, si Cicero Epicureis opponere Stoicorum de deis placita volebat, quem aptius quam Chrysippum aut omnino quem alium praeter Chrysippum opponere illis poterat conformatorem Stoae verum et sine quo Stoa ne esset quidem? An placita Panaeti ut unum nominem eius qui suo sane tempore „princeps Stoicae disciplinae“ (Cic. de Div. I 4) fuit sed de multis rebus dissidebat pro Stoicis placitis *κατ' ἐξοχὴν* hoc loco habere licebat? Atque miro modo subvenit quod pro auctoribus doctrinae in toto hoc libro altero a Cicerone citantur Zeno primus secundus Cleanthes, plurimis autem locis tertius Chrysippus neque praeter hos aut post Chrysippum qui docuerit quartus quisquam. Posidoni scilicet quem quamvis „familiarem suum“ *ἐν παρεκβάσει*

semel tangit § 88 minime placitum memorat sed ab eo nuper effectam sphaeram esse; atque Panaetium § 118 etiam contrarium suo auctori esse testatur hoc frustulo iniecto: „*Ex quo eventurum* nostri *putant id de quo* Panaetium *addubitare dicebant*"; quod ut miro modo dictum est pro *addubitasse dicunt*, ita tamen Panaetium a tota disputatione plane excludit. Denique si ex Panaeti tantum aut Posidoni operibus Cicero Chrysippum cum reliquis cognovisset, horum equidem sententias simul ut edoceret aut cognitas sibi esse indicaret flagitandum esset. Itaque non satis mirari possum de utroque revera nuper cogitasse Hirzelium cum librum de natura deorum alterum pertractaret in Untersuchungen zu Cicero's philos. Schriften I p. 191 sqq. (1877), et quidem postquam in Posidonium innuit Schoemannus (Cic. de nat. de. p. 17: er konnte dies alles auch beim Posidonius finden), in Panaetium Val. Rose (Aristot. ps. ad fr. 255). Attamen hoc quoniam argumentis veris et ex ipsa disputatione Ciceroniana petitis probari ab Hirzelio non video, (atque tale proposito fundamentum substruit: Bis auf Weiteres sind wir angewiesen, in der genannten Schrift des Posidonius die Quelle des stoischen Vortrags zu sehen), veniam excusationis mihi det vir doctissimus quod piscibus meis urguentibus transcurrere rem gravissimam videor, neque eum perlectis his meis pagellis dubitationes meas omnino improbaturum esse spero. Stabit certe illud, quod inde a § 154 Panaetium auctorem esse non posse Hirzelius docuit (p. 195) propter divinationem laudatam § 162 sq. quod idem cadit in § 106; item illud, Posidonium auctorem non esse in § 103 ubi luna maior quam dimidia pars terrae dicitur cum *Ποσειδώνιος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν στωϊκῶν* eam terra maiorem credebant teste Stobaeo ecl. phys. I 554 (neque vero legitur *Χρύσιππος καὶ οἱ πλεῖστοι*). Id autem stare posse pernego quod inde a § 133 ad § 154 ita comparatam disputationem Ciceronis dicit ut non adsumptam ex uno auctore sed ex duobus inscite consarcinatam esse appareat. Itaque qua lege bene cohaerere omnia videantur exponam. Dispositionis praemissae in § 3, qua totum argumentum quadrifariam Lucilius Balbus dispertit, primus locus *esse deos* absolvitur in § 44, alter locus *quales sint dei* in 72, tertius *mundum a diis administrari* primum ita tractatur ut in natura deorum posita administrandi virtus dicatur 75—80, deinde, ut et sapientissime et pulcherrime administratus mundus ipse observetur, ex admirabilitate autem rerum moderatorem aliquem esse deducatur 86—90, tum ipsa admirabilitas perlustrandis mundi partibus ostendatur, eaque recta conclusione concludantur 132:

Sic undique omni ratione concluditur mente consilioque divino omnia in hoc mundo (ad salutem omnium conservationemque) admirabiliter administrari.

Miro igitur errore abesse conclusionem Schoemannus autumat p. 111, immo post haec verba flumen sermonis quam maxime editori dirimendum fuit. Nunc enim ad ipsius dispositionis quartum locum transitur *consulere deos rebus humanis*, sed ita ut quaestione iniecta *cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit?* aliquantulum detorqueatur sententia. Itaque statim inducimur quia deos mutorum et nihil intellegentium causa tantum laborasse improbabile sit, ut credibile fiat deorum et hominum causa quippe rationem habentium factum esse mundum. Iam vero hanc conclusionem celeriorem quaque nihil efficitur nisi rem esse credibilem, duplici argumentatione probare scriptorem oportebat: primum praevalere hominis naturam prae animalibus reliquis (134—153), deinde reliqua quae in mundo sunt revera facta et parata esse ad usum hominum (154—167): quae omnia Cicero tam curiose mihi exsecutus videtur ut omnino non agnoscam quas Hirzelius dixit undenkbare parallele Gedankenreihen in zwei verschiedenen Abschnitten p. 200. At enim prior argumentatio vitiis sane aliquibus quae illum turbaverint laborat. Qualia tamen ineptissima quis cautior in ipsum Ciceronem transferre audeat cum librarios his in libris pessime rem suam gessisse constet? Inducitur disputatio verbis his (133): *Ita fit credibile deorum et hominum causa factum esse mundum quaeque in eo sint omnia, faciliusque intellegetur a dis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta:* insulse haec duo enuntiata coniungi vocula *que* vigilans quisque sentiet: quasi enim membrum alterum idem sit atque: *faciliusque intellegetur hominum causa mundum factum esse si erit tota hominis fabricatio perspecta.* Male interiisse paucula verba et scribi ita fere oportuisse intellegitur: *faciliusque intellegetur a dis immortalibus omnes animantes ut anteirent hominibus esse provisum si* eqs.; simul adnoto eadem vocula *que* intermissa Hirzeli iudicium (p. 201) prorsus infringi quod tulit de priore parte sententiae (*Ita fit credibile — quaeque in eo sint omnia*): diese Worte . . . sind so abschliessender Art, dass wer sie schrieb kaum eine Ergänzung des allgemeinen Beweises (?) durch einen mehr detaillirten im Sinne hatte. Lectionem autem a me constitutam praeclare confirmat totius disputationis definitio in § 153: *Quibus rebus expositis satis* docuisse *videor hominis natura quanto omnes anteiret animantes.* Atque hanc finitionem statim videlicet altera

disputatio excipiebat ita: *Restat ut* doceam *atque aliquando perorem omnia .... hominum causa facta et parata esse.* Quibus duabus sententiis quae intermissa nunc legitur vilissimam interpolationem esse quis semel monitus non sentiet: [*Ex quo debet intellegi nec figuram situmque membrorum nec ingenii mentisque vim talem effici potuisse fortuna*]? de quibus verissime Hirzelius p. 198: dieser (ganze) Abschnitt wird nun (durch diesen Satz) auf einmal dem vorletzten, längst erledigten Theile des Vortrags zugewiesen! Scilicet non viliora sunt quam quae sequenti paragrapho ab eodem puta interpolatore adspersa verissime explodunt: *Principio ipse mundus deorum hominumque causa factus est* [*quaeque in eo sunt ea parata ad fructum hominum et inventa sunt*]. Atque iam sub finem denique libri sui id a Cicerone exponitur (de quo in § 133 nullum verbum est) ita factas vel instructas res singulas revera esse homini ut inserviant.

Atque nihilo magis probatur mihi quod alteram disputationis partem *quales sint dei* Hirzelius comparatam tam male scribit (p. 208), ut a § 45 ad 73 alium atque in prima parte auctorem exprimere Cicero putandus sit. Perbene ego cohaerere sentio praeter scrupulum unum omnia. In prima parte *esse deum* ita firmaverat Cicero ut mundum deum esse evinceret § 39: *sapiens est igitur et propterea deus.* Sed potius *deos esse* firmare sibi proposuit ideoque etiam sidera divina esse adicit 39—44 ubi affirmatione *esse deos* pars tota absolvitur. Iam vero alter locus § 45 *qualis eorum natura sit* aptissime ab ipsa mundi divinitate incipit: *ut primum* (*deinde* quod huic *primum* respondeat suppleri volo § 60: *Multae autem* deinde praeter mundum et sidera *naturae deorum .... constitutae nominataeque sunt*) *hunc ipsum mundum quo nihil excellentius fieri potest animantem esse et deum indicem* (non *iudicem*). An non indicandus mundus fuit quasi is qui revera eam quam dei esse „praesentimus“ qualitatem habeat: animantis et quo nihil sit melius? Quoniam vero Epicuri dubitatio ad qualitatem pertinens *qualis sit volubilis et rotundus deus* se offert in qua divina qualitas rotunditatis qualitate confutatur, iteranda breviter scriptori conclusio est mundum revera quippe reliquis meliorem esse *animantem sensus mentis rationis compotem* quae quia verbo tenus ex § 36 assumpta sunt, qui hanc repetitionem diverso auctori tribues? Iam vero rotunditatem optimam esse postquam adseveravit § 47, deinde 48 sq. esse mundum talem ut rotundum credamus et ipso illo „caeli palato“ comprobat et siderum cursibus: qua via evenit ut cum

mundo deo siderum quoque dei statim una tractentur: scilicet simul *et mundi volubilitas quae nisi in* globosa *forma esse non posset et stellarum rotundi ambitus cognoscuntur.* Atque haec rectissime illustrantur usque ad verba § 53: *tum antecedens tum subsequens.* Itaque his quoniam qualitas mundi dei in forma posita tandem absolvitur gravior in lectione pausa notanda est. Neque minus ex re profecto, quod iam ad intimam mundi dei qualitatem igneam eandemque artificiosam quae natura dicitur Zenone duce transitur § 57 sq. Neque ideo quidquam omnino dispositionem turbat praeter verba inmissa in § 54—56: quibus excurrere Ciceronem videmus ut siderum naturam divinam esse ex prima parte libri repetat: quae quia etiam ipsis verbis repetuntur (cf. 54 cum 43) orator agnoscitur verborum suorum amantior, at parum strenue philosophans. Atqui *ergo* illud quo ad Zenonem proceditur 57 quid significet quaeris? Praeformatam in exemplo ita fere rem quae est 54—56 fuisse concludo: „probavimus globi formam in sideribus valere, simul autem ita ea comparata esse, ut se mente divina praedita esse declarent: quod idem simul de toto mundo valet. Itaque mundum deum simul globi qualitatem, simul animantis et quidem optimi habere posse quod Epicurus negavit, veritatem non investigavit. Hand ergo erravero, si a principe investigandae veritatis Stoico principium duxero“. Denique § 60 ita pergitur ut qualitas vel natura deorum aut ex re utili constituatur ut Cereris aut ex re „in qua vis inest maior aliqua“ ut Fidei ac Virtutis aut ex physicis rationibus, quas excipit quales dei falso credantur epilogus. — Iam in hoc Ciceronis libro si quid Chrysippus docere minus potuit ostendere circumspectiori cedo; eidem quale exemplum Cicero secutus sit inquirere denuo. Sic in Chrysippi nomine me compono. Id modo teneas non totum nobis cognitum esse Chrysippum neque semper si quid forte traditum alius nomine legimus ideo id placere illi non potuisse; veluti quod τὴν οἰκουμένην quasi insulam circumdari ab Oceano Cicero scribit 165, idem Posidonio placuisse Strabo testis sit (Hirzel p. 197), sed contra Chrysippum nimirum hoc non faciet quoniam Posidoni saepenumero, Chrysippi nunquam placita Strabo respicit.

Sicut sermoni haud raro propria Chrysippi verba a Cicerone intexuntur, ita proprie Chrysippo convenit illud quoque quod inter immortales etiam viri beneficiis excellentes habentur Cic. 62. Item quae de rerum appetitu in animalibus leguntur Cic. 29, praeclare Chrysippo addicuntur a Chalcidio ad Timaeum 220 (cf. Hirzel p. 214). Item in § 160 clara illa sus Chrysippi adest quae nihil est


nisi esca cuique anima pro sale est ne putrescat. Scitur tamen teste Clemente Alex. Strom. VII p. 304 Sylb. humilem hanc sapientiam non Chrysippi fuisse sed Cleanthis potius; itaque et Cicero et alii huius proprium a Chrysippo accipiebant. Eundem ipsumque Zenonem ubi Cicero adfert, adlatos fuisse a Chrysippo dices. Prorsus eadem ratione Cleanthes advocatur a Plutarcho p. 967 E ubi de formicis res est quas simul cum pina Cicero adposuit De fin. III 63; hinc scilicet non potest nisi corroborari de Chrysippo etiam Plutarchei libri fonte coniectura. Sed etiam quae loco illi qui de sue est antecedunt bestias hominum gratia generatas esse declarantia Chrysippeae doctrinae simillima sunt quae canem venandi causa gigni, equum equitandi in bello similiaque docebat (Porphyr. de abstin. III 20), gallos gallinaceos simul et cimices ut ne diutius iusto homo dormiret (Plut. Sto. rep. p. 1044 D, p. 1049 A). Quin etiam quod totum mundum Cicero in § 154 communem deorum atque hominum domum atque urbem esse scribit, scripserat idem Chrysippus, cf. Philodemi *περὶ εὐσεβ.* p. 81 ed. Gomp.: *τὸν κόσμον . . . συμπολιτευόμενον θεοῖς καὶ ἀνθρώποις.*

Itaque non parvam rerum farraginem attulisse Stoicum summum vides qua placita sua de sollertia animalium illustraret immensumque illum compleret voluminum numerum quo omnes fere vincebat. Extendi a nobis sane de animalibus comparatio possit ut plura etiam illi retribuantur, sicuti rettulisse eum de vulpis piscis astutia credas coll. Plut. p. 977 B cum Aeliano IX 12, cum Oppianus prorsus diversae fraudi amiarum vulpium nomen errore vel neglegentia subiungat III 144; item puta de pisce qui *ἡγεμών* vocabatur coll. Plut. p. 980 F cum Oppiano V 67 sqq.; quamquam enim Oppianus verbosius rem instruxit, tamen non casu flosculus hic sermonis apud utrumque sublegitur: *ἕπεται γὰρ αὐτῷ τὸ κῆτος ὥσπερ οἴακι ναῦς* vel *δάκος ἅλμης ἰχθὺς ἠΰτε νῆα νέμων οἴηκι χαλινῷ.* Bene etiam talia apud Plutarchum proprietati Chrysippi convenire putabis velut quod verbi *ἔλαφος* etiam etymologia adest p. 976 D; vel quod modo Homeri modo Pindari ac Theognidis modo Arati (p. 967 E) poetarum dicta rei propositae adaptantur: hic est enim ille qui etiam suam fecit Medeam Euripidis. Quid igitur si Cicero ut in libro quem tractavimus Aratea sua adscriberet ab ipso invitatus Chrysippo fuit?

Atque iam tempus est ut etiam de Plutarchei libri compositione pauca subnotentur. Exordium inde petit scriptor ut contra ipsos ut solet pugnet Stoicos. Stoici expertia rationis animalia

praeter hominem esse dixerant: id placitum impugnat ille et argumentis ab ipsa ratione petitis et narratiuncularum exemplis ad bestiarum vitam pertinentium quas dum adnectit quaestioni simul locus datur alteri, terrestriane an aquatilia animalia prudentia reliquisque virtutibus praestent ac venatione praestet an piscatio. Iam Plutarchum ubi Stoicorum victorem gerit Chrysippea quam maxime carpere scripta non est quod dicam. Nam non agnoscere iam non poteras Plutarchum, ut solet fieri isto aevo, in sollertiis illis scribendis adversarium suum iis ipsis spoliasse quibus eum devicturus est. Vituperat hic quoque Stoicos, terit Chrysippum. Ideo quod p. 969 B dialecticos dicit uti solere cane ad syllogismum *τὸν διὰ πλειόνων διεζευγμένον*, hunc Chrysippi fuisse syllogismum testatur Sextus Pyrrh. Hypot. I 69. Quod summum est, falso Stoicos id negare dicit, inesse bestiis *προςδοκίαν μνήμην πρόθεσιν παρασκευὴν τὸ ἐλπίζειν τὸ δεδοικέναι τὸ ἐπιθυμεῖν τὸ ἀσχάλλειν* p. 960 F, falso referre ad eas tantummodo *ὡσανεὶ θυμοῦσθαι, ὡσανεῖ φοβεῖσθαι* p. 961 E; eandem revera in Chrysippi libris exstitisse sententiam sumere liceret nisi testis disertus Galenus esset de plac. Hippocr. Plat. tom. III K. p. 289 sqq.; cf. p. 431 et 476. Qua sententia Chrysippus Stoicis rationibus firmata quia contra se ipsum pugnare videbatur quippe qui simul ut mundum optimum esse evinceret virtutes humanas plurimis bestiis summa doctrina tribuisset, hanc summam doctrinam Plutarchus Chrysippo eripuit propositurus etiam hoc loco *στωϊκῶν ἐναντιωμάτων* exemplum. Iucundum autem est comperire apud Plutarchum dialecticam quoque rationem qua ad paradoxam suam existimationem philosophus egregius propulsus fuerit; ipsa Chrysippi verba citantur p. 960 B: *ὡς τῷ θνητῷ τὸ ἀθάνατον ἀντίκειται καὶ τῷ φθαρτῷ τὸ ἄφθαρτον καὶ σώματί γε τὸ ἀσώματον, οὕτως ὑπάρχοντι τῷ λογικῷ χρῆναι τὸ ἄλογον ἀντικεῖσθαι καὶ ἀνθυπάρχειν καὶ μὴ μόνην ἐν τοσαῖςδε συζυγίαις ἀτελῆ τήνδε λείπεσθαι καὶ πεπηρωμένην.* Non sine fraude ac dolo haec ita excerpsisse Plutarchum in propatulo est: nexum verum delevit quo conclusio haec quapropter dialecticum versutissimum tenuerit explicatur; nunc tam absurda res ut puer ac tirunculus obicere quae obiecit Plutarchus debeat: *ἄλογα* quippe omnia esse quae et *ἄψυχα*, velut lapides arboresque. Ita non caecutiebat Stoae lux praesertim in re unde gravissima pendebant. Ratione dialectica Stoicos atque maxime Chrysippum totum divisisse mundum notum est et quidem membris semper binis. Modo Senecae consulas epistulam 58 aut Ciceronis De offic. II 11 aut quae largius

conposuit Petersenus Philos. Chrys. Fundamenta p. 145 sqq. Quae res ut est intricata, ita tamen divisionem quae est inter ἄλογα et λογικά luce lucidius est non pertinuisse ad totum mundum sed ad superioris tantum divisionis partem, hoc est ad ἔμψυχα. Ita enim divisisse videtur:



Itaque corruebat divisio nisi quid inveniebatur ἔμψυχον ἄλογον. Atque contra dicere Plutarchus id tantum debebat aut omnino dividendum non esse aut posse etiam aliud statui principium divisionis praeter rationem. Volkmannus Leben u. Schriften des Plut. II p. 82 referre Plutarchea satis habuit. Denique in ipsis verbis Chrysippi post ἀσώματον interciderunt: καὶ τῷ ἐμψύχῳ τὸ ἄψυχον, id quod me iudice ipsa fraude Plutarchi factum est.

Atque iam temperi Halieuticorum quoque latinorum unde deflexit sermo memoriam replicabimus. Constat inter omnes ubi mundus ipsius dei Iovisve vice fungatur agnoscendam Stoicorum doctrinam esse. Ipsum Chrysippum quoque mundum pro deo habuisse Cicero testis in libro modo explicato locupletissimus; cf. etiam libri I § 39 atque Philodemi περὶ εὐσεβ. p. 82 Gomp., Stobaeum I 444 et quae doctissime disputavit Krische Forsch. alt. Phil. p. 452 sq., 424. Iam vero poeta latinus ut casulam suam piscatoriam grandiore vestibulo exornaret, hunc in modum in v. 1 sequendum Chrysippum duxit:

Accepit mundus legem, dedit arma per omnes
Admonuitque sui.

Trium notionum verbi κόσμος (Laert. Diog. VII 137 sq.) prima tantum illa in nostrum locum quadrat ut deus sit καθ' ὂν ἡ δια-

κόσμησις· γίνεται καὶ τελειοῦται (cf. Krischi p. 424); admonet deus datque arma; sed num recte accepisse legem dici potuerit dubito. Est etiam lex vis divina vel pro ipso deo (cf. de ea Zelleri Hist. Phil. III[1] p. 126 adn. 2) atque ipsum quasi medium per quod singula Iuppiter quibus „non adest" (Senec. Nat. Qu. II 46) adornanda curare videatur. Sed habet continetque magis legem mundus quam accepit. Quin *ἡ Διὸς βούλησις* ut partes mundi procurat ita tamen legem dare non potest nisi sibi ipsi. Chrysippus de mundo apud Plutarchum comm. not. p. 1077: *λέγει γοῦν Χρύσιππος ἐοικέναι τῷ μὲν ἀνθρώπῳ τὸν Δία καὶ τὸν κόσμον, τῇ δὲ ψυχῇ τὴν πρόνοιαν*; quamquam fingi potest scriptum fuisse concinnius: *τῷ μὲν ἀνθρώπῳ καὶ τῷ σώματι τοῦ ἀνθρώπου τὸν Δία καὶ τὸν κόσμον* eqs. Possis continere dubitationes quod ambigua semper vox sit mundus mortaliumque rerum complexus facile simul cogitetur. Tamen strenue agenti quid aptius scribere potuerit poeta quaeritandum erit. Itaque in hanc rariorem lectionem producor: *Praecepit mundus legem: dedit arma per omnes Admonuitque sui*; ita ut non abolita sit nisi prima carminis littera maiuscula, velut Anthol. lat. Ries. 787, 3 Parisinus liber *Accedant testes* pro *Prodecant testes*; haud dissimiliter Hal. v. 33 ex *Etsub* eruimus *Pressus*. Nec vero bene ubi datur accipitur.

Atque hoc ne frustra postulasse me increpes, idem expresse, atque apud Ciceronem Chrysippus, consilium vide quam fideliter secutus poeta sit, cuius haec summa est: *Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam* (Cic. 124). Itaque Ovidius iste nihil de suo dedit: nam versus etiam inde ab secundo hi, quibus „contra vim et metum suis se armis quaeque defendere" (Cic. 127) illustratur:

vitulus sic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte,
Sic dammae fugiunt, pugnant virtute leones
Et morsu canis et caudae sic scorpius ictu
Concussisque levis pinnis sic evolat ales

fere verbo tenus Chrysippo debentur, quoniam Cicero exhibet § 127: *cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, alia fuga se, alia occultatione tutantur*; et iterum § 121: *aliae* (animantes) *spinis hirsutae* (cf. scorpionem?); *alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum.* Neque dubito quin etiam excursum illum vv. 49 sqq. (ubi aper inducitur) Chrysippo poeta debeat. Scribit Cicero (123): *At quibus bestiis erat is cibus ut alius generis bestiis*

vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem; quae parum accurate dicta animadverte; celeritas enim ni fallor primitus eas tantum bestias notare poterat quae effugiunt viribus carentes debebatque scribi: „At quia multis bestiis" vel ut coniecturam faciamus: *At si quibus bestiis* eqs. Haec autem fusius explicantur in ipso excursu poematis; cuius sensus his verbis comprimitur: *Saepta sequi natura monet vel comminus ire* (cf. etiam occultationem apud Ciceronem 127). Atque cum *canum sagaci virtute venandi* (Hal. 75 sq.) contendere iuvat Cic. § 158: *Canum .... tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando*; cf. Plutarchi p. 969 B.

Sed enim in v. 3 poeta simul mirum in modum exaggeravit rem variavitque ut adderet de vitulo: *Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte.* Quae a re aliena Lucretiani loci imitationi debentur notati iam a Zingerleo quique ita fere a doctissimis viris editur V 1028:

At varios linguae sonitus natura subegit
Mittere et utilitas expressit nomina rerum,
Non alia longe ratione atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguae
Cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.
Sentit enim vim quisque suam quoad possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent
Illis iratus petit atque infestus inurget.
At catuli pantherarum scymnique leonum
Unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
Vix etiam cum sunt dentes unguesque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere et a pinnis tremulum petere auxiliatum.

Sed enim Lucretius quem legisse quidem libros Chrysippi minime improbabile est (cf. adn. Munrois ad I 430. 459. 782 et passim), tamen prorsus aliud his exemplis effici voluit: infans antequam loqui potest iam vim tamen potestatemque loquendi sibi adfuturam sentit. Itaque verum pondus apud Lucretium positum est in voce *priusquam* et *vix.* Sequitur autem me iudice ut v. 1033 qui ita in libris est: *Sentit enim vis quisque suam quod possit abuti* graviter destructus sit ac foede interpolatus siquidem dedisse necesse est poetam:

Sentit enim vis quisque prius quam possit abuti;

prodidit se interpolator voce *suam*: quippe *vim* legere ille sibi vide-

batur, at forma *vis* rectissima est, cf. II 586. III 265. Eandem propter rationem mihi quidem extra dubitationem omnem positum est in v. 1039 scriptum fuisse aut hoc aut simile:

Alituum a parvo genus alis omne videmus Fidere

id est: iam ab ovo ut dicunt alis fidunt. Quid vero? hariolari si placeret, illud *nondum iam* quod in prima huius libelli parte castigavimus ut scriberet falsus Ovidius an Lucretio lecto inductum suspicareris? nam in v. 1038 Lucretius aut *vix etiam* duce Quadrato aut *Vixdum iam* Oblongo duce scripsisse dicendus est; atque illud editores summo quidem iure praetulerunt; hoc vero num forte in suo exemplo Neroneus poeta legere videbatur? Omittere ne id quidem par est, adsonare etiam Hal. v. 81 ad Lucreti v. V 784, magis tamen ad Vergili Aen. II 498.

Quod vero in Hal. v. 8 traditur:

omnibus hostem
Praesidiumque datum sentire et noscere teli
Vimque modumque sui,

perperam traditur. Primum enim ita totus sensus partitus est ut pro praesidio expectetur consimilis hosti notio; deinde praesidium male dicitur sentiri: sentitur hostis, noscitur vis propria, praesidium paratur. Errore graviore *Perniciemque datum sentire* oblituisse crediderim; *ὄλεθρον* scilicet quod semper effugiunt animalia apud Graecos Oppianumque, pernicies apud Latinos dicitur et apud Senecam philosophum, cuius epistula 121 digna est quam compares: ubi docemur nullum animal ad usum sui rude esse (§ 9), tacitis quoque et brutis quamvis in cetera torpeant ad vivendum sollertiam esse (§ 24); atque ut videas in Hal. v. 7 verissimam Stoicorum doctrinam referri: „*Omnibus* ignotae *mortis timor*": refert Seneca quoque § 19 inesse animalibus nocituri scientiam non experimento collectam: nam antequam possint experiri cavere. Non autem attendisse doctos viros video huic epistulae formam datam esse dialogi: *Ideo, inquit, partes suas* eqs. § 7. *Constitutio, inquit, est* § 10. *Dicitis, inquit, omne* § 14. *Quem ad modum, inquit, editum* § 19. Efficitur hinc emendandi in § 21 officium, ita: *Quomodo,* inquit, *omne animal perniciosa intellegere conatur?* Sed enim quid est *conatur? Potest* scribendum saltem fuit; sed supervacaneum id quoque; refice *coniectatur*; nam male hic mendosum codicem archetypum fuisse vel inde patet quod verba *si tamen exigis dicam* falsum ea in locum aperte transportata excidisse fere post *coniectatur* oportet; sic enim Seneca ad adversarii inter-

rogationem apte respondebat: *Quomodo, inquit, . . . intellegere coniectatur? Difficilior res; si tamen exigis, dicam. Sentit se carne constare* eqs.; sequitur autem res revera difficilior. Itaque una illa sententiola cum in marginem abiisset, dimidia eius pars amissa, reliqua ut fit non suo loco reposita est.

Denique contra Madvigium (ad De fin. III 16) moneo omnibus his praeclare firmari apud Laert. Diog. VII 85 lectionem *τὴν αὑτοῦ σύστασιν καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν* nisi quod pleniorem expectabam: *καὶ τὴν ταύτης ἐξ ὅτου λαμβάνεται συνείδησιν.*

Hactenus de Chrysippo. Nam quod sollertia aquatilium vinci terrestria animalia dicuntur, in eo fortuito concinere videntur poeta latinus atque Plutarchus quippe diversis prorsus argumentis rem agentes; neque vestigium huius sententiae ullum aut apud Ciceronem aut apud Oppianum est. Atque iam eo deducimur ut reliqua quae de piscibus in carmine latino exstant percenseamus, unde novas ne hic quidem sed communes fere antiquitati notitias a poeta promi firmabitur.

VIII.

Oppiani et falsi Ovidi in arte piscatoria scribenda consilium idem fuit nisi quod et rerum copia et librorum numero quinquiplicatis alter alterum superat. Pares in eo eos vidisti quod sollertias uterque piscium narrandas duxerunt et quidem Chrysippum pariter adiere qui rem compositam commodissime praebere videbatur; pares etiam in eo, quod catalogum insuper aquatilium uterque proponunt et quidem talem quo simul instituatur qui dicitur *χωρισμὸς τῶν ἰχθύων.* Atque et hic et illic aquatilia secundum locorum diversitatem variamque maris imi naturam distribuuntur. Quae incipit agi res apud latinum scriptorem inde a v. 85, apud graecum ab I v. 86. Atque hanc totius operis dispositionem communem iis casu factam esse vix credes. Singula vero persecutus haec observo: apud Ovidium v. 86—91 divisio non cernitur nisi locorum ternorum: et saxosorum et umbrosorum et herbosorum. Atque ista qui legerit iam ipsa nomina piscium inde a v. 94 dispositum et separatum iri expectabit eorum primum qui saxa deinde qui umbram ultimo loco qui algam mollem praeament. Quo officio homo insulsissimus eo usque non functus est ut pelagios tantum modo (v. 94—117) incolis herbarum (118—134) opponeret atque in has duas classes conicit constipatque nomina quotquot comperta habet natura victuque et ipsa statione

saepe ut videtur diversissima; itaque promisisse rem operosiorem et subtiliorem sibi ille videbatur ridiculaque audacia et neglegentia molesto absolvi munere festinavit; scilicet imperfectum Ovidi poëma scribere simulabat. Quae cum ita sint vix dignus homo videbitur in cuius consilio studiisque rimandis operam perdamus; nisi quod aliquam ei Halieuticorum graece scriptorum imaginem ante oculos obversatam esse expectatur. Iam vero ad tripartitionem illam locorum ut revertamur, Oppianus econtra partitionem multo doctiorem et subtiliorem instituit, cuius diversa loca sunt non minus undecim atque unius saxosi fundi diversa genera quattuor; quorum uni cuique sui nimirum ab eo pisces dantur. Alii enim apud Oppianum litora humilia et arenosa incolunt (95 sq.), alii vada maris limosa (102), alii herbosa litora (107), alii mare fluminibus vicinum (111 sqq.), alii scopulos, et quidem eos aut alga plenos (123) aut humiles arenisque adfines (128), aut herbis tectos (131) aut ostreis (138), sunt praeterea qui in imo lateant gurgite (145), est qui exeat in ipsam terram (155), sunt qui simul in saxis et in arenis degant (168), sunt qui vagentur per magna spatia pelagi (179). Itaque et res et doctrinam et argutias Oppianum hoc in loco mirum quantum exaggerasse satis patet. Fatendum est tamen esse etiam quo Ovidiana minus sufficiant; nam adsunt quidem algae herbarum (fortasse etiam ostrearum cf. p. 28) amantes, adsunt etiam saxatiles; desiderantur tamen genera pelagiorum et litoralium et limum incolentium separatim posita; ubi enim divisio instituitur amplior (atque maxime pisces qui umbram ament in v. 88 memorati ampliorem eam fuisse produnt) illi non simul significari vix poterant; Columella quoque VIII cap. 16 sq. ubi de vivariis res est in victu piscium discernendum didicit esse inter regionem limosam et inter arenosos gurgites maxime eos aptos pelagiis et inter mare saxosum (in cap. 17 § 6 scribendum videtur: *scopulos qui praecipue* veneriis *algave vestiuntur*). Iam vero intercidisse aliquid post v. 86 Hauptio duce coniecimus supra p. 26; conici id quoque poterit esse hoc damnum non unius sed complurium versuum; quae coniectura commendatur et re et suspicione altera. Vindobonensem librum primarium Halieuticorum et Grati testem in pagina una quaque versus fere viginti duos continuisse inde colligitur, quod versuum 537—541 simul capita truncata cernuntur, simul clausulae truncatae versuum 515—519 ita ut alteri in alterorum quasi dorso scripti esse videantur, eaque computatio plane confirmatur codicis descriptione ab Hauptio data praef. p. VII. Item quod Halieuticorum versus

decimi non cernitur nisi caput *Sin*, versus autem quinti et vicesimi non nisi clausula *in auras*, inde archetypum olim continuisse in pagella una quaque versus fere quindecim eadem ratiocinatione colligas; sumamus versuum fluctuasse inter 14 et 15 numerum; sumamus item quod veri simillimum est mutilatos illos versus decimum et vicesimum quintum pagellae primae alteriusque fuisse ultimos et ad marginem inferiorem proximos; tertiae pagellae ultimus evadet v. 39, quartae v. 54, quintae v. 67 (repetebatur enim v. 52 post v. 64), denique v. 81 sextae paenultimus, post quem interiisse unum versum (sextae eum pagellae ultimum) intellectum est. Iam vero etiam post v. 90 hexameter interiit unus; itaque etiam versus 90 pagellae septimae sit paenultimus. Vides septimae isti non quindecim quot par erat metra concedi sed novem tantum; itaque hac via post v. 86 aut quinque aut sex absorpta metra deprehendimus. Si perscriptum poema in singula pagina columnis binis fuerat, versu 10 finiebatur pagina prima, v. 39 secunda, v. 67 tertia, denique in quarta simul et 81 et 90 paenultimi legebantur, ultimi autem duo simul abscissi sunt. Quae nisi celerior conclusio dicetur (hiatus duorum versuum post v. 127 hac via non explicatur, sed potius ultimus carminis versus ultimae pagellae ultimus fuisse dicendus erit), nacti iam sumus post v. 86 intervallum satis magnum quo quae desiderantur memorata fuisse credamus. Incipiebatur fere sic:

Pisces observes quid ament ac dona locorum;

deinde statim addebatur:

Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare (nam varie quaedam fugiuntque petuntque);

talis enim parenthesis de qua diximus p. 28 addi non poterat nisi in exemplo primore, indeque etiam ordinem horum versuum praepostere traditum esse intellegitur; tum sequebantur partitionis membra nescio quo ordine fere quattuor reliqua.

Itaque Oppiani licet auxerit rem tamen consilium et dispositio ipsa similis ei fuit quam Ovidianus poeta assumpsit. Ne umbram quidem amantes ignoti Oppiano sunt quamquam minus occurrunt in ipso *χωρισμῷ*. Nam I 605 inter ea quae in Ponto maxime placeant adsunt etiam *ἄκραι σκιεραί*; ideo hippurorum dicuntur *φῦλα φιλόσκια* IV 422; atque de pompilis IV 438: *καὶ γὰρ τοῖς ἴσον ἦτορ ἐπὶ σκιεροῖσι πόθοισι*; unde ad v. 88 coniectura Riesi frustra esse dicetur haec: *Num mons torrentes demittat celsior undas* cuius ne sensum quidem opportunum video;

demittere umbram ita dictum est ut laudem aliquam mereret poeta multum nobis obiurgatus quippe apte ille imitatus geometricos „lineam demittentes" (Vitruvi III 5, 5). Loquendi usus scriptoribus communis hic quod gaudent aquatilia pelago vel laetantur arena apud latinum (*laetantur* enim v. 118 recte scribitur pro eo quod traditur *laxantur*; velut v. 116 *nociturus* abiit in *noxiturus*) sicut *γάννυνται* Opp. I 383, *τέρπονται* III 415 atque similia passim; ceterum iam Aristoteles e. g. *χαίρει δὲ πρόςγειος ὤν* (Athen. p. 315 A). Ita quod pro maena legitur *genus maenae* Ov. 120, non aliter loquitur Oppianus, e. g. v. I 174 et 171 et 183, 184; non aliter Numenius in fragmento quod exhibebimus XVII. *Nobilis* piscis ibi audit (Ov. 134) ubi maxime moratur: tali locutione iam usus Archestratus est *ἔστι δὲ κεδνὸς κἂν πορθμῷ* Athen. 314 E; *κεδνὴ δὲ καὶ αὐτή* 320 A (325 E); *κατὰ Χαλκίδα κεδνήν* 288 B (330 A); cf. 311 F; ita e. g. Plinius quoque IX 60; Oppianus vero huiusmodi stationes minus curavit. Praeclarissimam vero hanc propono Ovidium inter et Oppianum similitudinem. Ipsum enim in v. 92 *χωρισμὸν* tot ille ac talibus verbis praeparat:

Discripsit sedes varie natura profundi
Nec cunctos una voluit consistere pisces;
Nam gaudent eqs.

verbis totidem eisdemque fere idem adgreditur graecus poeta I 93 sq.:

Ἰχθύσι μὲν γενεή τε καὶ ἤθεα καὶ πόρος ἅλμης
κέκριται, οὐδέ τι πᾶσι νομαὶ νεπόδεσσιν ὁμοῖαι.
οἱ μὲν γὰρ eqs.

Versibus usus uterque duobus; primus utrique sensus affirmativus ponitur, deinde per negationem utrique fortiorem sensus idem iteratur; deinde vocula uterque vel *nam* vel *γὰρ* divisionem piscium adnectit. Iam nonne uni cuique e tenebris quasi et oblivione emerget halieutici alicuius libri imago qui si minus ad imitationem sed ad aemulationem tamen poetas excitaverit?

Atque iam in ipsum profundum et ad piscium sedes descendamus. Plurima nomina Ovidius sub pelagi indice posuit. Ad quos pelagios pertinere maxime ii videntur qui in ipso alto degant, qui scribuntur apud Oppianum I 179; atque thynnos gladios hippuros quos hic Oppianus scribit Ovidius quoque scribit, non scribit *πρηνάδας κυβείας κολίας σκυτάλας ὀρκύνους*. Iam memorabile hoc dixerim, quod *ξιφίαι* apud alterum vocantur *φερώνυμοι*, apud alterum ipsa graeci nominis explicatio adicitur *ictu*

non mitior ensis (v. 97). Similiter thynni quoque apud alterum audiunt *θύννοντες, ἐν ἰχθύσιν ἔξοχοι ὁρμήν, κραιπνότατοι* 181, apud alterum *pavidi magno fugientes agmine* 98. Atque plures eiusmodi si quae appareant similitudines suo loco notabuntur.


Adsero primum pelagiorum reliquorum recensum. Atque de iulide notis insigni iam actum est p. 56 sqq.; quae inter saxatiles algae amantes ponitur apud Oppianum I 124, actum est etiam de miluo ibidem, quem pelagium esse cum Ovidio consentit Aelianus IX 52; channen de qua diximus p. 30 Oppianus talem saxatilem qualem iulida facit, libidinis genus ignorat; Aristoteles pelagiam dicit p. 598 A 13. 591 A 10. B 6. Neque de murena gularum Romanarum famosissimis deliciis pluribus disputandum mihi erit; cuius cum rabies notissima sit, ferocem vocat Ovidius v. 27, *αἰνόμορον* Marcellus v. 14; item *ardere* eam *notis auratis* (Ov. 114) experti aiebant, unde Plinius IX 76 accuratius: *dextera in maxilla maculae aureo colore fulgent, ποικίλον* Aristoteles dicit p. 707 B 29, Oppianus *νῶτα παναίολα* II 274, idem alibi colorem potius *κελαινόν* I 514 et 564 quo verbo simul crudelitas ostenditur animi (cf. schol.); et quidem pelagius hic piscis apud Aelianum audit I 33, saxatilis inter ostreas vivens apud Oppianum I 142 (II 323), pelagius simul simul *πρόςγειος* vel *ἐπαμφοτερίζων* apud Aristotelem p. 598 A 14.

Chrysophryn (Ov. 111) vel auratam pelagiam Columella quoque dicit VIII 16, 8, Oppianus accuratius ut solet et saxorum et arenarum amantem I 169, Aristoteles *πρόςγειον* p. 598 A 10. Atque inter *φερωνύμους* eam sicut xiphian Ovidius esse callebat cum adderet *auri imitata decus*; quocum iterum Oppianus comparandus erit qui scripsit *ἀγλαΐη χρύσοφρυς ἐπώνυμος*. Scilicet nomen a specie piscis traxit: schol. Oppian. Cyneg. III 343.

Etiam lupos (Ov. 112) plurimos in vivariis alebant Romani. Pelagios esse adstipulatur Columella; Oppianus mare ei addicit amnium ostiis vicinum I 112; *rapidos* cum diceret Ovidius, et ipsam naturam quidem animalis recte descripsit rapacem (Columella cap. 17, 8; cf. Phil. v. 1867) et tamen hic quoque fortasse interpretationem aliquam cogitabat nominis graeci *λάβραξ*; explicatur enim hoc nomen *ὁ λίαν βορὸς ἢ λαίμαργος* Opp. II 130 (cf. schol.) et schol. Opp. Hal. I 112. Quorum locorum altero *λάβρακές τ' ἀμίαι τε θρασύφρονες* ferocitatem etiam luporum poetam praedicare existumo. Hinc etiam factum est quod Plautus in Rudente piscatoria fabula lenonis esse rapacis istud nomen voluit. Memorabile denique quod Marcellus et *λάβρακα* exhibet v. 9 et

praeter hominem esse dixerant: id placitum impugnat ille et argumentis ab ipsa ratione petitis et narratiuncularum exemplis ad bestiarum vitam pertinentium quas dum adnectit quaestioni simul locus datur alteri, terrestriane an aquatilia animalia prudentia reliquisque virtutibus praestent ac venatione praestet an piscatio. Iam Plutarchum ubi Stoicorum victorem gerit Chrysippea quam maxime carpere scripta non est quod dicam. Nam non agnoscere iam non poteras Plutarchum, ut solet fieri isto aevo, in sollertiis illis scribendis adversarium suum iis ipsis spoliasse quibus eum devicturus est. Vituperat hic quoque Stoicos, terit Chrysippum. Ideo quod p. 969 B dialecticos dicit uti solere cane ad syllogismum *τὸν διὰ πλειόνων διεζευγμένον*, hunc Chrysippi fuisse syllogismum testatur Sextus Pyrrh. Hypot. I 69. Quod summum est, falso Stoicos id negare dicit, inesse bestiis *προςδοκίαν μνήμην πρόθεσιν παρασκευὴν τὸ ἐλπίζειν τὸ δεδοικέναι τὸ ἐπιθυμεῖν τὸ ἀσχάλλειν* p. 960 F, falso referre ad eas tantummodo *ὡσανεὶ θυμοῦσθαι, ὡσανεῖ φοβεῖσθαι* p. 961 E; eandem revera in Chrysippi libris exstitisse sententiam sumere liceret nisi testis disertus Galenus esset de plac. Hippocr. Plat. tom. III K. p. 289 sqq.; cf. p. 431 et 476. Qua sententia Chrysippus Stoicis rationibus firmata quia contra se ipsum pugnare videbatur quippe qui simul ut mundum optimum esse evinceret virtutes humanas plurimis bestiis summa doctrina tribuisset, hanc summam doctrinam Plutarchus Chrysippo eripuit propositurus etiam hoc loco *στωϊκῶν ἐναντιωμάτων* exemplum. Iucundum autem est comperire apud Plutarchum dialecticam quoque rationem qua ad paradoxam suam existimationem philosophus egregius propulsus fuerit; ipsa Chrysippi verba citantur p. 960 B: *ὡς τῷ θνητῷ τὸ ἀθάνατον ἀντίκειται καὶ τῷ φθαρτῷ τὸ ἄφθαρτον καὶ σώματί γε τὸ ἀσώματον, οὕτως ὑπάρχοντι τῷ λογικῷ χρῆναι τὸ ἄλογον ἀντικεῖσθαι καὶ ἀνθυπάρχειν καὶ μὴ μόνην ἐν τοσαῖςδε συζυγίαις ἀτελῆ τήνδε λείπεσθαι καὶ πεπηρωμένην.* Non sine fraude ac dolo haec ita excerpsisse Plutarchum in propatulo est: nexum verum delevit quo conclusio haec quapropter dialecticum versutissimum tenuerit explicatur; nunc tam absurda res ut puer ac tirunculus obicere quae obiecit Plutarchus debeat: *ἄλογα* quippe omnia esse quae et *ἄψυχα*, velut lapides arboresque. Ita non caecutiebat Stoae lux praesertim in re unde gravissima pendebant. Ratione dialectica Stoicos atque maxime Chrysippum totum divisisse mundum notum est et quidem membris semper binis. Modo Senecae consulas epistulam 58 aut Ciceronis De offic. II 11 aut quae largius

conposuit Petersenus Philos. Chrys. Fundamenta p. 145 sqq. Quae res ut est intricata, ita tamen divisionem quae est inter ἄλογα et λογικά luce lucidius est non pertinuisse ad totum mundum sed ad superioris tantum divisionis partem, hoc est ad ἔμψυχα. Ita enim divisisse videtur:



Itaque corruebat divisio nisi quid inveniebatur ἔμψυχον ἄλογον. Atque contra dicere Plutarchus id tantum debebat aut omnino dividendum non esse aut posse etiam aliud statui principium divisionis praeter rationem. Volkmannus Leben u. Schriften des Plut. II p. 82 referre Plutarchea satis habuit. Denique in ipsis verbis Chrysippi post ἀσώματον interciderunt: καὶ τῷ ἐμψύχῳ τὸ ἄψυχον, id quod me iudice ipsa fraude Plutarchi factum est.

Atque iam temperi Halieuticorum quoque latinorum unde deflexit sermo memoriam replicabimus. Constat inter omnes ubi mundus ipsius dei Iovisve vice fungatur agnoscendam Stoicorum doctrinam esse. Ipsum Chrysippum quoque mundum pro deo habuisse Cicero testis in libro modo explicato locupletissimus; cf. etiam libri I § 39 atque Philodemi περὶ εὐσεβ. p. 82 Gomp., Stobaeum I 444 et quae doctissime disputavit Krische Forsch. alt. Phil. p. 452 sq., 424. Iam vero poeta latinus ut casulam suam piscatoriam grandiore vestibulo exornaret, hunc in modum in v. 1 sequendum Chrysippum duxit:

Accepit mundus legem, dedit arma per omnes
Admonuitque sui.

Trium notionum verbi κόσμος (Laert. Diog. VII 137 sq.) prima tantum illa in nostrum locum quadrat ut deus sit καθ' ὃν ἡ δια-

κόσμησις· γίνεται καὶ τελειοῦται (cf. Krischi p. 424); admonet deus datque arma; sed num recte accepisse legem dici potuerit dubito. Est etiam lex vis divina vel pro ipso deo (cf. de ea Zelleri Hist. Phil. III[1] p. 126 adn. 2) atque ipsum quasi medium per quod singula Iuppiter quibus „non adest" (Senec. Nat. Qu. II 46) adornanda curare videatur. Sed habet continetque magis legem mundus quam accepit. Quin *ἡ Διὸς βούλησις* ut partes mundi procurat ita tamen legem dare non potest nisi sibi ipsi. Chrysippus de mundo apud Plutarchum comm. not. p. 1077: *λέγει γοῦν Χρύσιππος ἐοικέναι τῷ μὲν ἀνθρώπῳ τὸν Δία καὶ τὸν κόσμον, τῇ δὲ ψυχῇ τὴν πρόνοιαν*; quamquam fingi potest scriptum fuisse concinnius: *τῷ μὲν ἀνθρώπῳ καὶ τῷ σώματι τοῦ ἀνθρώπου τὸν Δία καὶ τὸν κόσμον* eqs. Possis continere dubitationes quod ambigua semper vox sit mundus mortaliumque rerum complexus facile simul cogitetur. Tamen strenue agenti quid aptius scribere potuerit poeta quaeritandum erit. Itaque in hanc rariorem lectionem producor: *Praecepit mundus legem: dedit arma per omnes Admonuitque sui*; ita ut non abolita sit nisi prima carminis littera maiuscula, velut Anthol. lat. Ries. 787, 3 Parisinus liber *Accedant testes* pro *Prodecant testes*; haud dissimiliter Hal. v. 33 ex *Etsub* eruimus *Pressus*. Nec vero bene ubi datur accipitur.

Atque hoc ne frustra postulasse me increpes, idem expresse, atque apud Ciceronem Chrysippus, consilium vide quam fideliter secutus poeta sit, cuius haec summa est: *Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam* (Cic. 124). Itaque Ovidius iste nihil de suo dedit: nam versus etiam inde ab secundo hi, quibus „contra vim et metum suis se armis quaeque defendere" (Cic. 127) illustratur:

vitulus sic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte,
Sic dammae fugiunt, pugnant virtute leones
Et morsu canis et caudae sic scorpius ictu
Concussisque levis pinnis sic evolat ales

fere verbo tenus Chrysippo debentur, quoniam Cicero exhibet § 127: *cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, alia fuga se, alia occulatione tutantur*; et iterum § 121: *aliae* (animantes) *spinis hirsutae* (cf. scorpionem?); *alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum.* Neque dubito quin etiam excursum illum vv. 49 sqq. (ubi aper inducitur) Chrysippo poeta debeat. Scribit Cicero (123): *At quibus bestiis erat is cibus ut alius generis bestiis*

vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem; quae parum accurate dicta animadverte; celeritas enim ni fallor primitus eas tantum bestias notare poterat quae effugiunt viribus carentes debebatque scribi: „At quia multis bestiis“ vel ut coniecturam faciamus: *At si quibus bestiis* eqs. Haec autem fusius explicantur in ipso excursu poematis; cuius sensus his verbis comprimitur: *Saepta sequi natura monet vel comminus ire* (cf. etiam occultationem apud Ciceronem 127). Atque cum *canum sagaci virtute venandi* (Hal. 75 sq.) contendere iuvat Cic. § 158: *Canum .... tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando*; cf. Plutarchi p. 969 B.

Sed enim in v. 3 poeta simul mirum in modum exaggeravit rem variavitque ut adderet de vitulo: *Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte.* Quae a re aliena Lucretiani loci imitationi debentur notati iam a Zingerleo quique ita fere a doctissimis viris editur V 1028:

At varios linguae sonitus natura subegit
Mittere et utilitas expressit nomina rerum,
Non alia longe ratione atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguae
Cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.
Sentit enim vim quisque suam quoad possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent
Illis iratus petit atque infestus inurget.
At catuli pantherarum scymnique leonum
Unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
Vix etiam cum sunt dentes unguesque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere et a pinnis tremulum petere auxiliatum.

Sed enim Lucretius quem legisse quidem libros Chrysippi minime improbabile est (cf. adn. Munrois ad I 430. 459. 782 et passim), tamen prorsus aliud his exemplis effici voluit: infans antequam loqui potest iam vim tamen potestatemque loquendi sibi adfuturam sentit. Itaque verum pondus apud Lucretium positum est in voce *priusquam* et *vix*. Sequitur autem me iudice ut v. 1033 qui ita in libris est: *Sentit enim vis quisque suam quod possit abuti* graviter destructus sit ac foede interpolatus siquidem dedisse necesse est poetam:

Sentit enim vis quisque prius quam possit abuti;

prodidit se interpolator voce *suam:* quippe *vim* legere ille sibi vide-

batur, at forma *vis* rectissima est, cf. II 586. III 265. Eandem propter rationem mihi quidem extra dubitationem omnem positum est in v. 1039 scriptum fuisse aut hoc aut simile:

Alituum a parvo genus alis omne videmus Fidere

id est: iam ab ovo ut dicunt alis fidunt. Quid vero? hariolari si placeret, illud *nondum iam* quod in prima huius libelli parte castigavimus ut scriberet falsus Ovidius an Lucretio lecto inductum suspicareris? nam in v. 1038 Lucretius aut *vix etiam* duce Quadrato aut *Vixdum iam* Oblongo duce scripsisse dicendus est; atque illud editores summo quidem iure praetulerunt; hoc vero num forte in suo exemplo Neroneus poeta legere videbatur? Omittere ne id quidem par est, adsonare etiam Hal. v. 81 ad Lucreti v. V 784, magis tamen ad Vergili Aen. II 498.

Quod vero in Hal. v. 8 traditur:

omnibus hostem
Praesidiumque datum sentire et noscere teli
Vimque modumque sui,

perperam traditur. Primum enim ita totus sensus partitus est ut pro praesidio expectetur consimilis hosti notio; deinde praesidium male dicitur sentiri: sentitur hostis, noscitur vis propria, praesidium paratur. Errore graviore *Perniciemque datum sentire* oblituisse crediderim; *ὄλεθρον* scilicet quod semper effugiunt animalia apud Graecos Oppianumque, pernicies apud Latinos dicitur et apud Senecam philosophum, cuius epistula 121 digna est quam compares: ubi docemur nullum animal ad usum sui rude esse (§ 9), tacitis quoque et brutis quamvis in cetera torpeant ad vivendum sollertiam esse (§ 24); atque ut videas in Hal. v. 7 verissimam Stoicorum doctrinam referri: „*Omnibus* ignotae *mortis timor*“: refert Seneca quoque § 19 inesse animalibus nocituri scientiam non experimento collectam: nam antequam possint experiri cavere. Non autem attendisse doctos viros video huic epistulae formam datam esse dialogi: *Ideo, inquit, partes suas* eqs. § 7. *Constitutio, inquit, est* § 10. *Dicitis, inquit, omne* § 14. *Quem ad modum, inquit, editum* § 19. Efficitur hinc emendandi in § 21 officium, ita: *Quomodo,* inquit, *omne animal perniciosa intellegere conatur?* Sed enim quid est *conatur? Potest* scribendum saltem fuit; sed supervacaneum id quoque; refice *coniectatur*; nam male hic mendosum codicem archetypum fuisse vel inde patet quod verba *si tamen exigis dicam* falsum ea in locum aperte transportata excidisse fere post *coniectatur* oportet; sic enim Seneca ad adversarii inter-

rogationem apte respondebat: *Quomodo, inquit, . . . intellegere coniectatur? Difficilior res; si tamen exigis, dicam. Sentit se carne constare* eqs.; sequitur autem res revera difficilior. Itaque una illa sententiola cum in marginem abiisset, dimidia eius pars amissa, reliqua ut fit non suo loco reposita est.

Denique contra Madvigium (ad De fin. III 16) moneo omnibus his praeclare firmari apud Laert. Diog. VII 85 lectionem *τὴν αὑτοῦ σύστασιν καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν* nisi quod pleniorem expectabam: *καὶ τὴν ταύτης ἐξ ὅτου λαμβάνεται συνείδησιν.*

Hactenus de Chrysippo. Nam quod sollertia aquatilium vinci terrestria animalia dicuntur, in eo fortuito concinere videntur poeta latinus atque Plutarchus quippe diversis prorsus argumentis rem agentes; neque vestigium huius sententiae ullum aut apud Ciceronem aut apud Oppianum est. Atque iam eo deducimur ut reliqua quae de piscibus in carmine latino exstant percenseamus, unde novas ne hic quidem sed communes fere antiquitati notitias a poeta promi firmabitur.

VIII.

Oppiani et falsi Ovidi in arte piscatoria scribenda consilium idem fuit nisi quod et rerum copia et librorum numero quinquiplicatis alter alterum superat. Pares in eo eos vidisti quod sollertias uterque piscium narrandas duxerunt et quidem Chrysippum pariter adiere qui rem compositam commodissime praebere videbatur; pares etiam in eo, quod catalogum insuper aquatilium uterque proponunt et quidem talem quo simul instituatur qui dicitur *χωρισμὸς τῶν ἰχθύων.* Atque et hic et illic aquatilia secundum locorum diversitatem variamque maris imi naturam distribuuntur. Quae incipit agi res apud latinum scriptorem inde a v. 85, apud graecum ab I v. 86. Atque hanc totius operis dispositionem communem iis casu factam esse vix credes. Singula vero persecutus haec observo: apud Ovidium v. 86—91 divisio non cernitur nisi locorum ternorum: et saxosorum et umbrosorum et herbosorum. Atque ista qui legerit iam ipsa nomina piscium inde a v. 94 dispositum et separatum iri expectabit eorum primum qui saxa deinde qui umbram ultimo loco qui algam mollem praeament. Quo officio homo insulsissimus eo usque non functus est ut pelagios tantum modo (v. 94—117) incolis herbarum (118—134) opponeret atque in has duas classes conicit constipatque nomina quotquot comperta habet natura victuque et ipsa statione

saepe ut videtur diversissima; itaque promisisse rem operosiorem et subtiliorem sibi ille videbatur ridiculaque audacia et neglegentia molesto absolvi munere festinavit; scilicet imperfectum Ovidi poëma scribere simulabat. Quae cum ita sint vix dignus homo videbitur in cuius consilio studiisque rimandis operam perdamus; nisi quod aliquam ei Halieuticorum graece scriptorum imaginem ante oculos obversatam esse expectatur. Iam vero ad tripartitionem illam locorum ut revertamur, Oppianus econtra partitionem multo doctiorem et subtiliorem instituit, cuius diversa loca sunt non minus undecim atque unius saxosi fundi diversa genera quattuor; quorum uni cuique sui nimirum ab eo pisces dantur. Alii enim apud Oppianum litora humilia et arenosa incolunt (95 sq.), alii vada maris limosa (102), alii herbosa litora (107), alii mare fluminibus vicinum (111 sqq.), alii scopulos, et quidem eos aut alga plenos (123) aut humiles arenisque adfines (128), aut herbis tectos (131) aut ostreis (138), sunt praeterea qui in imo lateant gurgite (145), est qui exeat in ipsam terram (155), sunt qui simul in saxis et in arenis degant (168), sunt qui vagentur per magna spatia pelagi (179). Itaque et res et doctrinam et argutias Oppianum hoc in loco mirum quantum exaggerasse satis patet. Fatendum est tamen esse etiam quo Ovidiana minus sufficiant; nam adsunt quidem algae herbarum (fortasse etiam ostrearum cf. p. 28) amantes, adsunt etiam saxatiles; desiderantur tamen genera pelagiorum et litoralium et limum incolentium separatim posita; ubi enim divisio instituitur amplior (atque maxime pisces qui umbram ament in v. 88 memorati ampliorem eam fuisse produnt) illi non simul significari vix poterant; Columella quoque VIII cap. 16 sq. ubi de vivariis res est in victu piscium discernendum didicit esse inter regionem limosam et inter arenosos gurgites maxime eos aptos pelagiis et inter mare saxosum (in cap. 17 § 6 scribendum videtur: *scopulos qui praecipue* veneriis *algave vestiuntur*). Iam vero intercidisse aliquid post v. 86 Hauptio duce coniecimus supra p. 26; conici id quoque poterit esse hoc damnum non unius sed complurium versuum; quae coniectura commendatur et re et suspicione altera. Vindobonensem librum primarium Halieuticorum et Grati testem in pagina una quaque versus fere viginti duos continuisse inde colligitur, quod versuum 537—541 simul capita truncata cernuntur, simul clausulae truncatae versuum 515—519 ita ut alteri in alterorum quasi dorso scripti esse videantur, eaque computatio plane confirmatur codicis descriptione ab Hauptio data praef. p. VII. Item quod Halieuticorum versus

decimi non cernitur nisi caput *Sin,* versus autem quinti et vicesimi non nisi clausula *in auras,* inde archetypum olim continuisse in pagella una quaque versus fere quindecim eadem ratiocinatione colligas; sumamus versuum fluctuasse inter 14 et 15 numerum; sumamus item quod veri simillimum est mutilatos illos versus decimum et vicesimum quintum pagellae primae alteriusque fuisse ultimos et ad marginem inferiorem proximos; tertiae pagellae ultimus evadet v. 39, quartae v. 54, quintae v. 67 (repetebatur enim v. 52 post v. 64), denique v. 81 sextae paenultimus, post quem interiisse unum versum (sextae eum pagellae ultimum) intellectum est. Iam vero etiam post v. 90 hexameter interiit unus; itaque etiam versus 90 pagellae septimae sit paenultimus. Vides septimae isti non quindecim quot par erat metra concedi sed novem tantum; itaque hac via post v. 86 aut quinque aut sex absorpta metra deprehendimus. Si perscriptum poema in singula pagina columnis binis fuerat, versu 10 finiebatur pagina prima, v. 39 secunda, v. 67 tertia, denique in quarta simul et 81 et 90 paenultimi legebantur, ultimi autem duo simul abscissi sunt. Quae nisi celerior conclusio dicetur (hiatus duorum versuum post v. 127 hac via non explicatur, sed potius ultimus carminis versus ultimae pagellae ultimus fuisse dicendus erit), nacti iam sumus post v. 86 intervallum satis magnum quo quae desiderantur memorata fuisse credamus. Incipiebatur fere sic:

Pisces observes quid ament ac dona locorum;

deinde statim addebatur:

Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare (nam varie quaedam fugiuntque petuntque);

talis enim parenthesis de qua diximus p. 28 addi non poterat nisi in exemplo primore, indeque etiam ordinem horum versuum praepostere traditum esse intellegitur; tum sequebantur partitionis membra nescio quo ordine fere quattuor reliqua.

Itaque Oppiani licet auxerit rem tamen consilium et dispositio ipsa similis ei fuit quam Ovidianus poeta assumpsit. Ne umbram quidem amantes ignoti Oppiano sunt quamquam minus occurrunt in ipso *χωρισμῷ.* Nam I 605 inter ea quae in Ponto maxime placeant adsunt etiam *ἄκραι σκιεραί*; ideo hippurorum dicuntur *φῦλα φιλόσκια* IV 422; atque de pompilis IV 438: *καὶ γὰρ τοῖς ἴσον ἦτορ ἐπὶ σκιεροῖσι πόθοισι*; unde ad v. 88 coniectura Riesi frustra esse dicetur haec: *Num mons torrentes demittat celsior undas* cuius ne sensum quidem opportunum video;

demittere umbram ita dictum est ut laudem aliquam mereret poeta multum nobis obiurgatus quippe apte ille imitatus geometricos „lineam demittentes" (Vitruvi III 5, 5). Loquendi usus scriptoribus communis hic quod gaudent aquatilia pelago vel laetantur arena apud latinum (*laetantur* enim v. 118 recte scribitur pro eo quod traditur *laxantur*; velut v. 116 *nociturus* abiit in *noxiturus*) sicut *γάννυνται* Opp. I 383, *τέρπονται* III 415 atque similia passim; ceterum iam Aristoteles e. g. *χαίρει δὲ πρόςγειος ὤν* (Athen. p. 315 A). Ita quod pro maena legitur *genus maenae* Ov. 120, non aliter loquitur Oppianus, e. g. v. I 174 et 171 et 183, 184; non aliter Numenius in fragmento quod exhibebimus XVII. *Nobilis* piscis ibi audit (Ov. 134) ubi maxime moratur: tali locutione iam usus Archestratus est *ἔστι δὲ κεδνὸς κἀν πορθμῷ* Athen. 314 E; *κεδνὴ δὲ καὶ αὐτή* 320 A (325 E); *κατὰ Χαλκίδα κεδνήν* 288 B (330 A); cf. 311 F; ita e. g. Plinius quoque IX 60; Oppianus vero huiusmodi stationes minus curavit. Praeclarissimam vero hanc propono Ovidium inter et Oppianum similitudinem. Ipsum enim in v. 92 *χωρισμὸν* tot ille ac talibus verbis praeparat:

Discripsit sedes varie natura profundi
Nec cunctos una voluit consistere pisces;
Nam gaudent eqs.

verbis totidem eisdemque fere idem adgreditur graecus poeta I 93 sq.:

Ἰχθύσι μὲν γενεή τε καὶ ἤθεα καὶ πόρος ἅλμης
κέκριται, οὐδέ τι πᾶσι νομαὶ νεπόδεσσιν ὁμοῖαι.
οἱ μὲν γὰρ eqs.

Versibus usus uterque duobus; primus utrique sensus affirmativus ponitur, deinde per negationem utrique fortiorem sensus idem iteratur; deinde vocula uterque vel *nam* vel *γὰρ* divisionem piscium adnectit. Iam nonne uni cuique e tenebris quasi et oblivione emerget halieutici alicuius libri imago qui si minus ad imitationem sed ad aemulationem tamen poetas excitaverit?

Atque iam in ipsum profundum et ad piscium sedes descendamus. Plurima nomina Ovidius sub pelagi indice posuit. Ad quos pelagios pertinere maxime ii videntur qui in ipso alto degant, qui scribuntur apud Oppianum I 179; atque thynnos gladios hippuros quos hic Oppianus scribit Ovidius quoque scribit, non scribit *πρηνάδας κυβείας κολίας σκυτάλας ὀρκύνους*. Iam memorabile hoc dixerim, quod *ξιφίαι* apud alterum vocantur *φερώνυμοι*, apud alterum ipsa graeci nominis explicatio adicitur *ictu*.

non mitior ensis (v. 97). Similiter thynni quoque apud alterum audiunt θύννοντες, ἐν ἰχθύσιν ἔξοχοι ὁρμήν, κραιπνότατοι 181, apud alterum *pavidi magno fugientes agmine* 98. Atque plures eiusmodi si quae appareant similitudines suo loco notabuntur.

Adsero primum pelagiorum reliquorum recensum. Atque de iulide notis insigni iam actum est p. 56 sqq.; quae inter saxatiles algae amantes ponitur apud Oppianum I 124, actum est etiam de miluo ibidem, quem pelagium esse cum Ovidio consentit Aelianus IX 52; channen de qua diximus p. 30 Oppianus talem saxatilem qualem iulida facit, libidinis genus ignorat; Aristoteles pelagiam dicit p. 598 A 13. 591 A 10. B 6. Neque de murena gularum Romanarum famosissimis deliciis pluribus disputandum mihi erit; cuius cum rabies notissima sit, ferocem vocat Ovidius v. 27, αἰνόμορον Marcellus v. 14; item *ardere* eam *notis auratis* (Ov. 114) experti aiebant, unde Plinius IX 76 accuratius: *dextera in maxilla maculae aureo colore fulgent*, ποικίλον Aristoteles dicit p. 707 B 29, Oppianus νῶτα παναίολα II 274, idem alibi colorem potius κελαινόν I 514 et 564 quo verbo simul crudelitas ostenditur animi (cf. schol.); et quidem pelagius hic piscis apud Aelianum audit I 33, saxatilis inter ostreas vivens apud Oppianum I 142 (II 323), pelagius simul simul πρόςγειος vel ἐπαμφοτερίζων apud Aristotelem p. 598 A 14.

Chrysophryn (Ov. 111) vel auratam pelagiam Columella quoque dicit VIII 16, 8, Oppianus accuratius ut solet et saxorum et arenarum amantem I 169, Aristoteles πρόςγειον p. 598 A 10. Atque inter φερωνύμους eam sicut xiphian Ovidius esse callebat cum adderet *auri imitata decus*; quocum iterum Oppianus comparandus erit qui scripsit ἀγλαΐη χρύσοφρυς ἐπώνυμος. Scilicet nomen a specie piscis traxit: schol. Oppian. Cyneg. III 343.

Etiam lupos (Ov. 112) plurimos in vivariis alebant Romani. Pelagios esse adstipulatur Columella; Oppianus mare ei addicit amnium ostiis vicinum I 112; *rapidos* cum diceret Ovidius, et ipsam naturam quidem animalis recte descripsit rapacem (Columella cap. 17, 8; cf. Phil. v. 1867) et tamen hic quoque fortasse interpretationem aliquam cogitabat nominis graeci λάβραξ; explicatur enim hoc nomen ὁ λίαν βορὸς ἢ λαίμαργος Opp. II 130 (cf. schol.) et schol. Opp. Hal. I 112. Quorum locorum altero λάβρακές τ' ἀμίαι τε θρασύφρονες ferocitatem etiam luporum poetam praedicare existumo. Hinc etiam factum est quod Plautus in Rudente piscatoria fabula lenonis esse rapacis istud nomen voluit. Memorabile denique quod Marcellus et λάβρακα exhibet v. 9 et

λύκον v. 23 habetque λύκον etiam Hesychius, item Hicesius apud Athen. 282 D, quam ibi lectionem frustra turbaverunt viri docti, cf. Schweighaeuseri adn. ad l.

At de melanuro poeta quod scripsit v. 113 *laude insignis caudae*, speciem quidem prae se fert quasi φερωνυμίαν monstrare etiam in hoc pisce voluerit: cauda enim in nomine inest: cf. ἵππουρος πάγουρος αἴλουρος (Thimotheus cap. 36) τράχουρος κόλλουρος πλατύουρος similia; sed laudari caudam minus expectamus. Certe Aristoteles caudam quidem insignem putabat, sed colore potius ὀρροπυγοστίκτους praedicans (Athen. 313 D); atque Isidorus 12, 6: *caudam nigram habet et pinnas nigras et in corpore lineas nigras.* An simul etiam caro caudae et sucus tunc Romanis placebat quibus melanuros in piscinis asservari solitos esse Columella testis est? Memor tamen sum loci Pliniani IX 48 ubi non placere sed displicere τὰ οὐραῖα exponitur parum quippe pinguia; quibus addit Plinius esse tamen ea *in alio pisce circa caudam exercitatissima*: quis igitur hic est alius piscis? ludere vir gravissimus atque mysteria facere videtur; cur enim nomen ipsum non dedit? Iam quia divinandum lectori hoc reliquit, forsitan aliquis apud Plinium cogitari dicat hunc nostrum melanurum. Frustra; quis enim non praeferet planius illum et sana mente scripsisse putare: *in* gladio *pisce circa caudam exercitatissima*; in gladio scilicet caudam optimam esse cecinit Archestratus apud Athen. p. 314 E. Submoneo autem ex Ovidiana lectione Aristotelis fere illud ὀρροπυγόστικτοι facili artificio elici posse:

Quin flauens signis caudae melanurus

quod si poeta revera scripserat deceptus a librario iam Plinius fuit qui refert: *placentem cauda melanurum*; an quis ex his quoque *flaventem cauda* eliciet? Ceterum arenis vivere melanurum Oppianus iudicat I 98, contra alga Aristoteles p. 591 A 15, sed ἀκταῖον esse Marcellus v. 13, Columella saxatilem; saxatiles autem omnes πρόςγειοι sunt (Arist. 598 A 10).

Quare saxatiles etiam plures in fragmento nostro pelagiis adnumerantur; ita merulae v. 114, audiuntque eae *virentes*; quae tamen coloris nota scitur quam incerta et vaga et nigri coloris quam similis sit. Sunt autem κόσσυφοι turdorum piscium quasi mariti; mutantque simul utrique colorem Aristot. p. 607 B 15 (inde idem Aelianus XII 28); μελάγχρων Numenius unum κόσσυφον praedicat frg. XVII, κίχλας simul memoratas potius ἁλιειδέας. At contra αἴθων secundum Oppianum κόσσυφος I 510, item οἰνώδης turdus apud Pancratem Athen. 305 C. Atque hoc reputans

quod sine turdis fere nunquam merulae memorantur et quod inter saxatiles omnes turdi videbantur esse principales, ab Halieuticis latinis abesse turdos miraberis. Igitur qui v. 109 sine nomine attingitur:

Tum viridis squamis, parvo saxatilis ore,

hunc turdum teneamus *κατ' ἐξοχὴν* saxatilem, veluti etiam phycis nomen in v. 122 non omittitur nisi quod piscis satis ex ipsa descriptione cognoscebatur; eundem autem viridem colorem marito utrique consilio poeta dedit. Parvum turdi os esse minus habeo quo confirmem, satisque sit docere fuisse hoc quoque aliquod certorum aquatilium insigne, veluti scaris parvum os attribuit Aristoteles (Athen. 319 E), idem mugili et amiae Plutarchus De sollert. an. p. 977 A, cum *χάνναι μεγαλοχάσμονες* audiant apud Epicharmum (Athen. 315 F). Ita autem Gesnerus Animal. marit. p. 25: „est etiam in turdorum genere (decimus Rondeletio) viridis quidam et parvo ore". Oppianus merulas alibi quidem memorat, non memorat in catalogo; turdos in catalogo dicit *ῥαδινάς* I 126.

Columella VIII 16, 8 arenosos maxime gurgites aptos pelagiis piscibus dicit iisque adnumerat praeter auratas *dentices punicasque et indigenas umbras*(*ve*); item in pelagiis et umbras et synodontas Ovidius habet; *πρόςγειος* synodon Aristoteli videbatur p. 598 A 10, simul in saxis arenisque degere Oppiano I 170; quod vero fulvi praedicantur Ov. v. 107, robustos potius Oppianus vocavit, at Epicharmus *ἐρυθροποικίλους* Athen. p. 322 B, *λευκὴν συνόδοντα* Numenius fr. IX (*μέγαν* idem VI), *πυρρὸν* Philoxenos Cytherius Athen. 147 B. Quid vero Marcellus Sideta? apud quem legimus v. 29:

καὶ τυτθαὶ μαινῖδες, ἀτὰρ κύνες ἠδὲ λαγωοὶ
καὶ κριοὶ συνόδοντες ἰδὲ ξιφίαι θρανίαι τε.

Nemodum quod mireris vitium sensit scriptionis; *κριοὶ* enim si revera pro piscibus essent, synodontes ut particula copulativa adcopularentur efflagitandum esset; contra in v. 10:

θοῦροί τε σκιαδεῖς τε καὶ ἥπατοι ἀγκυλόδοντες

eadem ratione efficitur non adiectivum *θοῦροι* esse sed piscium nomen conponi quod iis possit quos nescio ubi *ἡσύχους* vocatos legere memini; an forte *στρουθοί τε σκιαδεῖς τε* scribendum? cf. infra p. 118. Accedit autem de loco prius posito quod ipsi *κριοὶ* pisces a Marcello laudantur in v. 40. Scripserat ille: *καὶ κιῤῥοὶ συνόδοντες*: *κιῤῥὸν* enim quid visum scriptoribus sit Hesychius ita comprehendit: *κιῤῥόν· πυρρὸν ἐρυθρὸν ξανθόν.*

Umbrae porro quae magis limosis vadis ab Oppiano adscribuntur I 106 ita ut etiam nutriantur luto, quo iure liventis cor-

poris esse a latino poeta dicantur (v. 111) facile dispicies: *φερωνυμίας* quippe curare non desinit. Columella autem quod exhibet *punicasque et indigenas umbras(ve)* ita non caecutiebant priores ut lectionis labem non sentirent. Quam detergere postquam diu laboravi, latitantia haec dubitanter agnoscebam: *ut auratas ac dentices scepinosque et attagenas umbrasve* (cf. Dorionem ap. Athen. 322 F; Oppian. I 106 cum schol.)

Pelagiorum alii fuere qui librorum magis lectione cognoscerentur. Atque boves (Hal. 94) pelagios esse non dissuadet Aristoteles qui et inter *σελάχη* eos ponit et inter *κήτη* (p. 540 B; fr. 277 et p. 566 B 4); apud Oppianum I 103, II 141 (cf. Phil. 1762) *βῶκας* in limo viventes pro ranis accipi scholiasta iubet. Porro de scombris (Hal. 94) qui lacerti sunt (schol. Opp. I 142) miro modo non constare sibi Oppianum videmus: arenam enim comedunt prope humile litus I 101, at I 142 saxatiles sunt quo loco non *σαῦροι*, sed *σκόμβροι* legerat certe scholiasta, *σαῦροι* enim iam adsunt in v. 106; num forte *ῥόμβοι* in v. 101 poeta dedit? Porro sine appositi ornamento Ovidius percas exhibet 112, easdem sine ornamento Marcellus 16 tragosque item Ovidius 112, Marcellus 23; saxatiles percae apud Oppianum I 124; at vero tragos potius herbido mari Oppianus adsignat 108 pariterque Ovidius quoque tragos non ante v. 118 cum maenis et smaridibus ponere debebat; etiam sparum (quem eundem esse atque maenam erant qui arbitrarentur Arist. 607 B 10 sq.) Oppianus v. 109 herbido mari bene dedit, Ovidius contra pelago v. 106; quod vero nomini adscripsit idem *super aurata cervice refulgens,* hoc praeteriisse reliquos video, nisi quod *καλλίστους* Epicharmus sparos dixit (Athen. 320 C).

Rursus *φερωνυμίαν* indicavit Ovidius v. 99: *Parva echenaïs, at est, mirum, mora puppibus ingens;* nam *mora* pisciculus a latinis aut *remora* (tamen *mora* e. g. etiam in Oribasi Euporist. lat. II p. 261 ed. Basil. a quo inter medicamenta ponitur consumentia et reprimentia semen, cf. Plin. XXXII 139) ob vim virtutemque suam vocabatur (ideo *ναυκράτης* Phil. v. 1964) de qua vi multus Oppianus est I 212 sqq. adiciens ille quasi conclusionem *τοίων δὲ φερωνυμίην λάχεν ἔργων* v. 243; atque uterque pariter poeta alto pelago pisciculum adrogavit, saxatilem dixit Aristoteles atque Aristotelis verbis Plinius (cf. infra p. 160). Etiam *parva* adiectivum sollemne fere fuit.

Glaucus (Hal. 117) pelagius apud Aristotelem 598 A 13, inter arenas partim partim inter saxa degit apud Oppianum I 170. *Aestivo sidere numquam conspectum* Aristotelis auctoritate poeta cecinit

p. 599 B 32 quod iterandum Oppianus non duxit; latens quippe dies fere sexaginta caniculae sidus et rabiosi tempora signi fugitabat, sicuti Plinius IX 58 verba Aristotelis repetens ad glaucum etiam siluri mentionem adnectit qui *caniculae ortu sideretur*; similiter triginta dies latent *κήρυκες* Arist. p. 599 et *ὑπὸ κύνα* purpurae Athen. p. 89 B.

Helops pretiosus vocatur Hal. 96, velut iam apud Epicharmum *πολυτίματος* (Athen. 282 D); scaro enim ipsi anteponebatur (Xenocrat. cap. 10) dabaturque ei palma saporis (Plin. XXXII 151); sed Plini fere aetate (IX 169) pretiosus fuisse non videtur nisi Rhodiacus; hoc igitur est cur maxime falsus Ovidius *nostris incognitus undis* addiderit; nam Columella quoque cap. 16, 9: *non enim in omni* inquit *mari potest omnis esse ut helops qui Pamphilio profundo nec alio pascitur*; at contra Archestratus olim clarum habebat et apud Cretam reliquasque insulas et Syracusis captum; scripsit enim (Athen. 300 E) ita fere:

> τὸν δ' ἔλοπ' ἔσθε μάλιστα Συρακούσαις ἐνὶ κλειναῖς
> τόν γε κρατιστεύονθ'· οὗτος γὰρ αὖ ἐστιν ἐκεῖθεν
> τὴν ἀρχὴν γεγονώς, ἔνθεν κἂν ᾖ περὶ νήσους
> ἢ περὶ τὴν ἄλλην που ἁλῷ γῆν ἢ περὶ Κρήτην,
> λεπτὸς καὶ στερεὸς καὶ κυματοπλὴξ ἀφικνεῖται,

ubi *ἔνθεν* interpretor *quapropter*. Surrenti magis captus helops Ennio placebat. Adsunt etiam apud Marcellum *ἔλοπες* v. 12, at ab Oppiano omittuntur, qui potius pisces omnes docta loquela *ἔλοπας* vocat II 658, cf. schol. ad l. et Athen. p. 308 B, C (similia Hesychius) et Nicandrum Al. v. 481. Ideo helops idem esse ferebatur atque anthias (Athen. 282 D), idem ferebatur etiam *κάλλιχθυς* nec non *καλλιώνυμος*, sed differentiam agnoscebat Dorion (Ath. l. l.). Exstiterant etiam qui eundem esse acipenserem Romanorum existumarent, auctore non solum Plinio IX 60 sed etiam Apione *ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀπικίου τρυφῆς* Athen. p. 294 E; contra adeo eos diversos latinus poeta iudicat ut pelagium alterum, alterum (v. 134) herbis arenisque laetantem scribat, simul tamen utrumque undis magis peregrinis nobilem; atque postremum hoc ne mireris, Archestratus apud Athen. 294 E in praeclara observatione caenatica mustelam (*γαλεὸν*) aliquam Rhodi captam et dictam alias *ἀλώπεκα* (Athen. 295 A) eandem esse dicit quam *ἀκιπήσιον* Romanorum; hinc igitur satis dilucidum fit, cur etiam helops Plinio maxime laudetur Rhodiacus quippe positus pro acipensere *γαλεῷ*, sed etiam id explicatur cur herbis magis et arenae quam

pelago acipenserem poeta dederit quippe cum mustelarum haec species fuerit sicut ipsa squatina (v. 123).

Atque in his quae magis pretium piscium quam captionem spectant diversa ab Oppiano Ovidi species est et prosaicorum auctorum lectioni affinior veluti etiam quod fabrum vocat *rarum* v. 110, magni pretii etiam aliis eius temporis visus faber est: quippe in Gadium municipio generosissimis piscibus faber adnumerabatur Columella cap. 16, 9 et Plinio IX 68 auctoribus; sin autem idem *χαλκεύς* erat Graecorum, saxatilis herbis adsuetus (Oppian. v. 133), a Graecis non inveniebatur nisi Cyzici (Athen. p. 328 D).

Nonnulla vero accedunt inter latinum poetam et graecum concinentia. Ita mormyres (Hal. 110) quos litori arenoso addicit Oppianus v. 100 (inde *αἰγιαλεὺς μόρμυρος* Archestratus apud Athen. 313 F), *pictae* visae Ovidio sunt, Oppiano *αἰόλαι* l. l. Item hippuri Ovidio v. 95 *celeres*, *ἐσσύμεναι* Oppiano IV 411 (cf. 435 et 431), sicut *ἀρνευτὴς* hippurus apud Numenium dicebatur frg. VI. Item erythinus *ξανθός* Oppiano I 97, Ovidio v. 104 *caerulea rubens in unda* in quibus *φερωνυμίαν* nota praeclare observatam. In alto degere erythinum cum Aristoteli placuisset 598 A 12, hunc quoque litoralem potius arenas comedentem Oppianus scripsit l. l.: quod vero caeruleam undam simul latinus poeta memoravit, an elegantiam captavit falsam et sui imparem (vide p. 7)? an nasci videri illi poterat color caeruleus ipsa humilitate litoris arenosi? Nonnullis autem similis erythinus non solum hycae et hepati videbatur sed ipsius phagri (Athen. p. 300 E); hoc fuit cur rubere vel *rutilum* esse Ovidius etiam phagrum diceret v. 107; nomen ipsum enim ex perverso *harcer* recte evocaverunt. Colorem phagri apud reliquos non vidi. Saxatilis in Halieuticis graecis est inter ostreas vivens I 140 (de quo egregie convenit inter Oppianum et Numenium frg. XVI), *ἐπαμφοτερίζει* apud Aristotelem 598 A 13.

Porro congros Oppianus in pelago habitare scribit vicino maxime ostiis fluviorum I 113, Aristoteles p. 598 A 13 sqq. albos enatare in pelagus, nigros ad flumina habitare. Enuntiatur autem de iis in poematis nostri v. 115:

Inmitisque suae conger per vulnera gentis,

quae notitia apud Oppianum non obvia Aristoteli debebatur p. 591 A 18: *ἀλληλοφαγοῦσι δὲ πάντες μὲν πλὴν κεστρέως, μάλιστα δ' οἱ γόγγροι*; scilicet etiam nostro tempore qui de natura agunt animalium de bestia ista voraci immani vasta (*ἐπ' ἐννέα κεῖτο τραπέζας!*) similia fabulantur: parcere

eam ne suo quidem generi modo fortiorem se senserit; captam aliquam esse et sectam eximii ponderis cuius in ventre doctissimus scrutator soleas quidem compererit tres at insuper congrum iuvenem longitudine tripedalem. Vide *inmitis* piscis in poemate quo iure dicatur. Constructa sane inelegantissime et durissime sententia, per vulnera aliquem quae infligat esse inmitem: sed correcturam velut *infamis* aut *intutus* non anquisiissent si quis hunc hominem Ovidium non esse cognovisset. Et quidem amant scriptores mores animi humani bestiis istis imputare provocoque ad scarum mitem in ipso v. 16: in hoc enim pisce tantum omnino eminet humanitas quantum inhumanitas in congro; ita mugil audit apud Oppianum ἤπιος ἰχθύς III 519, atque cephalorum mugili coniunctissimorum (cf. schol. Opp. I 156) *δικαιότατον γένος ἅλμης* I, 111, quippe cum mugil solus per suae gentis vulnera inmitis esse nolit.

Quid vero de cantharo v. 103? Qui in ipso χωρισμῷ Oppianeo inter saxatiles frustra quaeritur, sed saxatili similis inducitur III 338; πρόςγειος est Aristoteli 598 A 10; obtrectavit autem nomen eius poeta latinus verbis adpositis *ingratus suco*; optimum contra ad edendum esse Aristotelico loco pronuntiatur, opponitur enim ibi pelagiis quorum σάρκες ὑγραί εἰσι καὶ κεχυμέναι. Ideo venationem piscis curiosissimam Oppianus instituit l. l. Quid quod Xenocrates cap. 9 expresso verbo εὐχύλους esse scripsit cantharos! Iam simul si perpenderis in prima parte catalogi minus vituperari pisces quam commendari, de coniectura mihi mea festinabis fortasse suffragari quae fuit: *Cantharus et gratus suco*. Tamen custodite agendum fatendumque est antiquos in talibus iudiciis non semper pares constitisse id quod instituta Xenocratis cum medicinorum apud Athenaeum excerptorum comparatione haud raro tibi apparebit. Iam vero magis etiam admiraberis quo cantharus excipitur: *tum concolor illi Orphus*; color enim canthari minime descriptus est: egregius poeta et nisi quis forte evanuisse duo hemistichia statuet, iam insimulandus summae aut inconsiderantiae aut stupiditatis. Cantharis χρυσοειδής apud Hesychium est, orphi colorem apud veteres legere non memini; πρόςγειος hic piscis Aristotele iudice 598 A 10, saxatilium similis Oppiano est I 142; attendas autem non attica et Aristotelica nominis forma uti poetam quae fuerat ὀρφώς, sed breviore ὀρφός eadem qua in Halieutico libro suo usus iam Numenius erat (frg. VII).

Superest inter pelagios Ovidi primum scorpius: qui inter pelagios et litorales medius est apud Aristotelem 598 A 14, medius saxa inter et arenas apud Oppianum I 171; genera eorum duo esse

noverat hic quae separabantur ab Hicesio (apud Athen. 320 D) rubrum alterum alterum nigrum, atque rubrum tantum a Numenio eligi videmus frg. XVII. Quod vero in latino libro additur nomini *capitis ictu nociturus*, similiter Oppianus addidit *ἀϊκτήρ*: scilicet *πληκτικὸς* piscis fuit Athen. l. l. Quid fuit igitur quo iceret scorpius? Capite quidem Ovidius docet, at Oppianus II 459 aculeo potius pungente et venenum mittente: quae duae sententiae conciliari inter se minime possunt, neque utra falsa sit diu haerebimus; nam ad bestiolas venenoso aculeo nocentes pastinacas scolopendras dracones scorpio adnumeratur ut apud Oppianum ita apud Plinium quoque XXXII 44, XX 50. Itaque capitis ictum scorpioni dare poeta omnino non poterat, poterant lectionis lapsu librarii. Nam mihi quidem Ciacconi illud perplacet: *Et captus duro nociturus scorpius ictu*, scilicet „manu scorpio si capitur (cf. Plin. XXXII 148) nocebit": quae lectio etiam orationem singulariter adiuvat: iam enim dici potest cur non *nocens* magis quam *nociturus* scribendum poetae fuerit. Atque ne his quidem ipsa scriptoris verba recuperasse videmur: nam ictum illum venenosam punctionem esse non duri notione, sed diri indicabatur.

Denique unanimi in hac quoque re poetae; neque vero non in eo quod nomen uterque cercyrorum exhibent Ov. v. 102, Opp. I 141, ignotum toti antiquitati reliquae praeter Hesychium (cf. infra p. 181); unanimi etiam cercyrum saxatilem esse vel scopulorum fine morari scripserunt; ferocem esse unus Ovidius. Ne vero quis magis *cercuri* scribi iubeat ut graece *κέρκουροι*, etiam navium species *κέρκουρος* apud Graecos legitur, apud Plinium *cercyrus* VII 208, neque varia hac scriptura ipsi Graeci non praeierant; legitur enim *κέρκυρος* in scholio ad Aristoph. Pac. v. 142 (inde apud Suidam s. v. *Ναξιουργής*), invitaveratque ad talem scripturam graeculos grammaticos etymologiarum captatio, denominari enim naviculam hanc *ἀπὸ Κερκύρας* dicebant sicut *πάρωνα ἀπὸ Πάρου* similia; atque hoc usu Romani receperant. In Sticho tamen Plauti v. 368 *cercurum* pro *cercyrum* prisco more scriptum statuas necesse non est; nisi quod varia ibi lectione *cercirum* atque adeo eo quod Nonius tradidit *cyrcerum* vestigia produntur doctrinae correctorum posteriorum de vocali dissentientium.

Pompilus denique (aliis nautilus dictus) in latino carmine v. 100 quod sulcos navium sequi fertur, etiam hunc piscem *φερώνυμον* esse docemur; neque aliter Oppianus I 187: *πομπῇ δ' ἐπεφήμισαν οὔνομα νηῶν*. Hic autem locus est quo Halieutica latina non scripturis tantum corruptis, sed etiam alio

ruinae genere turbata esse efficiatur. Etenim Plinius in excerptis pompilum post versum demum 117 et post glauci piscis mentionem suo tempore extitisse testis est; quandoquidem ita excerpsit ille ut versuum semper ordinem sequeretur (cf. supra p. 56) neque vero transpositionis coniecturam prosae orationi Plinianae facilius admoveas. Idque vide mihi quo confirmetur. Legimus enim ipsum glaucum v. 117 pelagiorum omnium ultimum effluitque enumeratio et exspirat hebeti et languida et invenusta nominum trium per metra tria dispositorum compositione cum statim ad alteram piscium portionem procedat scriptor. Atqui pompilus quippe pelagius glaucum, si sequebatur, sequi nisi statim non poterat. Iam vero pompilus unus omnium pelagiorum est, quem insolito more poeta non tertia persona sed secunda appellaverit clamitans: *Tuque comes*! Quid haec elatioris sermonis figura, quid sonus hic inquam excitatior moram inter et cercyrum? At vero vivacitas ea gratissima atque ornatus opportunissimus si totam enumerationem tristiorem iam vividiore colore finire poeta studebat. Atque num casu accidit, quod etiam altera, quae sequitur luxuriosiorum piscium caterva compellatione terminatur eadem v. 134:

Tuque peregrinis acipenser nobilis undis?

Nam hoc ultimo versu absolvisse poetam distributionem piscium aut saltem secundam distributionis portionem tenendum est adiunxissetque ille iam versu 135 aut portionem tertiam aut piscationem ipsam nisi incohatum carmen videri suum maluisset. Itaque vv. 100 sq. collocandos post v. 117 esse bona ratione conicitur.

Atque restat ut in herbidum iam mare insinuemus procedaturque a piscibus severioribus et fere heroicis ad effeminatas cinaedosque et resolute viventes sicut amica luto sus. Ecce principatus ut Plinius scripsit IX 62 et ipse primus locus conceditur scaro τῷ ἰχθυμέδοντι (Marcell. Sid. 54) cuius ingenium ἁπαλὸν (Opp. II 662) quemque pasci alga Aristoteles accepit p. 591 A 15; at non inter arenas, sed inter saxa potius herbis consita versari scarum Oppiano placuit I 134; quo vero ornamento utitur Ovidius *epastas solus qui ruminat escas*, prorsus idem suo in catalogo Oppianus ponendum putavit nisi quod latius uno metro spatium impendit:

καὶ σκάρον ὃς δὴ μοῦνος ἐν ἰχθύσι πᾶσιν ἀναύδοις
φθέγγεται ἰκμαλέην λαλαγὴν καὶ μοῦνος ἐδητὺν
ἄψοῤῥον προΐησιν ἀνὰ στόμα, δεύτερον αὖτις
δαινύμενος, μήλοισιν ἀναπτύσσων ἶσα φορβήν.

Qua pecorum similitudine inde ab Aristotele antiquis notissima pisci etiam nomen μήρυξ vel βήρυξ invaluit. Sequuntur autem regem aquaticum ii de quibus valeat illud „Nos numerus sumus", *fecundumque genus maenae lamirosque smarisque* v. 120; atque sub herbis viridantibus et maenam et smarin habitare ex Oppiani v. 108 antea probavimus; arte componi autem eam propter causam haec duo nomina adsolent, quia num forte hic unus et idem piscis esset dubitabatur (Speusippus apud Athen. p. 313 A, indidem Hesychius atque schol. Opp. Hal. III 188). Fecundum denique sicut piscium genus dici fere unum quodque poterat, ita tamen aptissime pisciculi isti ubique semper catervatim vagantes. Iam vero etiam lamiros rarissimum nomen atque vix ulli praeter hos poetas celebratum et ipse ad arenas pertinere esseque similis menarum pisciculus in alia libri huius parte p. 177 dicetur; nunc ad rem observandam declinemus grammaticam. Atque primum *lamyrus* scriptura socordiae Gesneri debetur; tamen ipsius poetae mente inhaesisse sane sonum conicio clausulae Vergilianae huius quae ipsa quoque in nominum enumeratione intexitur: *nec non Lamyrumque Lamumque.* Inde enim aliquatenus explicasse videor, cur brevem scribere poeta vocis *lamiros* syllabam primam ausus sit; certe et λάρινος et λάριμος longam servabat, atque ex λάριμος ortum λάμιρος eadem ratione est qua Orolon pro Oloro vocabant et Menalippen pro Melanippe atque Ovidius ipse, ut videtur, Met. V 128 Menaleum pro Melaneo. Atque vellem Halieutica ista legisset qui inversae vocabulorum peregrinorum quantitatis ac mensurae exempla circumspecta in christianis maxime poetis latinis observantia conquisivit, L. Muellerum dico de re metr. p. 352 sqq. Nam sicut summa sane licentia poetae utebantur cum modo *Macĕdo* modo *Macêdonia,* modo *Sicelides Îtaliam Apûlia* modo *Sĭculus Ĭtalus Apŭlus* efferrent, scriptor Halieuticorum *chrysophrys* in versu ponere sibi concessit producta syllaba ultima, cum tamen Graecis omnibus dactylus hic pronuntiaretur; quaeque in voce simplici ὀφρύς langa est υ breviari eam in compositis lege sanctum postea ab Herodiano est; at enim quia finitio *ys* apud Latinos prorsus inexpectatum eveniret si extenderetur, satius erit caesurae vim criminari semiternariae, cuius hiatu clausula membri metrici quod antecedit ita excipitur quasi syllaba anceps sit. Quid quod v. 101 *pompilus* dactylus Graecorum scanditur pro bacchio! Atque in hoc quidem exemplo quis non vim agnoscet accentus graeci — accinebant scilicet πομπίλος — qua eadem vi et Βηλίδης pro molosso poetae accipere invitabantur et Λυκουργίδης pro proceleusmatico (Ovidi Ib. 501); falsoque ideo scripsit Muellerus p. 356 inversionem

quantitatum accentu grammatico effectam apud classicos certo comprobari non posse. Tamen vocare in comparationem liceat e. g. quod *Euripidis* paenultimam longam aetas infima habebat dactylumve Ἄβδηρα Marcellus Empiricus. Denique correptionis qualis est *lamiros* exemplum, ne Bīthynos adferam ex Iuvenalis versu ut videtur spurio VII 15 (ibidem v. 205 *Thrasymachi* longa prima) acceptissimum tamen tibi *tyro* illud obveniet iambicum in Ovidi Met. VII 464 simulque hoc quin recte servaverimus evulsa ultima dubitatio erit. Neque omittendum in isto recensu *mormyres* nomen est, quod legitur v. 110, poetis graecis aut μορμύρος dictum, Oppiano in Halieuticis et Marcello et Archestrato, aut μορμύλος in Cynegeticis Oppianeis I 74 (item Dorion apud Athenaeum 313 F), semper ut merus dactylus efferatur, nunquam bacchius; igitur latinum scriptorem huius quoque nominis pronuntiationem ludibrio immutasse percipitur, neque eam tantum sed ipsam flectionem insuper grammaticam: an hoc quoque praestitit graeca παροξυτόνησις? Quapropter ridiculus error est *mormyras* apud Plinium XXXII 152 a recto casu *mormyra* ducentium. Utrum tamen hoc de nomine magis scriptor culpandus sit an consuetudo latina nescio, sicuti *sparulum* in v. 106 quamvis insolenter pro *sparo* positum non tamen suum in usum poeta finxit, Martiale vindice III 60, 6, et quidem *mytulus* certe nomen similiter terminatur quod non graecum sed latinum esse Athenaeus 85 E adseverat; an nihilominus ductum istud a specie aliqua conchae singulari credes, ut Graecorum hoc sit adiectivum μιτύλος in litteris ipsis rarissimum pronuntiatione immutata?

Sed rem agamus. Et primum quidem chromin (Ov. v. 121) aut inmundam esse (*inunda* libri) aut omnino pasci herbis apud reliquos frustra quaesivi; ponere eam Oppianus omnino oblitus est. Salpam vero (Ov. 121) esse *vilissimam* sincerus iudex et testis Archestratus qui eam cecinit εἰς ἀεὶ κακὸν ἰχθὺν (Athen. 321 E), eandem Epicharmus in Ἥβας γάμῳ etiam βδελυχρὰν (Ath. l. l.); atque ἐν λιμνοθαλάτταις degebat Aristotele auctore 598 A 20, vescebatur autem τῷ κόπρῳ καὶ φυκίοις (ibidem 591 A 15); obscaenumque eam esse praeterquam circa Ebusum Plinius acceperat (IX 68). Quod vero in latino carmine uno metro consociantur chromis et salpa, hocine consilium scriptoris est? id nempe iis commune quod acutissimi fere piscium ferebantur auditu (Aristot. 534 A 9). Nam ratione simili factum esse patet quod deinceps inde a v. 124 fragmenti componuntur uno tractu et soleae et passeres et rhombi accedentibus ranis quoque in v. 126: societas enim haec latorum vel planorum piscium est; quibuscum si comparanda graecorum

sunt βούγλωσσα et ψῆττα (Aelianus nescio num latinum auctorem secutus sit cum insolito more passeres redderet στρουθοὺς XIV 3) et ῥόμβος, hos pisces Oppianus inter litora humilia et inter mare lutosum distribuit (I 99 et 105); solearum *candor fulgidus* aliunde mihi non innotuit; facile autem genera ista invicem confundebantur, sicut concolor soleae passer a poeta scribitur: nam Athenis βούγλωσσος atque ψῆττα pro uno eodemque pisce habebantur (Athen. 288 B), similiterque Romani καλοῦσι τὴν ψῆτταν ῥόμβον καί ἔστι τὸ ὄνομα ἑλληνικόν Athen. 330 B. Atque rhombus *mirandus litore* maxime *Adriaco*: idem compertum Plinius habebat deditque principatum rhomborum Ravennatibus IX 169. Iam vero inter ranam et rhombum in editionibus nostri aevi cernuntur haec: *Tunc epodes lati.* At audi M. Hauptium et ipsum quidem ista exhibentem, sed praefantem p. XXI: „unum est in halieuticis quod non putem ab Ovidio scriptum esse; etsi enim non ignoro *tum* et *tunc* particularum usum neque omnino prorsus exploratum esse a grammaticis neque temporum mutataeque consuetudinis observatione satis examinatum ...., illud tamen non possum credere, Ovidium *tunc* dixisse in enumeratione qualis in v. 126 invenitur“. Hoc si intellexit vir egregius, cur sibi noluit obtemperare ut *tum* unice rectum resuscitaret? At videbatur sequi vocalis; videamus igitur qui tandem piscis adportetur: ecce invisus aliquis et inauditus et oblivione oppressus antiquitatis ut videtur universae: epodes lati! Recte fabulatus es, callidissime Plini, posita ab Ovidio animalia esse etiam quae apud neminem alium reperirentur, non nascentia puta nisi ad Tomos ipsos. Nimirum etiam barbarum nomen: neque enim latinum neque graecum est. Et τρίποδες ego et ἄποδες et νέποδες qui dicantur pernovi, ἔπους quomodo quid dici potuerit ignoro. Iam ἔπους non debetur nisi Plini excerptis turpissime ubique fere vitiosis, nisi quod codex ibi Riccardianus rectius *eporas*, item Vaticanus, at Vossianus etiam *aeporas*. *Lepores* sincere scriptum in ipsis poematis manuscriptis est, neque igitur iam *tunc* magis quam *tum* aut Ovidio dare aut sectatori Ovidi cogimur. Nam ipsum *lepores* reciperene vetabimur? anquirendumne aliquid erit tertium quo lectio utraque simul corrigatur? Sed quod unum praesto est *lepades* genus ostrearum memoratum illud etiam in Marcelli piscium catalogo v. 35 et quod l a t u m esse vel ex nomine patellaeque similitudine colligas (conferantur de patellis et alii loci et Athenaei p. 85 F, 88 B, 90 B, 91 E) ne conici quidem istud sobrie agenti hoc loco licet ubi adpositi loco est *lati*, non *latae*. Quid igitur nos? Plini omnino corrigemus farraginem nominum. Nam ne leporem quidem non memorat idem Mar-

cellus v. 28, cum praetermiserit eum Aristoteles, praetermiserit etiam Oppianus. Nudus cochleae instar apud Philen dicitur v. 1865 et apud Aelianum II 45; non deest apud Hesychium; scari et mulli praedam esse Athenaeus docet 355 C et 325 C; diffusius de eo Aelianus locutus est XVI 19, quo capite lecto vel id explicatur cur Apuleio acciderit (vide Apolog. 33) ut leporem marinum nunquam inveniret; pisciculum minusculum esse Apuleius indicat ibidem 40. Atque qui hodie fertur lepus marinus vel lumpus cyclopterus nomen suum a pinnis alvi accepit ad circi vel disci figuram concretis: hoc iure ni fallor latinus poeta etiam l a t o s lepores appellavit. Eosdem lutosi maxime maris incolas praeclare ostendit Aelianus verbis τίκτεται δὲ ἄρα ἐν πηλῷ. Denique inter latos rhombos passeres ranasque latis leporibus locus datus non sine rerum observantia est.

Praecedit autem latorum nomina versus 123 decurtatus hunc in modum:

Et squatenui suffusus sanguine mullus.

M u l l u s πρόςγειος apud Aristotelem ἐν λιμνοθαλάτταις habitat (598 A 10 et 21), in locorum distributione Oppianea sicut nostro loco planis piscibus adseritur humilem gurgitem arenasque occupantibus (I 98 et 130), vesciturque idem herbis ostreis luto (Arist. 591 A 12) porci similis (Oppiani III 439) mollissimus omnium (Colum. VIII 17, 6) victu senex (Martial. X 30, 25). Iam vero s a n g u i n e s u f f u s u s dicitur et quidem t e n u i sanguine: hoc enim quamvis minus expectatum recipere a viris doctis non dubito; atque res quidem notissima: de mullo exspirante proceres gulae apud Senecam Nat. Quaest. III 18, 5 „vide, inquiunt, quomodo exarserit rubor omni acrior minio; vide quas per latera venas agat. ecce s a n g u i n e m putes ventrem. quam lucidum quiddam caeruleumque sub ipso tempore effulsit!“ Ipsa demum morte pallescebat et quidem rubentium squamarum mutatione multiplici (Plini IX 66), unde roseum dicit Oppianus, rubrum vel flavum comoediarum scriptores apud Athenaeum 325 E, puniceum Ausonius Mos. 117, ἀνθεμόεσσαν τρίγλην Marcellus v. 44. Atque ut versus fragmenti mancus compleatur, ipsa re non leviter commendari Aldinam lectionem video a Ciofano laudibus exceptam:

Et squamas tenui suffusus sanguine mullus,

quae commendationem etiam ex sermone accipit, si quidem minus apte piscis ipse quam squamae eius suffusae praedicantur; tamen tolerari ego vel minus apte dictum posse concesserim, atque si

curas librarios quo facilius ad errorem deducti sint, hoc ni fallor praehabebis:

Et squatina et tenui suffusus sanguine mullus.

Rhine enim squatina semper dicitur, semel tantum squatus apud Plinium XXXII 150 neque considerate Ulitius hoc magis nomen quam illud ad nostram corruptelam admovere ausus est. Quid enim? unicus hic Plini locus anne falso scriptus esse potest? squalorum enim generis speciem squatinas esse scis; quidni igitur Plinius: *rhine quem squalum vocamus*? Quid quod Plinius idem IX 162 referens qui pisces pariant circum aequinoctium Aristotelica verba p. 543 B 9 *καὶ σάργος καὶ νάρκη καὶ ῥίνη* tribus nominibus positis et sargorum et torpedinis et squalorum curiose effingit (cf. infra p. 143)? An quis etiam hic supponere squatos paratus erit? Dubitationem tamen movebit laterculus Polemi Silvi in quo effunduntur nomina cunctorum spirantium quae sub Suetonio adponere Reifferscheidio placuit, vide Suet. Relliqu. paginam 259; ibi enim inter natantium nomina squatus exhibetur. Sed unde haec homini affluxerant non nisi ad vilem doctrinam parato? Poterat certe ipsum Plinium adire atque non poterat tantum, sed satis ipsa re invitabatur, quoniam hoc maxime promo et condo notitiarum omnium uti aetas infima solita est neque non ipse Isidorus in Originum libro XII aquatilium nomina contrectans. Inde accepisse conscriptorem credo incognitum reliquis scriptoribus dactylum (cf. infra p. 170) inde hippoe iuxta equos sumpti, inde coluthia (*coluda*), pectunculi pro pectinibus positi, porcus fortasse, arachne et alii, maxime vero quae in principio locantur balaena gladius musculus serra rota orca physeteres (*fisitus*) cucumis pistris deinde equus asinus aries (Plinius scilicet: *arietes musculi et alii piscium forma quadrupedes*) triton elefans — haec omnia inquam ad quae accedunt infra canicula et cornutus et ad primorem partem noni libri Pliniani et ad ipsius tricesimi alterius § 144 egregie adsonant. Tamen etiam aliunde alia nomina constipasse illum in plano positum est, praecipue barbara, sed etiam graeca nonnulla exquisitiora: num *ancoraeus* est anodorcas? num *codea* cordyla? num *pavus* sparus? *vaguris* pagurus? Denique *squatus* iam doctum laterculi apud Plinium falso legisse conici potest. Ut vero ad Ovidiani carminis scriptionem diiudicandam pedem referamus superest ut ad mullorum similiumque societatem squatinam aptam esse doceam: Oppianus igitur I 381 ad cetacea pertinere canes scribit, canum autem tria esse

genera, unum pelagium, reliqua vero duo habitantia locis potius limosis: horum autem duorum alterum esse *γαλεοὺς* vel squalos, ad squalos pertinere squatinam. Qua expositione aliquatenus probatur quidem squatinae in v. 123 restitutio, improbatur in v. 94 lectio Ulitiana *squali* pro eo quod est *quales*.

Iam vero phycis quamvis saxatilis tamen algae se inservire ipso nomine prodit, singularique quo utebatur nidorum struendorum artificio inde ab Aristotele tam insignis esse pergebat ut nomen ipsum adponere poeta v. 122 plane supersederet (cf. Haupti praef. p. XXI). Item asellum (Ov. 134) limosam maxime stationem amare Oppianus consentit fere I v. 101. Squilla vel caris (Ov. 132) apud Oppianum magis saxa incolit I 262 quippe ad astacos locustasque pertinens (I 281), porro lolliginem (Ov. 131) pelagiam Aristoteles scripsit 524 A 32. Sues (Ov. 132) arenas amare nescimus nisi quod a nonnullis vocari suem *ψαμμῖτιν ὀρυκτὴν* egregie Archestratus suppedidat apud Athen. 326 F. Denique gobium (Ov. 130) aut saxa arenasque amare aut solam arenam cum scribat Oppianus I 176, II 458, accuratius scholiasta ad Nicandri Alex. v. 390 gobios adnotat esse inter aquatilia quae apud Nicandrum *πετρήεντος ὑπὸ ῥόχθοισι θαλάσσης κνώδαλα φυκίοντας ἀεὶ περιβόσκεται ἀγμούς*. Quid vero poeta noster? non portentosum *κνώδαλον*, sed placidum animal sibi finxit, qui de gobione haec: *et spina nocuus non gobius ulla*! Mire o bone loqueris, ut memoriae tradas quae non habeat animal: addere poteras neque gladio eum nocere ut xiphian neque morsu puta neque oris veneno neque rebus pluribus: poteras spina etiam alios pisces plurimos carere dicere. Sed aliter sodalis tuus graecus qui II 458 sq. morsu quidem uti polypum sepiamque, aculeis vero et gobionem et scorpionem eisdemque hirundines dracones canesque docet, omnes eos ut punctionibus letalibus venenum mittant: *πάντες ἀταρτηροῖς ὑπὸ νύγμασιν ἰὸν ἱέντες*; atque scholiasta scorpiones gobionesque ad locum scribit eosdem esse quos *κεντρίνους* in luto degere Oppianus memoraverat I 378. Paullo aliter Aelianus II 50: *ὑπονύξαντες ἰὸν ἀφιᾶσιν ἰχθύων κωβιὸς καὶ δράκων καὶ χελιδών, οὐ μὴν ἐς θάνατον· ἡ τρυγὼν δὲ ἀποκτείνει παραχρῆμα τῷ κέντρῳ*, nisi forte vocis quae apud Oppianum est *ἀταρτηροῖς* syllabam primam vim quod vix credas negativam habere poeta voluerat. Iam latinus poeta pro aculeo spinam quippe in versu ponere insolentius ausus est. Potest tamen conferri quod de araneo Plinius IX 155: *aeque pestiferum animal araneus spinae in dorso aculeo noxius*; ita ut etiam fragmento illi Epicharmi apud Athe-

naeum 309 D, ubi neque *καὶ χάλανδροι* ferri potest neque vero *καὶ χάλαδροι,* simile inferre temptaverim: *τρυγόνες τ' ὀπισθόκεντροι καὶσχράκανθοι κωβιοί.* *Ulla* in fine metri latinus poeta non posuit. Atque litterae traditae hanc potius scriptionem et sensui et oculis conciliabunt:

Lubricus, et spina nocuus non gobius ulta

qua etiam magis portentum istud lector expavescere debeat. De usu participii *non ultus* quasi sit *inultus* (cf. Hal. v. 26) passivi deliberantem misisse ad Heroid. VIII 120 sufficiet aut ad Heinsi de versu Met. VII 3 iudicium. *Lubricus* quae vox in capite metri cernitur ad piscem pertinebat qui versuum hiatu intercidit.

Atque ad gobionem aculeo mittentem virus iam lolliginem virus nigrum portantem in corpore scriptor adserit, sicut ad sepiam polypumque venenosos venenosum gobionem Oppianus. Nota enim lolliginem positam neglegentius esse, ponique sepiam debuisse (velut Hesychius quoque explicat *τευθίδες· σηπίαι*), nam sepiae quidem seu viri sive sanguinis mavis color niger est cuius rei testes advocare taedet, contra lolliginis subrubere videbatur Oppiano teste III 167: an in errorem Oppianum Aristoteles abduxerat qui ipsum potius animal subrubere scripsit (Athen. 326 C)? sed nescio num hoc loco rescribendum sit: *τὸ δὲ χρῶμά ἐστιν ὑπέρυθρος ὁ θολός* sicut eodem loco ad *τευθίς* nomen scriptum est: *ἔχει δὲ καὶ θολὸν ἐν τῇ μύτιδι οὐ μέλανα ἀλλ' ὠχρόν.*

Asellus nomine suo tam deformi non dignus esse poetae visus est; nempe post acipenserem praecipuam apud Romanos praeter lupos auctoritatem asellis fuisse et Cornelius Nepos et Laberius poeta tradidere (Plin. IX 61); atque hac fortasse observatione invitatus ad asellum in v. 134 acipenserem ipsum poeta adiunxit. Sues esse duros aliunde compertum non habeo. Caris sinuata vel sinuosa sollemni ornamento memoratur; ita *καμπύλαν* Araros poeta apud Athen. 105 E (86 D) et Anaxandrides ibid. 106 A et Epicharmus 106 E dixerunt, *κυρτὴν* Ophelion bis 106 A; atque quia omnibus squilla talis visa est, ad *νύμφην* illam deferor quam inter *μαλακόστρακα* Speusippus *ἐν δευτέρῳ Ὁμοίων* exhibebat: nam in similium enumeratione hac (Athen. 105 B) *κόρακον ἀστακὸν νύμφην ἄρκτον καρκίνον πάγουρον* quia similium animalium nullum desideratur praeter carabum et squillam, patet quidem id quod non primus video pro *κόρακον* reponendum esse *κάραβον,* squillam autem latere suspicor sub *νύμφη* nomine quandoquidem feminae puellaeve sinuosae sinuosa bestiola similis videri facile potuerat.

Atque communia poetis duobus non pauca minutiora vidisti; finem hac similitudine faciam quamvis non debeatur nisi coniecturae. Nam de ranis Ovidius v. 125:

Tum lepores lati, tum molles tergore ranae
Extremi paseuc

Ceterum ruinam hexameter traxit. Nos turbata vox *paseuc* quid significare potuerit cogitemus; pascendi quidem verbi forma aut metro aut sensui nulla accomodabitur; aliud sermo et aptius vix praestabit; expertus vero disiectas litteras ita colliges, ut nanciscaris *aspectu*. Iam copula deficiente novum piscis nomen non probabilius induces quam aliquod de ipsis ranis praedicatum. Quidnam igitur in ranis extremi, et quidem quod notari aspectu possit? Dificillima res: quaerendum est enim genitivus ille molestissimus unde pependerit. Sin autem Oppianum inspexeris qui scripsit II 86:

Βάτραχος αὖ νωθὴς μὲν ὁμῶς καὶ μαλθακὸς ἰχθύς,
αἴσχιστος δ' ἰδέειν· στόμα δ' οἴγεται εὐρὺ μάλιστα,

vereor ne tibi ita fere Ovidium complevisse versum persuadeas:

tum molles tergore ranae,
Extremi aspectu taeter quibus oris hiatus.

Id autem haud scio num *τὸν βῶκα* apud Oppianum I 110 scholiasta ranam esse recte dixerit degentem quidem illum una cum maena et smaride *ὑπὸ χλοεραῖς βοτάνῃσι*. Molles tergore dicuntur ni fallor quia pars ranae posterior et ipsa cauda valde carnosa esse (Arist. 695 B 14) maiorque corporis amplitudo superioris (Arist. 696 A 27) credebatur.

Vidimus Germanorum quidem piissimo cantore invito quae contecta et concelata inaccessi gurgitis tenebris deorum propitiorum iussu delitescebant. Clauditur profundum. Terram premimus. Circumspiciamus quamvis delassati spirituque anhelo ut ne in undas proiciamur iterum num quem fructum huius urinationis et quasi ipsum quem vates ille dixit cyathum aureum invenerimus. At enim scopulis ego in imo haerentem desperans reliqui neque eius nisi imaginem conspexi ambiguam et nimis diffluentem.

Propria Ovidium habere, propria etiam Oppianum animadvertisti, simul tamen similitudines inter utrumque intercedere tales et tam crebras ut casum in iis valere non credas. Credes Halieutica aliqua antiquiora obversata animis utriusque esse, quae non interpretatione, sed imitatione secuti sint. Sed primo loco sollertiarum piscium uno consilio scriptarum narratiunculas ita conformatas utrobique vidisti, ut eos prosae potius orationis fabulatorem quasi

rivum fontemque uberrimum pariter adiisse iudicares. Itaque in carminis exemplo has quidem non invenerant; unde igitur orta consilii ipsius consensio? Tertium non video sed aut ad fortis fortunae auxilium explicatio recurret aut statuetur, quod statui sane non improbabiliter poterit, ipsum Ovidi clarissimi halieuticon fragmentum et notum Oppiano et ad manum fuisse atque ut rem ampliorem exhiberet Ovidi exemplo incitatum Chrysippea scripta doctissimo cuique ad viam iacentia ipsum quoque evolvisse, eaque quatenus placebat excerpsisse, et Ovidiana et quae residua Ovidius reliquerat. Quae coniectura si obtinebit — neque ego alteram video —, similitudines Oppiani etiam reliquas eadem ratione ex Ovidi explicandas lectione esse hunc et illum contendere audio: divisionem locorum ipsamque piscium distributionem in latino exemplo cum viderit, novas Oppianum plenioresque rerum copias anquisivisse, simul pro prava illius neglegentia aptam curam ac diligentiam impendisse, in rebus nonnullis fortasse sed parvulis etiam expressisse latina, certe versus Oppiani I 93 sq. interpretationem esse versuum Ovidi 92 sq. Quam ego coniecturam neque quo plane falsam esse demonstrem habeo, neque tamen talem existumo cui animum subtrahere omnino non possis. Primum enim quis fragmentum hoc mutilatum nimisque difficile ad legendum sibi sequendum proposuisse Oppianum magis credat quam graeca carmina rem eandem et planius et plenius tractantia? Deinde rem non ita Oppianus aut gessit aut digessit ut duci dum scribit ab Ovidio vel respicere Ovidium videretur; immo communia in dissidentibus non nisi casu quodam dispersa cernuntur. Tum vero explicare cupimus id quoque quid tandem ad sua qualiacunque componenda ac disponenda ipsum latinum poetam impulerit; hic enim inventionis quo usque inops fuerit, ipsa primore carminis parte doceri poteras.

Neque scilicet halieutica non legebantur ante Ovidium falsum graece scripta atque his ipsis consilium scribendi latini carminis num natum fuerit deliberare non potes. Examinato carmine ex vera piscandi arte sumpta videbuntur quae exstant post v. 82 et ante v. 92: non vastum pelagum piscatori temptandum esse, sed premenda litora, deinde curandas esse piscium stationes, cum pro natura sua alius alia et sectetur et refugiat. Ubi vero discribere stationes adgrediendum erat inde a v. 92 fatigatus remissusque hinc inde nomina parum inter se convenientia scriptor coniecit atque adeo ipsos alti pelagi incolas, quos piscatori curae non esse v. 83 professus erat; simul vero hoc illud etiam ex prosae orationis adsper-

sisse auctoribus putabitur. Neque his veri species derogabitur eo quod exemplum graecum quid fuerit plane ostendere temporum iniuria non concessit. Poetas enim quidem Halieuticorum graecos novimus quinque, carminum ipsorum unum tantum, neque adeo eius nisi coniectariam imaginem.

Atque Archestrati luxonum et opsophagorum Hesiodi *χρύσεα ἔπη* minus curo, quae *γαστρονομία* vel *δειπνολογία* ad piscationis artem non attinet nisi quod alios fortasse talem ut substruerent invitavit. Ennius autem poeta cum metropoli illa Epicureae doctrinae quam Chrysippus dicebat ditare imperium Romanum constituisset, Saturarum suarum partem Heduphagetica fecisse et cum libri saturarum aut quattuor fuissent aut sex aut etiam plures unum librum plenum iis concessisse facilius ego mihi persuasi quam quod idem de Scipione Vahlenus statuit; nam prorsus similiter et Varro Menippeus inter satiras suas unam esse voluit *περὶ ἐδεσμάτων* et Horatius Cati pandit doctrinam Serm. II 3. Submoneo autem ut his in rebus qua libertate uti Romani graecis exemplis potuerint intellegatur, ne Ennium quidem edere Archestratum latinis verbis integrum satis habuisse, sed fuisse ubi rem immutaret: nam fragmenti Enniani (Apulei Apol. 39) undecim metra continentis quamquam res multae in Archestrati quoque fragmentis (Athen. p. 92 D et 318 F) leguntur, tamen helopem piscem Archestratus quidem docuerat clarum haberi Syracusis (Athen. 300 E), contra Ennius v. 4: *Surrenti helopem fac emas, apud Cumas glaucum.* Item apriculum Archestratus captum Ambraciae emendum dixit *κἂν ἰσόχρυσος ᾖ* (Athen. 305 E), Tarentinum Ennius; item scarum Chalcedone Byzantii Ephesi (Athen. 320 B et A) alter, alter *Nestoris ad patriam.* Duorum autem oppidorum confusionem accidisse Ennio in hac versuum strage crediderim:

Omnibus ut Clypea praestat mustela marina
Mures sunt Aeni aspera ostrea plurima Abydi,
Mytilenae est pecten caradrumque apud umbracie fines,
Brundisii sargus bonus est: hunc magnus si erit, sume.

Quibus cum graeca respondeant haec (Athen. 92 D):

τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος,
τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη·
πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει καὶ πλῶτα μετ' αὐτῶν

(ita enim dubitanter scripsi, est enim *πλώς* piscis alio nomine dictus *κεστρεύς*; mugilem autem in Archestrato simul lego optimum captum

Aeginae Athen. 307D) cum traiectione verborum omni modo opus sit neque *Charadra* nomine oppidi Epirotarum, quod sane quam eleganter ex *caradrumque* Vahlenus eruit (tamen maritimum fuisse Polybius XXII. 9 testis non est), versus fractus omnino erigi possit, haec potius mihi reponenda visa sunt:

Omnibu sub Clupea praestat mustela marina;
Mures sunt Aeni praes, ostrea plurima Abydi,
Arcti apud Ambraciae fines; Mitylenae est pecten,
Brundisii sargus bonus: hunc magnus si erit sume.

Ceterum frustra ingenium exercuerunt doctissimi viri ex desperatis illis *melanurum turdum merulamque umbramque marinam* recti aliquam metri formam ut excuterent, cum tamen hos plures versus esse in brevius contractos arguerent omissa locorum, quibus pisces nobiles haberentur, indicia.

Iam vero ut quam brevissime componamus graecos in re piscatoria qui elaboraverint praeter Archestratum scriptores haec in primo libro Deipnosophistarum enotavisse Athenaeum invenimus p. 13B: *οὕτω καὶ ταύτην τὴν τέχνην (τὴν ἁλιευτικὴν) ἀκριβοῖ μᾶλλον τῶν τοιαῦτα προηγουμένως ἐκδεδωκότων ποιήματα ἢ συγγράμματα, Καικίλιον λέγω τὸν Ἀργεῖον καὶ Νουμήνιον τὸν Ἡρακλεώτην, Παγκράτην τὸν Ἀρκάδα, Ποσιδώνιον τὸν Κορίνθιον καὶ τὸν ὀλίγῳ πρὸ ἡμῶν γενόμενον Ὀππιανὸν τὸν Κίλικα. τοσούτοις γὰρ ἐνετύχομεν ἐποποιοῖς ἁλιευτικὰ γεγραφόσι, καταλογάδην δὲ τῷ Σελεύκου τοῦ Ταρσέως καὶ Λεωνίδου τοῦ Βυζαντίου.* In quibus id statim agnoscetur poetarum certe positam seriem esse ad ordinem temporum; Numenium vero Heracleotam ante Nicandrum vixisse Meinekius occupavit (Exerc. phil. I p. 2 sq.; Anal. crit. ad. Athen. p. 6 sq.); Nicandrum enim in Theriacis Numeni Theriaca ter imitantem scholia produnt ad v. 637 et 519 et 237 (apte corriges: *ὑπόχλωρον τὸ μὲν ἕλκος κυκλαίνει, τὸ δὲ πολλὸν ἀνέδραμεν αὐτόθεν οἶδος*) et ad 257, ubi ad Nicandrea *ἄνθεσιν εἴσατο χαλκοῦ* adnotatur: *γράφεται δὲ καὶ ἄνθεσι κάλχης· οὕτως καὶ παρὰ Νουμηνίῳ·*

(το)τὲ μὲν (χροιῇ) εἴδετ' ἐπ' ἰχῶρ
ἠερόεις, τοτὲ δ' αὖ μολίβῳ ἐναλίγκιον εἶδος
ἀμφὶ ἐκύδαινεν, κάλχῃ ἴσον.

ἔστι δὲ κάλχη ἄνθος. In quibus *εἶδος* accusativus est; non bene autem de hoc loco Meinekius. Iam vero scriptorem Halieuticorum quippe Dieuchis medici discipulum (Athen. p. 5A) non alium atque Theriacorum esse simul dixit Meinekius, beneque congruit cum

tempore indicato ipsius Dieuchis aetas notata fere a Galeno Comm. in Hippocr. de nat. hom. XV p. 136 Kühn. Itaque etiam vetustior aetate Nicandri alter ille poeta fuerit necesse est qui in recensu audit *Καικίλιος* (vel potius *Καίκλιος*) ὁ *Ἀργεῖος*, in coniectura eleganti Meinekiana *Καίκαλος* vel *Κίκαλος*. At vero in nominum litterarumque ordine apud Suidam Eudocia concinente *Κικίλιος* ponitur ὁ *Ἀργεῖος*; quodsi facillimum lectionis statuimus errorem coniungimusque *Λ* et *Ι*, *Κικῖνος* evadet ὁ *Ἀργεῖος*, quod nomen ex Corp. inscr. gr. II 3173, 27 (anne *Διονύσιος Κικίνου*?) innotuit velut *Κίκιος* Epidaurius ex Suida s. v. *Κλεομήδης*. Qualia vero vel Cicali vel Cicini ἔπη fuerint nullo vestigio antiquitas relicto evestigari prohibuit. Numeniani contra carminis imago e fragmentis hinc illinc coniectis quasi tessellis tessellaria satis dilucida erit. Et primum quidem sollertiarum, quibus periculum pisces effugere soleant, exempla Numenium protulisse non videmus, videmus piscium nomina enumerantem, ea tamen non stationum variarum sicut in Ovidio, sed ipsorum captandi artificiorum ratione habita. Igitur proficisci inde solebat ut escam aliquam anquirendam praeparandamque doceret: ita apud Athen. 305 A „memento inquit etiam eius escae quam in summo litore invenies, iulorum cicadarumque" (fr. I); antecesserat igitur verbis his etiam alius escae mentio qualis est e. g. Athen. 306 C:

> *Τοῖσί κεν ἄρμενα πάντα. παροπλίσσαιο δὲ βρῶμα*
> (? *μῦρα* libri)
> *Κούρυλον ἢ πηρῖνα ἢ εἰναλίην ἔρπιλλαν* (fr. II);

nam *παροπλίζειν* sive genus verbi medium mavis cum hoc loco solitam notionem habere suam non possit, *simul parare cibum* interpretaberis, dictum sicut *ὁπλίζειν δαῖτα* vel *δεῖπνον*. Atque escam esse etiam plures pisciculos voluit; scripsit enim (fr. III):

> *ἡβαιῇ καρῖδι καί, εἴ ποτε βεμβράδι, κείνῃ*
> *ζωῇ ἐπαγρώσσοιο· τὰ δὲ σκέψαιο δέλετρα* (Ath. 287 C);

refert scilicet vivere bembrada quam capias ut pro esca sit; neque enim nisi spirantem piscium plerique tangent. In quibus adiectivum *ἠβαιῇ* sine negatione positum ita est velut apud Oppianum Hal. IV 514. Atque ad escas pertinuisse etiam nomina illa videbuntur herbarum *φύλλων δ' ὅσσ' ἄσπαρτα κτλ.* apud Athen. 371 B (fr. IV), cf. e. g. Aeliani XII 42; ultimi autem hexametri *ῥάφιν τ' ἔμπεδον καὶ καυλίδα τ' ἀγροιῶτιν* cum pes tertius supplementum omne respuat duo fortasse haec metra sunt in unum contracta. Iam non antea Numenius ipsam piscationem aggressus est quam docuit

quo remedio etiam iulides scolopendraeque averterentur perniciosae piscanti et molestae admodum (fr. V):

Κεῖνο δὲ δὴ σκέπτοιο, τό κεν καὶ ἰουλίδα μάργον
Πολλὸν ἀποτρωπῷτο καὶ ἰοβόλον σκολόπενδραν,

(Athen. 304 F); odiosam enim hanc istarum bestiolarum naturam esse ut Schweighaeuserus respexit, ita neglexit Meinekius (Exercit. phil. II p. 15. Anal. crit. p. 139) cum *ἀποτρωπᾶσθαι* illud idem esse atque *ex lustris* longe *educere* iuberet. Tu *ἀποπτοιοῖτο* scriberes nisi in sententiis illis iudaicis falso Phocylideis v. 133 ipsum *ἀποτρωπᾶσθαι* vidisses sensu eodem ex codicum lectionibus probabiliter a Bergkio restitutum. Iam vero in carmine Numeni generi artificiorum piscatoriorum escarumque uni cuique suorum piscium enumeratio subnectebatur, indeque enumerationis seriem plus unam fuisse apparet. Quarum una his incepit verbis:

(VI) *Τοῖσί κε θηρήσαιο φαγεῖν λελιημένος ἰχθύν*
ἠὲ μέγαν συνόδοντα ἢ ἀρνευτὴν ἵππουρον
ἠὲ φάγρον λοφίην ὁτὲ δ' ἀγρόμενον σκιαδῆα. (Athen. 322 F. B. 304 D);

alia ita inducebatur:

(VII) *Τοῖσί κεν εὐμαρέως θαλάμης ἄπο μακρὸν ἀείροις*
σκόρπιον ἢ ὀρφὸν περιτρηχέα· τῶν γὰρ ἐπ' ἄκρης...
(Athen. 315 B)

quo de loco nimis ingenio suo praeter alios Meinekius indulsit qui edidit *τῶν γὰρ ἐρᾷ κρῆς* [*ἐσθιέμεν*] quasi non *περιτρηχέα* simul illud ad scorpionem pertinens explicare velle poeta potuerit, hunc in modum:

τῶν γὰρ ἐπ' ἄκρης
οὔρης τὲ κεφαλῆς τε φοβήματα κεῖται ἀκάνθων.

Ipsa autem nomina plerumque disiunctivis particulis subiungebantur, interdum coniunctivis, fuit fortasse etiam ubi perinde atque in latinis halieuticis particula omnino omitteretur. Huc igitur trahenda fragmenta (vitiosa quaedam emendare pergemus):

(VIII) *ἢ χρόμιν ἢ κάλλιχθυν ἢ ὕκην, ἄλλοτε δ' ὀρφόν*
ἢ γλαῦκον περόωντα κατὰ μνία σιγαλόεντα (295 B cf. 328 A)

(IX) *ἢ λευκὴν συνόδοντα βόηκάς τε τρικκούς τε* (286 F cf. 322 B)

(X) ἢ σκάρον ἢ κῶθον τροφίην καὶ ἀναιδέα λίην
χάννους τ' ἐγχέλυάς τε καὶ ἐννυχίην πύτινον
ἢ μύας ἢ ἵππους ἠὲ γλαυκὴν κορύδυλιν (304 E, cf. 327 F, 306 C, 309 C)

(XI) ἄλλοτε καρχαρίην ὁτὲ δὲ ῥόθιον ψαμαθῖδα (306 B, 327 A)

(XII) ῥηϊδίως ἕλκοιο καὶ αἰολίην κορακῖνον (308 E)

(XIII) κανθαρίδα προφανεῖσαν ὕαινάν τε τρίγλην τε (326 F)

(XIV) ἢ ψόρον ἢ σάλπας ἢ αἰγιαλῆα δράκοντα (313 E)

(XV) ἄλλοτ' ἐρυθρὸν
κόκκυγ' ἢ ὀλίγας πεμφηρίδας, ἄλλοτε σαῦρον (309 F).

At vero in alia certe serie positum hoc fragmentum fuerat:

(XVI) ἢ σπάρον ἢ ὕκας ἀγεληΐδας ἢ ἐπὶ φάγρον
πέτρῃ ἀλωόμενον (an ἢ ἐπὶ πέτρῃ φάγρον ἀλωόμενον? 327 B cf. 320 D);

nam ὕκη iam in fr. VIII legitur neque bis in eadem serie habere locum poterat, quod idem valet de phagro qui legebatur iam in fr. VI. Ideo et hoc fragmentum

(XVII) γλαύκους ἢ ὀρφῶν ἔναλον γένος ἠὲ μελάγχρων
κόσσυφον ἢ κίχλας ἁλιειδέας, ἄλλοτε δ' ἄλλῃ
σαργὸν ἐπικέλσοντα λινοπληγέστατον ἰχθύν (305 C, 321 B; cf. 315 B)

et alterum hoc

(XVIII) ἄλλοτε δ' αὖ πέρκας ὅτε δὲ στροφάδας παρὰ πέτρην
φυκίδας ἀλφηστήν τε καὶ ἐν χροιῇσιν ἐρυθρὸν
σκορπίον ἢ πέρκαισι καθηγητὴν μέλανουρον (319 B, 320 E cf. 313 D. 282 A)

haec inquam separata utrumque a fr. VII legebantur et propter orphorum et propter scorpionum mentionem; neque cum fr. VIII una legi fr. XVII propter eandem mentionem orphorum poterat. Sed tamen ne semper Numenium aridum hunc stilum exercuisse credas, ad aliud genus pisciculorum capiendum vividiore colore procedebat:

(XIX) σὺ δ' ἂν καὶ χαλκίδ' ἐκείνῃ
αὔτως ἀμπείραις ὀλίγην καὶ μαινίδα (328 D);

itaque a fuscinae arte qua pisces magni figuntur ad vasta retia parvulis aptiora ita traducit lectorem ut „frustra inquiat fuscina (ἐκείνῃ sc. τῇ τριαίνῃ) tu et chalcin transfixeris minutam et maenam", quo loco ad capturae genera dispositum carmen revera

fuisse nullus firmior testis est. Superest fragmentum unum et id quidem corruptorum corruptissimum; at coniecturam tibi ostendam insperatam quae, ubi obtigit mihi, ipsius si quam vocaverat Numenius aquaticae Musae si minus verba at ingenuum saltem susurrum ad aures sedere meas arbitratus sum, indeque etiam liberius in carmine poetam incessisse neque omni indiguisse volatu colligo. Nam cum Athenaei librarii 326 A hunc versum Numenio adscripserint:

(XX) *ἀκονίας κιγκάλους τε καὶ ἀλλοπίην τράχουρον,*

nomen sanum nullum legitur praeter *τράχουρον*. De reliquis suspiciones priorum iterare minus placet nisi quod ex *κιγκάλους* Schweighaeuserum rectissime excitasse *κίγκλους* ipsius metri clamat indoles. Ultimus Meinekius ita versum conclusit: *καὶ ἐλλοπίην τρήχουρον*, quasi nomen *ἐλλοπίην* sit ullum et quasi *τράχουσον* haberi pro adiectivo facile potuerit. Iam ut de incertis certa consulamus, *κίγκλος* piscisne revera fuit? minime vero. Avem video eamque maritimam. Itaque ad hoc dum attendo, iam scripturae incuriosae ruinas sarcire ita propero:

ἀλκύονας κίγκλους τε καὶ ἀπλοΐῃ τρήχουρον
ἁρπάζοντας ὁρῶμεν.

Viciniora haec fuisse prooemio videantur. Etiam cymbam poeta piscatori struendam esse docebat. Provocabat ad aves. Sunt enim aves quoque quae piscentur, atque illae rapinam rapere certam vel sine navigio (*καὶ ἀπλοΐῃ*) callent, quibus datum est fidere alis ac proicere se repentino in aequoris fluctus e nubibus praecipicio: nos vero homines atque Daedalea adeo arte male carentes naviculam, qua adire victum vilem possimus, labore parandam duro habemus. Quibus receptis num perspicies cur non potius *τραχούρους* quam *τράχουρον* dare scriptor debuerit?

Haec de Numenio; quem Halieuticorum posteriorum exemplum non fuisse facile intellegitur; tamen nomina eum et enumerasse et propriis adiectivis ornasse memorabile est. Similiter etiam Pancrates qui sequitur Arcadius in Operibus maritimis egit, id quod docent fragmenta apud Athenaeum tria quorum primum esto 321 F:

σάλπαι τ' ἰσομήκεες ἰχθῦς
ἅς τε βόας πορκῆες ἁλίζωοι καλέουσιν
οὕνεκα γαστέρι φῦκος ἀεὶ ἀλέουσιν ὀδοῦσιν.

boves hoc loco ad piscatorum sermonem pro scaris vocari tertio versu docemur: itaque quoniam scarum et salpam herbosae arenae utrumque amatorem Pancrates sicut Ovidius coniunxit, num forte ipsa

locorum natura apud eum divisionis principium fuerat? Ideo nominativum, non accusativum posuisse videatur cuius verbum fuerit *τέρπονται* (supra p. 106) vel simile. Cui suspicioni accusativus in altero loco minime obest quo iterum rariora nomina poeta curat apud piscatores maxime valentia: ita Athenaeus 305 C: *Παγκράτης δ' ὁ Ἀρκὰς ἐν Ἔργοις Θαλαττίοις τὴν κίχλην πολλοῖς ὀνόμασί φησι καλεῖσθαι*

οἷ' ἤ δὴ κίχλην οἰνώδεα τὴν καλαμῆες
σαῦρον κικλήσκουσι καὶ αἰολίην ὀρφίσκον
πιότατον κεφαλῇ;

nam *κίχλην* plane pendebat a *καλεῖν* verbo reposuique *οἷα* quoniam neque *οἷς ἤδη* librorum habet quo explicetur neque Bergki *οἷσ' ἤδη* ad argumentum aptum est. Fuit autem ubi scriptor enumerandi munere relicto etiam ad fabulas dicendas evagaretur: nam ubi in pompili incidit mentionem verbis (283 A):

πομπίλος ὃν καλέουσιν ἁλίπλοοι ἱερὸν ἰχθύν,

sacrum revera piscem esse Epopei maxime fato firmabat quippe qui cum cepisset edissetque pompilum male periisset addebatque his similia: quae tamen ab eo scripta non sunt ut naturas animalium panderet ad similitudinem Oppiani, sed postquam plurimos pisces capi iussit iam hunc unum esse qui non caperetur argumentis idoneis muniebat.

Quod reliquum est silentium est. Neque enim de Posidonio Corinthio quidquam constat nisi aliquanto propius eum quam reliquos eiusdem argumenti poetas ab Oppiani aetate abfuisse. Accedunt apud Athenaeum qui de piscibus *καταλογάδην* et quidem oratione prosa scripserint Seleucus Tarsensis et Leonidas Byzantius. Atque Leonidam una cum patre suo Metrodoro Byzantio *τῶν ἐν ὑδροθηρίαις δεινῶν* esse Aelianus tradidit in librorum de animalibus epilogo, sumpsitque ex eo res non tam doctas quam iucundas de delphine II 6, de pastinaca nociva II 50, de mira ignoti cuiusdam piscis natura III 18; sed etiam de escis praecepta XII 42. Athenaei auctores non magis Leonidam quam Posidonium aut Oppianum excerpserunt; Seleucum semel (Athen. 320 A), unde cognoscimus docuisse eum *ἐν τῷ ἁλιευτικῷ* scarum esse insomnem; praeclare enim *οὐ καθεύδειν* pro inepto *καθεύδειν* Casaubonus. Accedit ad hos apud Suidam s. v. *Κικίλιος* Agathocles Atracius ceteroquin incognitus; quod autem Seleucum praeter Tarsensem Suidas etiam Emisenum s. v. *Σέλευκος* exhibet neque eum halieutici libri unius et soluto sermone scripti auctorem,

sed cuius sint *ἀσπαλιευτικὰ δι' ἐπῶν βιβλία δ' καὶ Παρθικὰ β'*, Seleucos hos non duos sed unum esse celerius diceres, quamquam ut idem de eadem re et poeticum et pedestre opus conderet accidere sane poterat. Quem, quippe ab Homerico diversum, quod Mauritius Schmidtius in Philologi tom. III ubi de Seleucis egit Seleucum grammaticum Tiberi imperatoris convictorem graeculum esse coniectavit (p. 443; cf. Sueton. Tib. 56), fidem tali coniecturae neque prorsus habere neque vero derogare ausim. Si stabit, habes iam ecce maritimi argumenti tractatorem falso Ovidio statim qui antecesserit. Et quidem quattuor non minus libros iste complerat ut iam Oppianeum opus non nimis inexpectatum succederet. Quod vero etiam *Παρθικὰ* scripsisse Seleucus fertur, alteram operis inscriptionem nescio num ex varia Suidae lectione *παρθενικὰ* extricare liceat, quippe *παρθονικικά*, quamvis Lucianus rideat (cf. Luciani de scrib. histor. 32).

Atque his omnibus si nihil aliud, id tamen abunde evicimus, non suam Ovidi simulatorem quod Plinius somniavit sed aliorum doctrinam suis comprehendisse versibus.

IX.

Iam vero ad Plinium animum dirigamus. Et quidem ad nonum librum componendum nondum consuluisse Plinium Ovidianum poema, sed ad librum demum tricesimum alterum adeo planum est et ex ratione qua hic inducitur et inde quod ne inter auctores quidem libri noni positus est, ut instituendae noni libri cum poemate comparationi chartam concedere nolimus; si quis tamen dubitet, adeat quae de hac re composuit Zingerle l. l. p. 114 sqq. Planum simul est ne Chrysippea quidem Plinium lectitasse. Neque philosophus in auctorum eius indicibus locum accepit. Omittitur autem a Plinio Halieutica ubi excerpit (XXXII 12) polypus qui mutet colorem (Hal. 33); quam rem tritissimam non ex istis hauriri fontibus necesse fuit, neque ideo in nono libro ab eo non posita est § 37; nimirum et Plinius et Chrysippus secuti sunt Aristotelem p. 622 A 10 (*ex quo pleraque* dicit Cicero § 125); atque quod apud Aristotelem est *φοβηθεὶς* Plinius reddidit *in metu*, poeta sicuti nos coniecimus *pressus*; at verba *οἷς ἂν πλησιάζῃ λίθοις* unus poeta repetiit: *ei quem contigit* (*loco*). Eadem de causa ab excerpto illo sepia abest quae iam exhibita erat IX 84. Per finem libri noni mirabilia nonnulla Plinius scripsit non dissimiliter Chrysippeis conformata, in iisque memorabile est

Chrysippeam de anthia fabulam comparere § 182 redundantibus pauculis verbis: *eo qui teneatur extendente ut praecidi possit;* sed quod sequitur, sargum si hamo teneatur lineam terere ad scopulos — qua de causa Numenius poeta in fr. XVII eum vocavit *ἄλλοτε ἄλλῃ ἐπικέλσοντα λινοπληγέστατον ἰχθύν* — ignota reliquis haec res videtur; item de stella marina § 183, cum prorsus diversa Oppianus habeat II 182, ad verbum usque consentit Aristoteles p. 548 A 7 (cf. 681 B 9); item dactyli § 184 ignoti fere, neque hic fons Aristotelicus videtur quod idem de unguibus valet § 101; cf. Athen. p. 90 D. Contra Aristotelica rursus video quae de inimicitiis piscium sunt; eadem autem Oppianus exhibet II 253 sqq. Nam Aristoteles haec p. 610 B 10: *λάβραξ δὲ καὶ κεστρεὺς πολεμιώτατοι ὄντες κατ' ἐνίους καιροὺς συναγελάζονται ἀλλήλοις... ζῶσι δὲ πολλάκις ἀφῃρημένοι οἱ κεστρεῖς τὸν κέρκον καὶ οἱ γόγγροι μέχρι τῆς ἐξόδου τῆς περιττώσεως· ἀπεσθίεται δ' ὁ μὲν κεστρεὺς ὑπὸ λάβρακος, ὁ δὲ γόγγρος ὑπὸ μυραίνης*; Plinius haec: *Mugil et lupus mutuo odio flagrant, conger et murena caudam inter se praerodentes.* In graeca sicut traditur sententia ne suspicari quidem licet cur praerodi cauda etiam congris dicatur: sententiam mancam Plinio duce expleamus: *λάβραξ δὲ καὶ κεστρεὺς.... συναγελάζονται ἀλλήλοις ὥςπερ καὶ γόγγρος καὶ μύραινα· συναγελάζονται γὰρ πολλάκις οὐ μόνον τὰ ὁμόγηνα* eqs. Neque vero Plini mehercule rectior sententia aut minus erigenda est, hunc in modum: *Mugil et lupus, conger et murena mutuo odio flagrant, caudam* eqs.· Quae sequuntur apud Plinium: *polypum in tantum locusta pavet ut si iuxta videat omnino moriatur; locustam conger; rursus polypum congri lacerant,* leguntur quidem haec apud Aristotelem, sed alibi p. 590 B 12 sqq., ita ut hic primum conflari videamus duos Aristotelis locos diversos sed eiusdem fere argumenti. Quod vero addit Plinius § 186 amicitiae exemplum esse ballaenam et musculum, hoc est quod adtribuas Stoico auctori (cf. supra p. 97); neque enim ea nunc narrantur nisi apud Plutarchum l. l. p. 980 F et 981 et apud Oppianum V 71 sqq.; cf. Aeliani H. A. II 13 (res tamen etiam Claudiano nota poetae in Eutrop. II 425 sq.); *vada magnitudinem infestantia* respondent Oppianeis *ὀλίγη πόντοιο χύσις* (v. 78) et Plutarcheis *βράχεσις* vel *τέναγος* vel *πορθμὸς δυςέξοδος*; *praenatat* Plinius quod Plutarchus *προνήχεται*. Sed tamen quia Chrysippus sua et ipse aliunde hauriret necesse fuit, neque omnia ex Aristotele, rectius Chrysippi auctor his locis excerpi a Plinio

dicetur; quamquam ne hoc quidem confidentius; nam ipsum Aristotelem a Plinio revera lectum non esse, sed Trogi potius illam compilationem Aristotelicam si cui persuasero, huic compilationi etiam res novae hinc illinc quamvis paucae a Trogo adspergi potuisse credentur.

Amicitiarum praeterea unum exemplum Plinius in § 94 de concha et nauplio ex Muciano promit quode alium quemquam scribere non vidi. At § 98 ecce etiam pinoteras noster quamquam multimodis mutatus: *pinotheras vocatur minimus ex omni genere* (sc. cancrorum), *ideo opportunus iniuriae. huic sollertia est inanium ostrearum testis se condere et cum accreverit migrare in capaciores.* Efficta haec videntur simulque hic illic permire immutata ex Aristotelico loco p. 547 B 25: *ἐμφύονται δ' ἐν ἐνίοις τῶν ὀστρακοδέρμων καρκῖνοι λευκοί, τὸ μέγεθος μικροὶ πάμπαν, πλεῖστοι μὲν ἐν τοῖς μυσὶ τοῖς πυλεώδεσιν, ἔπειτα καὶ ἐν ταῖς πίνναις οἱ καλούμενοι πιννοτῆραι. ... αὔξησιν δ' οὐδεμίαν* (!) *οὗτοι ἐπίδηλον λαμβάνουσιν· φασὶ δ' αὐτοὺς οἱ ἁλιεῖς ἅμα συγγίνεσθαι γινομένοις.* Hariolando si quid proficiamus natam alteram discrepantiam dixerim ex varia lectione Aristotelica hac: *ἐμφύονται δ' ἐν κενοῖς τῶν ὀστρακοδέρμων* (sc. *ὀστράκοις*) *καρκῖνοι λευκοὶ* eqs. Cuius lectionis fides augebitur ni fallor altera discrepantia observata. Quid enim? observa mihi hic ipsos codices Aristotelis inter se more solito discrepantes: itaque error scripturae in libris qui esse credebatur *αὔξησιν δ' ἐπίδηλον οὐδεμίαν οὗτος λαμβάνουσιν* is indicium veri continet, cum excerptoria violentia compressus in artum ex his esse videatur: *αὔξησιν δ' ἐπίδηλον οὐδεμίαν ἐντὸς λαμβάνουσιν (εἰ μὴ μετοικιζόμενοι εἰς τοὺς μείζους), quae aptissime excipientur his: φασὶ δ' αὐτοὺς οἱ ἁλιεῖς ἅμα συγγίνεσθαι γινομένοις.*

Sed ea quoque de pinotera Plinius, quae Stoico fere philosopho placuerant § 142:

> concharum generis pina est. Nascitur in limosis subrecta semper, nec unquam sine comite, quem pinotheren vocant, alii pinophylacem, id est squilla parva, aliubi cancer, dapis adsectator. Pandit se pina luminibus orbum corpus intus minutis piscibus praebens. Adsultant illi protinus et ubi licentia audacia crevit, implent eam. Hoc tempus speculatus index morsu levi significat. Illa comprehenso quidquid inclusit examinat partemque socio tribuit.

Praeclare prima quidem Aristotelicis verbis respondent quae

sunt p. 547 B 15: *καὶ αἱ πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βυσσοῦ* (vel *βυθοῦ*) *ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσιν. ἔχουσι δ' ἐν αὐταῖς πιννοφύλακα αἱ μὲν καρίδιον, αἱ δὲ καρκίνιον· οὗ στερισκόμενοι διαφθείρονται θᾶττον.* Quam ego reputans similitudinem pro explorato habeo apud Aristotelem ut alia multa alibi, ita hoc loco intercidisse ipsam illam Plini narratiunculam illustrantem eam quod sine comite *διαφθείρονται θᾶττον*. Statim autem in ea a Chrysippo differre hoc maxime vidisti quod pina corpus suum luminibus orbum praebere pisciculis dicitur; at idem aperte legerat Aelianus III 29 ubi hunc in modum res etiam exaggeratur: *καὶ προτείνει σαρκίον ἐξ ἑαυτῆς οἱονεὶ δέλεαρ τοῖς παρανηχομένοις τῶν ἰχθύων.* Omisit Chrysippus quique ab eo pendent omnes illud quoque: *ὀρθαὶ φύονται* vel *subrecta semper.*

Extitisse apud Aristotelem locum plenum, eo quoque commendatur quod reliqua Plinius quibus ibidem sollertiam aquatilium ampliavit eidem omnia philosopho debebat: de torpedine Ar. p. 620 B 19, de rana marina 620 B 11, de squatina et rhombo et raio 620 B 30 (scilicet pro *ψῆττα* Aristotelis rhombum interpres latinus secundum morem latinum posuit: cf. supra p. 118). Simul tamen miro modo quae apud Aristotelem sunt *τὰ ἐν τῷ στόματι ἃ καλοῦσιν οἱ ἁλιεῖς ῥαβδία· προσέρχονται δ' ὡς πρὸς φυκία ἀφ' ὧν τρέφονται*, a latino scriptore exprimuntur *pinnis exsertis*, et quidem *vermiculorum specie*, omissis *ἐν τῷ στόματι*. At si olim pleniora graeca fuerant: *τοῖς ἐν τῷ στόματι πτερυγώμασιν ἃ καλοῦσιν* eqs., atque illud *πτερυγώμασιν* si pro *πτερυγίοις* interpres falso acceperat, iam ineptum illud *exsertis pinnis* facilem habet explicatum. Plinius autem melius ni fallor scripsisset: *specie vericulorum*. Deinceps pro *nam*, quod stupenda adhuc celeritate conservatum ab editoribus video, reponere festina: *etiam pastinaca latrocinatur*; apud Aristotelem vero aliqua exciderunt post *πλὴν οὐχ ὁμοίως* 620 B 24.

Atque iam vide me quo procurram. Nam et ad rem meam facere video ut quantum laboris in historiam animalium scribendam Plinius impenderit clarius dispiciatur et sentio dicendum esse indignum, quod quae ille conscripsit, ut obscuriores reliqui sint auctores, tamen plerumque cum ipso Aristotele manifesto conspirantia nondum ad amussim excussa omnia et cum ipso Aristotele conlata sunt. Atque quamquam huic loco non apta nisi pauca exempla erunt selecta, tamen inde et lectionum emendationi fructus aliqui dabuntur et intellegetur, quanta cura ac

labore quam exquisito iunctim permulta a latino scriptore posita sunt quae disiuncta ac dispersa apud graecum auctorem. Hunc igitur durissimum laborem ipsum Plinium subiisse atque vel latine libros Aristotelicos vertisse ut crederem frustra equidem me paravi, quae res non solum difficillima fuit sed etiam ridicule supervacanea siquidem simul ille Aristotelem Trogi latinum manibus versabat. Atque conclusionem apertiorem quam hanc non audivi: nam Plinius in libro XXXII § 152 plane ignota et sibi et auctoribus suis ea nomina dicit quae et apud Aristotelem frequentia et in ipso nono libro a Plinio posita sunt; itaque incredibili celeritate nonum ille librum consarcinavit; atqui Aristoteles ipse non pervolitando (quod mirum quantum placebat illi; cf. Plini minoris epist. III 5), sed tardissimo tantum labore et verti et excerpi poterat; ergo gravissimo auctorum ille non lecto eruditionis se oceanum reddidit. Quid quod inter ignota illa etiam chrysophrys adest. Nesciebat igitur Plinius ita dici auratas quibus Romanorum atque sua ipsius siqua erant vivaria inundata videbat. (Minus grave est quod XXXII 154 a nullo auctore nominatam sphyraenam dicit quae est apud Aristotelem semel). Atque ita rem se habere iam Schneiderus olim pronuntiavit (ed. Arist. I p. XVIII) simileque de Theophrasto ad Theophr. V 540; Montigny, genium Plini puto ne offenderet, mediam viam ingressurus legisse quidem Plinium graeca statuit, saepenumero vero locos inde exscriptos non ad manum habuisse ideoque ex Trogo Nigidio aliis rem sibi suppeditasse (l. l. p. 52). Diffidebat Schneidero Silligius quoque (Stahr, Aristot. b. d. Römern, p. 100), oblocutus est A. de Gutschmid in Fleckeiseni Ann. suppl. II p. 179 sqq. Atque apud hunc coniuncta Trogi fragmenta aut de plantis aut de animalibus quot supersunt omnia non deducta nisi aut ex Theophrasto aut ex Aristotele esse videbis ita, ut hos duos Trogus se conciliare velle litteris latinis professus fuisse videatur. Unum hoc quod apud Charisium est p. 137, 9 K: *itaque Trogum de animalibus libro X parium numerorum et imparium non recte dixisse, sed parum et imparum* (atque memorabile id quoque haec ex Plinio ipso grammatico prompsisse Charisium), dubitantius Gutschmidius ad Aristotelis p. 680 B 3 rettulit ubi echini non dicuntur nisi habere *ἴσα τε τῷ ἀριθμῷ τὰ ᾠὰ καὶ περιττά*; probabilius ni fallor ad polypoda rettulisset quae Aristoteles p. 708 B 5 sqq. incedere posse narrat non solum paribus numero pedibus sed etiam imparibus. Denique Plinius quae de se valere praetendit VIII 44, valere haec de Trogo sciebat, scilicet quinquaginta

Aristotelis de animalibus volumina collecta in artum esse ita, ut legentes in universis rerum naturae operibus medioque (vix recte; an *immodicoque?*) clarissimi regum omnium desiderio breviter peregrinarentur.

Gravissimum testimonium locus ille Plini de piscium inimicitiis est: IX 185, quo accurate Aristotelica verba exprimi iam supra declaravimus; sin autem intentius legeris, omissas a Plinio res duas videbis, et hoc, nonnumquam etiam pacem inter murenam et congrum esse sociosque fieri lupum et mugilem, et illud, vivere eos qui caudam amiserint (ζῶσιν ἀφῃρημένοι Aristoteles) neque igitur mortiferum morsum esse. Itaque Plinius ipsene graeca breviavit? minime vero: statim enim addendum putavit: *Nigidius auctor est praerodere caudam mugili lupum eosdemque statis mensibus* (id est κατ' ἐνίους καιρούς) *concordes esse. Omnes autem vivere quibus caudae sic amputentur.* Itaque Nigidius quidem locum Aristotelis plenum exhibebat; quodsi Plinius Aristotelem ipsum adhibuisset, de ista re plane non fuit cur Nigidi aut omnino aut hic tantummodo nomen adponeret. Adhibuerat breviarium graeci operis aliquod indeque hic a Nigidio rem eandem excerpi ne sensit quidem! Elucet autem hoc illud esse breviarium quod pro fundamento ubique ponebat Plinius neque cuiquam id veri similius quam Pompeio Trogo tribuetur.

Atque iam breviuscula inseratur Plini Aristotelisque comparatio. De insectis Plinius in ipso libri XI exordio:

> Multa haec et multigenera; terrestrium volucrumque vita; alia pennata ut apes, alia utroque modo ut formicae, aliqua et pennis et pedibus carentia ut *iuri; omnia insecta appellata ab incisuris quae nunc cervicium loco, nunc pectorum atque alvi, praecincta separant membra tenui modo fistula cohaerentia eqs.

Qui emendare verba susceperunt Aristotelem vellem evolvissent ubi haec sunt p. 523 B 17 sq.: τὸ δὲ ἐντόμων (γένος) ὃ πολλὰ καὶ ἀνόμοια περιείληφεν εἴδη ζῴων. ἔστι δ' ἔντομα ὅσα κατὰ τοὔνομά ἐστιν ἐντομὰς ἔχοντα ἢ ἐν τοῖς ὑπτίοις ἢ ἐν τοῖς πρανέσιν ἢ ἐν ἀμφοῖν καὶ οὔτε ὀστῶδες ἔχει ἓν κεχωρισμένον οὔτε σαρκῶδες, ἀλλὰ μέσον ἀμφοῖν· τὸ σῶμα γὰρ ὁμοίως καὶ ἔσω καὶ ἔξω σκληρόν ἐστιν αὐτῶν. ἔστι δ' ἔντομα καὶ ἄπτερα οἷον ἴουλος καὶ σκολόπενδρα, καὶ πτερωτὰ οἷον μέλιττα καὶ μη-

λολόνθη καὶ σφήξ· καὶ ταὐτὸ δὲ γένος ἐστὶ καὶ πτερωτὸν καὶ ἄπτερον οἷον μύρμηκές εἰσι eqs. Vide latinum scriptorem et parciorem et tamen adeo certe graeco obsequentem ut pro *ut iuri* restituere plane liceat: *ut iuli.* Id vero temerarie fecit, quod etiam pedibus carere iulos dixit: sunt enim potius multipedes (cf. Aristot. p. 682 B 3). Iam tenes igitur Romani scriptoris indocti interpolationem talem quae absurdum illud *quibusdam ternae* apud Plinium IX 73 (cf. Arist. p. 489 B 24) recte tradi persuadeat quod eicere inde ab Harduino invaluit.

Irasceris quod licentius vel parum docte has res tractasse Trogum Pompeium — modo ne ista de suo Plinius fuerit qui iniceret — arguerimus. Tamen erroris cuiusdam quem commiserit Trogus satis ridiculi testis Plinius videtur XII 7, siquidem hunc quoque locum ex Trogo fluxisse plausibilis Gutschmidi coniectura est. Summopere tamen improbabile dico quod doctus idem erroris crimine Trogum liberaturus in sententia hac:

> Dionysius prior Siciliae tyrannus Regium in urbem transtulit eas (i. e. platanos) domus suae miraculum, ubi postea factum gymnasium; nec potuisse in amplitudinem augescere aut alias fuisse in Italia ac nominatim Hispania apud auctores invenitur

pro *Hispania* male sano non Theophrasto duce scriptum *spanias* fuisse sumpsit, sed *Cispadana.* Parum me si audis feliciter: an forte Italia minus nomen est quam Cispadana? atque num quidquam aliquo loco nominatim esse latine dici ita poterit, ut non ipsius rei, sed loci nomen promittatur? Nihil autem magis perspicuum quam corruptum *aut* esse quod anteit; itaque simul si senseris quam prave et *in amplitudinem augescere* et *alias fuisse in Italia* sententia una constringantur, non poteris non ita sermonem distringere: *nec potuisse in amplitudinem augescere aiunt*; *alias fuisse in Italia ac nominatim spanias apud auctores invenitur.* Scriptum est enim apud Theophrastum IV 5, 6: *ἐν μὲν γὰρ τῷ Ἀδρίᾳ πλάτανον οὔ φασιν εἶναι πλὴν περὶ τὸ Διομήδους ἱερόν· σπανίαν δὲ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ πάσῃ* eqs.

Porro comparentur inter se Plini X 25 et Aristotelis p. 563 B 15 sqq.:

ὁ δὲ κόκκυξ λέγεται μὲν ὑπό τινων ὡς μεταβάλλει ἐξ ἱέρακος διὰ τὸ ἀφανίζεσθαι τὸν ἱέρακα περὶ τοῦ-	Coccyx videtur ex accipitre fieri, tempore anni (eadem vox IX 162, X 80 ne forte *tempore canendi* conicias) figu-

τον τὸν χρόνον ᾧ ὅμοιός ἐστιν· σχεδὸν δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἱέρακας οὐκ ἔστιν ἰδεῖν ὅτε θᾶττον φθέγγεται ὁ κόκκυξ, πλὴν ὀλίγας ἡμέρας· ὁ δὲ κόκκυξ φαίνεται ἐπ' ὀλίγον χρόνον τοῦ θέρους, τὸν δὲ χειμῶνα ἀφανίζεται. ἔστι δ' ὁ μὲν ἱέραξ γαμψώνυχος, ὁ δὲ κόκκυξ οὐ γαμψώνυχος· ἔτι δὲ οὐδὲ τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἔοικεν ἱέρακι, ἀλλ' ἄμφω ταῦτα περιστερᾷ μᾶλλον· ἀλλ' ἢ κατὰ τὸ χρῶμα μόνον προςέοικεν ἱέρακι.	ram mutans quoniam tunc non apparent reliqui nisi perquam paucis diebus. Est autem neque aduncis unguibus solus accipitrum nec capite similis illis neque alio quam colore, *acvitu columbi potius (anne *caeterum columbis potius* legendum dices?).

Pro *quoniam tunc non apparent reliqui* Mayhoffius accuratius scribendum fuisse monuit: *quoniam tunc non apparet accipiter cui similis est neque reliqui apparent* eqs. Tamen ego lacunam non agnosco, sed in brevius contractam sententiam; nam coccygem pro accipitre venditare ausum esse sectatorem Aristotelis testes sunt verba illa iniecta *solus accipitrum,* ita ut vox *reliqui* non habeat quo offendat. Sententiola quae apud Plinium adseritur *mutat autem et vocem* abest ab Aristotele; deinde *procedit vere, occultatur caniculae ortu* ex iis orta sunt quae post ὀλίγας ἡμέρας inserta leguntur. Pergitur:

> *Interque parit in alienis nidis maxime palumbium, maiore ex parte singula ova quod nulla alia avis (!), raro bina.

Rescribendum est videlicet *interdumque parit;* nam non paucis Aristotelis verbis omissis ista rursus sumpta ex eo sunt: ὁ δὲ τίκτει μὲν ἀλλ' οὐ ποιησάμενος νεοττιάν, ἀλλ' ἐνίοτε μὲν ἐν τῇ τῶν ἐλαττόνων ὀρνίθων ἐντίκτει καταφαγὼν τὰ ᾠὰ τὰ ἐκείνων, μάλιστα δ' ἐν ταῖς τῶν φαβῶν νεοττιαῖς, καταφαγὼν καὶ τὰ τούτων ᾠά· τίκτει δ' ὀλιγάκις μὲν δύο, τὰ δὲ πλεῖστα ἕν. Iam vero quo studio diversus Aristotelis locus inmisceatur attendamus. Quod enim pergit Plinius:

> Causa pullos subiciendi putatur quod sciat se invisam cunctis avibus. Nam minutae quoque infestant. Ita non fore tutam generi suo stirpem opinatur ni fefellerit,

quare nullum facit nidum *alioqui trepidum animal. Educat ergo subditum adulterato feta nido,

habet Aristoteles in p. 618 A 25: *δοκεῖ δ' ὁ κόκκυξ φρόνιμον ποιεῖσθαι τὴν τέκνωσιν. διὰ γὰρ τὸ συνειδέναι αὑτῷ τὴν δειλίαν καὶ ὅτι οὐκ ἂν δύναιτο βοηθῆσαι, διὰ τοῦτο ὥςπερ ὑποβολιμαίους ποιεῖ τοὺς ἑαυτοῦ νεοττοὺς ἵνα σωθῶσιν. τὴν γὰρ δειλίαν ὑπερβάλλει τοῦτο τὸ ὄρνεον· τίλλεται γὰρ ὑπὸ τῶν μικρῶν ὀρνέων καὶ φεύγει αὐτά.* Et v. 12: *ἀλλ' ἐν οὗ ἂν τέκῃ νεοττιᾷ οὗτος ὄρνις ἐκκολάπτει καὶ τρέφει.* Apud Plinium quia etiamsi *et alioqui* inferas sensus parum iuvatur, sequamur Aristotelem fere ita velim: *Adeo quippe trepidum animal.* Porro iis quae supersunt fabula fit doctrina Aristotelis:

> Ille avidus ex natura praeripit cibos reliquis pullis itaque pinguescit et nitidus in se nutricem convertit; illa gaudet eius specie miraturque sese ipsam quod talem pepererit. Suos comparatione eius damnat ut alienos absumique etiam se inspectante patitur donec corripiat ipsam quoque iam volandi potens.

Aristoteles enim varias componere sententias satis habet p. 618 A 13 sqq.: aut ab ave feta pullos suos eici vel interfici quippe magis ea gaudente cuculi specie, aut a parvulo cuculo aviculae devorari pullos, aut potius cibum praeripi ab eo ita ut fame reliqui intereant. At vero voce *pinguescit* scriptor latinus ad Aristotelis locum revertitur priorem, ubi est p. 563 A 3: *γίνεται δὲ πίων*, itemque ea Plini sententia qua de cuculo disputatio clauditur: *nulla tunc avium suavitate carnis comparatur illi*, idem iste locus repetitur qui est: *γίνεται δὲ πίων καὶ ἡδύκρεως κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν μάλιστα.* Ars aperta, apertum studium elegantiae quo in artum collecta Aristotelis volumina sint.

Examinetur eiusdem Plini libri etiam § 32: *Corvi pariunt cum plurimum quinos;* Aristoteles p. 618 B 13 ita: *τίκτει δ' ὁ κόραξ καὶ τέτταρα καὶ πέντε.* Deinde vero:

> ore eos parere aut coire vulgus arbitratur ideoque gravidas si ederint corvinum ovum per os partum reddere atque in totum difficulter parere si tecto inferantur; Aristoteles negat: non hercule magis quam in Aegypto ibim; sed illam exosculationem quae saepe cernitur qualem in columbis esse,

ista ecce omnia longe adportata ex libro de gener. anim. III sunt p. 756 B 13—25 praeterquam quod ibi nunc deest illud *difficulter parere si tecto inferantur*; idque librariis intercidisse veri simillimum est praesertim cum v. 22 monedularum mentio adsit quae mansuetae alantur. Tum vero apud Plinium reducimur ad p. 618 B 13: *περὶ δὲ τοὺς χρόνους ἐν οἷς ἀπώλοντο οἱ Μηδίου ξένοι ἐν Φαρσάλῳ, ἐρημία ἐν τοῖς τόποις τοῖς περὶ Ἀθήνας καὶ Πελοπόννησον ἐγένετο κοράκων ὡς ἐχόντων αἴσθησίν τινα τῆς παρ᾽ ἀλλήλλων δηλώσεως*: ita ut dubitari quidem possit num forte Plini illa *cum gluttiunt vocem* eqs. apud Aristotelem perierint, ineptia autem inculcatum apertissima a latino videatur interprete: *in auspiciis solus*. Sed etiam in Plini § 31 locus graecus idem (v. 9 sqq.) respicitur et quidem verbis his: *pellunt nidis pullos ac volare cogunt corvi; fetuus suos fugant longius.* Quid vero deinceps? graeca *ἐν τοῖς μικροῖς χωρίοις ... δύο μόνοι γίνονται* mirum in modum ita latine enuntiantur: *parvis in vicis non plus bina coniugia sunt*! Itaque correctores Plinio aut *una coniugia* dabant aut *binum coniugium* aut *bini coniugio* quae stare nimirum omnia nequeunt: quasi non facillime hic quoque ut Aristotelis sermo mutilaretur accidere potuerit; et quasi non adsit etiam vestigium aliquod lacunae in manuscriptis iis qui exhibent pro *δύο μόνοι γίνονται* potius *δύο μὲν οἷον γίνονται*; tueris ecce qua ratione hiatus nascatur primum, postea consuatur exemplum; legebatur fere: *δύο μὲν οἷον ἐν Κραννῶνι, τὰ δὲ πλεῖστα τέτταρες γίνονται.* Denique vero apud Plinium etiam ad librum de Mirab. Auscultat. pellimur verbis: *genitores suboli loco cedunt*; nam Ar. p. 842 B 10 et Crannonii corvi adsunt et ipsa haec sententia, cum contra loco eici pulli dicantur in pagina Aristotelis 618 prius respecta B 11.

At in Plinio hiatus lectionis manifestus est IX 74; nam in sententia qualis editur: *durant* (*anguillae*) *et sine aqua senis diebus aquilone spirante, austro paucioribus. At hiemem eaedem in exigua aqua non tolerant* ne rem narratam castigemus, destituta sensu est particula *at*; neque *hiemem* potius traditur quam *hieme*; quare inspecto Aristotelis loco eo qui praeclare hic repetitur p. 592 A 16—23 haec fere nanciscimur: *Durant ... austro paucioribus. Aestate transferri in vivaria non possunt, at hieme. Eaedem in exigua aqua non tolerant.* Tolerandi enim verbum etiam absolutum usurpari ab accusativo notum est.

Sed locum evolvamus ampliorem Plini IX 161 ut qua lege excerptus Aristoteles sit clarius compareat:

Piscium diversa genera non coeunt praeter squatinam et raiam ex quibus nascitur priore parte raiae (posteriore squatinae: haec quippe ab hoc loco non abesse potuisse vel sermo clamat) similis et nomen ex utroque compositum apud Graecos trahit.	Ar. 566 A 28 sqq.: τῶν μὲν οὖν ἄλλων ἰχθύων ... ῥίνη δὲ δοκεῖ (συνδυάζεσθαι) ... καὶ βάτος. ἔστι γάρ τις ἰχθὺς ὃς καλεῖται ῥινόβατος· ἔχει μὲν γὰρ κεφαλὴν καὶ τὰ ἔμπροσθεν βάτου τὰ δ' ὄπισθεν ῥίνης ὡς γινόμενος ἐξ ἀμφοτέρων τούτων.

Inserit exinde Plinius pluscula pauca quae apud Aristotelem non sunt et quae de piscibus falso accipi et voce *quaedam* evincitur (nam pisces *quidam* dicerentur) et eo quod postea lupo trichiaeque *piscium* genetivus adponitur; sed talia haec sunt quae etiam in terra occurrant; quare legendum: *Quaedam tempore anni gignuntur et in humore, ut in terra: vermes pectines limaces hirudines*; *eadem tempore evanescunt.* Tum vero ad aliud Aristotelis caput procurritur:

Piscium lupus et trichias bis anno parit et saxatiles omnes; mulli ter (haec lectio Aristoteles comprobat quam falso reiecta a viris doctis sit)	p. 543 A 3 sqq.: ὁ λάβραξ· οὗτος δὲ δὶς τούτων μόνος (sc. τίκτει), γίνεται δ' ὁ τόκος αὐτῷ ὁ ὕστερος ἀσθενέστερος. καὶ ὁ τριχίας δὲ καὶ τὰ πετραῖα δίς, ἡ δὲ τρίγλη μόνη τρίς. τεκμαίρονται δ' ἐκ τοῦ γόνου· τρὶς γὰρ φαίνεται ὁ γόνος περί τινας τόπους.
ut chalcis; cyprini sexiens;	p. 568 A 18: χαλκὶς δὲ τίκτει τρίς et A 16: τίκτουσι δ' ἐν τῇ καθηκούσῃ ὥρᾳ κυπρῖνος μὲν πεντάκις ἢ ἑξάκις.

Itaque consilio scito non *mulli soli ter* scriptum est sed *mulli ter*: nempe invenerat interpres alio loco etiam chalcin ter parientem; iam igitur inde chalcin particula *ut* aliena ea a tota hac enumeratione huc adseruit, simul indidem cyprinum ut adoptaret. Atque ita ille qui nihil fere intendebat nisi res varias ex Aristotele congerere. Plinius vero si Aristotelem ita contra se ipsum pugnantem accurata lectione ac docto studio comperisset, nullus dubito quin peccatum summi viri a se detectum ostentaturus fuerit.

scorpiones (ita scribendum,	p. 543 A 7: ὁ δὲ σκορπίος

cf. p. 182) bis ac sargi, (intolerabilis ac vocula erit nisi ita mecum interpunxeris id quod graecis firmatur) vere et autumno;

τίκτει δίς· τίκτει δὲ καὶ ὁ σάργος δίς, ἔαρος καὶ μετοπώρου, ἡ δὲ σάλπη μετοπώρου ἅπαξ. Salpa hic apud Plinium omittitur infra quippe memorata.

De thynnidis partu locus Ar. v. 9 sq. a Plinio omittitur nisi quod eius finis exhibetur § 47.

ex planis squatina bis sola, autumno et (*et* male excidit) occasu vergiliarum;

v. 14: *τῶν δὲ σελαχῶν ἡ ῥίνη μόνη τίκτει δίς· τίκτει γὰρ καὶ ἀρχομένου τοῦ φθινοπώρου καὶ περὶ Πλειάδος δύσιν.* cf. p. 566 A 20.

plurimi piscium tribus mensibus Aprili Maio Iunio; salpae autumno; sargi torpedo squali circa aequinoctium (aut excidit *autumnale* aut summae neglegentiae incusandus Plinius est);

p. 543 B 7: *τίκτουσι δ' οἱ πλεῖστοι τῶν ἰχθύων ἐν μησὶ τρισί, Μουνυχιῶνι Θαργηλιῶνι Σκιρροφοριῶνι. μετοπώρου δ' ὀλίγοι οἷον σάλπη· καὶ σάργος καὶ νάρκη καὶ ῥίνη* (ita enim utpote traicienda verba ne comparato quidem Plinio) *καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα μικρὸν πρὸ ἰσημερίας τῆς φθινοπωρινῆς*

molles vere; saepia omnibus mensibus;

p. 544 A 1: *τίκτει δὲ καὶ τὰ μαλάκια τοῦ ἔαρος καὶ ἐν τοῖς πρώτοις τίκτει τῶν θαλαττίων ἡ σηπία. τίκτει δὲ πᾶσαν ὥραν· ἀποτίκτει δ' ἐν ἡμέραις πέντε καὶ δέκα·*

ova eius glutino atramenti ad speciem uvae cohaerentia masculus prosequitur adflatu; alias sterilescunt;

ὅταν δὲ τέκῃ τὰ ᾠά, ὁ ἄρρην παρακολουθῶν καταφυσᾷ τὸν θολόν, καὶ γίνεται στιφρά. Non satis intellexerat haec latinus. Atque etiam voce *sterilescunt* efficitur ut corruptelarum exemplum perexquisitum detegamus in Aristotele iam tum obtinentium: plane enim pro *στι-*

	φρά legebatur στέριφα; ideo particulae καὶ latine substitutum est *alias*. Veram lectionem Athenaeus tenebat p. 323F. Similiter Ar. p. 631 A 13 pro ἁλιεὺς legebatur βασιλεὺς (cf. Montigny p. 67), et p. 622 A 30 οὐκ ἐλάττον' ἐνίοτε cf. Plin. IX 54: *crebro delphini magnitudinem excedenti.*
(Haec iterum omissa consilio videntur quippe iam § 84 lecta et quidem ita: *saepiarum generi mares* magis *varii et nigriores.*)	*ἔστι δὲ ὁ ἄρρην ποικιλώτερος καὶ μελάντερος τὸν νῶτον*
polypi hieme coeunt, pariunt vere ova tortili vibrata pampino,	p. 544 A 7: *ὁ δὲ πολύπους ὀχεύεται τοῦ χειμῶνος, τίκτει δὲ τοῦ ἔαρος ὅτε καὶ φωλεύει περὶ δύο μῆνας· τίκτει δὲ τὸ ᾠὸν καθάπερ βοστρύχιον ὅμοιον τῷ τῆς λευκῆς κάρπῳ. ἔστι δὲ πολύγονον τὸ ζῷον· ἐκ γὰρ τοῦ ἀποτικτομένου ἄπειρον γίνεται πλῆθος.*
tanta fecunditate ut multitudinem ovorum *occisi non recipiant cavo capitis quo praegnantes tulere. (Itaque scriptor latinus et parietes specuum et vasculum omissurus rem leniter immutavit. Tamen *occisi* omni sensu destitutum est; flagitatur *enisi*).	p. 550 A 1: *τὸ δὲ πλῆθος ἔχει τοσαῦτα ᾠὰ ὥςτ' ἐξαιρεθέντων ἐμπίμπλαται ἀγγεῖον πολλῷ μεῖζον τῆς κεφαλῆς ἐν ᾗ ἔχει* (potius εἶχε) *τὰ ᾠά.*
Ea excludunt quinquagesimo die, e quibus multa propter numerum intercidunt.	*τὰ μὲν οὖν τῶν πολυπόδων μεθ' ἡμέρας μάλιστα πεντήκοντα γίνεται ἐκ τῶν ἀπορραγέντων πολυπόδια· ὧν ἡ μὲν καθ' ἕκαστα φύσις τῶν μελῶν οὔπω διάδηλος, ἡ δ' ὅλη μορφὴ φανερά. διὰ δὲ τὴν μικρότητα καὶ τὴν ἀσθένειαν*

φθείρεται τὸ πλῆθος αὐτῶν.

Locustae et reliqua tenuioris crustae ponunt ova super ova atque ita incubant. (Paucis his ut par erat laboriosa Aristotelis doctrina adumbratur. Tamen illud *super ova* nimium festinantem prodit; nisi quod medela perquam leni crimen tolletur, ita: *ponunt ova specie uvae*).

p. 549 A 20: τὸ μὲν οὖν ᾠὸν γίνεται ψαθυρὸν τῶν καράβων, διῃρημένον εἰς ὀκτὼ μοίρας ..... καὶ τὸ ὅλον γίνεται οἷον βότρυς· σχίζεται γὰρ ἕκαστον εἰς πλείω τῶν χονδρωδῶν ... A 32: αὐτὰ μὲν οὖν τὰ ἐκ τοῦ πλαγίου οὐ δύναται συμπεριλαμβάνειν, τοῦ δὲ ἄκρου (κέρκου?) προςεπιτεθέντος καλύπτει πάντα καὶ γίνεται τοῦτ' αὐτοῖς οἷον πῶμα eqs.

Polypus femina modo in ovis sedet, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. Saepia in terreno parit inter arundines aut sicubi enata alga;

p. 550 B 4: ὁ δὲ πολύπους ὁ θῆλυς ὁτὲ μὲν ἐπὶ τοῖς ᾠοῖς ὁτὲ δ' ἐπὶ τῷ στόματι προκάθηται τῆς θαλάμης τὴν πλεκτάνην ἐπέχων· ἡ δὲ σηπία πρὸς τὴν γῆν ἐκτίκτει περὶ τὰ φυκία καὶ τὰ καλαμώδη κἄν τι ᾖ τοιοῦτον ἐκβεβλημένον οἷον ὕλη. Hic quae de partu sepiae adduntur neglecta sunt deferimurque iam rursus

excludit quinto decimo die.

ad p. 544 A 3: ἀποτίκτει δ' ἐν ἡμέραις πέντε καὶ δέκα. Deinde reditur ad

Loligines in alto conserta ova edunt ut sepiae. (Parum caute haec conformata ita sunt quasi etiam sepia in alto pareret).

p. 550 B 12: αἱ δὲ τευθίδες πελάγιαι ἀποτίκτουσι· τὸ δ' ᾠὸν ὥςπερ ἡ σηπία ἀποτίκτει συνεχές. Deinde ad

Purpurae murices eiusdemque generis vere pariunt;

p. 544 A 15: γίνονται δὲ καὶ αἱ πορφύραι περὶ τὸ ἔαρ καὶ οἱ κήρυκες λήγοντος τοῦ χειμῶνος· καὶ ὅλως τὰ ὀστρακόδερμα ἔν τε τῷ ἔαρι φαίνεται τὰ καλούμενα ᾠὰ

echini ova pleniluniis habent, hieme. (Qua lege ita deformari sententia potuerit non assequor corrigoque *quidam hieme*).

ἔχοντα καὶ ἐν τῷ μετοπώρῳ, πλὴν τῶν ἐχίνων τῶν ἐδωδίμων· οὗτοι δὲ μάλιστα μὲν ἐν ταύταις ταῖς ὥραις (hoc est vere et autumno), *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀεὶ ἔχουσι καὶ μάλιστα ταῖς πανσελήνοις καὶ ταῖς ἀλεειναῖς ἡμέραις, πλὴν τῶν ἐν τῷ εὐρίπῳ τῶν Πυρραίων· ἐκεῖνοι δὲ* ἀμείνους τοῦ χειμῶνος· εἰσὶ δὲ μικροὶ μέν, πλήρεις δὲ τῶν ᾠῶν·*

et cocleae hiberno tempore nascuntur (itaque *τὴν αὐτὴν ὥραν* satis ea obscura latinus interpres ad hiemem traxit, cum tamen rectius verteretur: „etiam cocleae eodem omnes veris tempore praegnantes videntur", simul ille facili errore pro *κύοντες* legere ratus *τίκτοντες*).

κύοντες δὲ φαίνονται καὶ οἱ κοχλίαι πάντες ὁμοίως τὴν αὐτὴν ὥραν. Errorum exemplum insigne *ἀμείνους* est; desidero *ἐκεῖνοι δὲ ἀεὶ μὲν οὐ (μάλιστα δὲ) τοῦ χειμῶνος.*

Deinde sermo Plini ad torpedinem et ad Aristotelis locum plane diversum p. 565 B 24 deflectit. Quae missa hic sunto; magis enim tibi examinandum hunc locum commendo qui est IX 44 sqq:

Praecipua magnitudine thynni. Invenimus talenta XV pependisse vetustum, caudae latitudinem duo (!) cubita et palmam. (In quibus *vetustum* illud quod abesse non posse vel sermo rectus efficit si forte ex *eiusdem* quod in codicibus est elicere dubitabis, ruinam aliam qualemcunque traxisse statuas necesse erit).

p. 607 B 32: *ἤδη δ' ἐλήφθη γέρων θύννος οὗ σταθμὸς μὲν ἦν τάλαντα πεντεκαίδεκα, τοῦ δ' οὐραίου τὸ διάστημα πέντε* (! at *δύο* cod. C[a]; itaque huius lectiones interpres latinus et hic secutus est et alibi quod ostendimus supra p. 141 et 134, infra p. 150) *πήχεων καὶ σπιθαμῆς.* Deinde postquam de magnis piscibus Plinius attulit quae aliundene acceperit an suis potius ipsius itineribus didicerit nescimus, in § 47 procedit ad Aristotelis

Thynni mares sub ventre non habent pinnam.	p. 543 A 12: *διαφέρει δ' ὁ θύννος ὁ ἄρρην τοῦ θήλεος ὅτι ἡ μὲν ἔχει ὁ δ' οὐκ ἔχει ὑπὸ τῇ γαστρὶ πτερύγιον.* Deinde
Intrant e magno mari Pontum verno tempore, gregatim.	p. 598 A 26: *θυννίδες δὲ καὶ πηλαμύδες καὶ ἄμιαι εἰς τὸν Πόντον ἐμβάλλουσι τοῦ ἔαρος καὶ θερίζουσιν . . . εἰσὶ δ' οἱ πλεῖστοι ἀγελαῖοι.* Deinceps
Nec alibi fetificant.	p. 543 B 3: *αἱ δὲ πηλαμύδες καὶ οἱ θύννοι τίκτουσιν ἐν τῷ Πόντῳ, ἄλλοθι δ' οὔ.* Tum
Cordyla appellatur partus qui fetas redeuntes in mare autumno comitatur;	p. 571 A 16: *γίνονται ἐκ τοῦ ᾠοῦ ἃς καλοῦσιν οἱ μὲν σκορδύλας, Βυζάντιοι δὲ αὐξίδας διὰ τὸ ἐν ὀλίγαις αὐξάνεσθαι ἡμέραις, καὶ ἐξέρχονται μὲν τοῦ φθινοπώρου ἅμα ταῖς θυννίσιν;* cf. Sostratum apud Athenaeum p. 303.
limosae* vero aut e luto pelamydes incipiunt vocari cum annuum excessere tempus thynni.	p. 571 A 19: *εἰςπλέουσι δὲ τοῦ ἔαρος ἤδη οὖσαι πηλαμύδες.* cf. p. 571 A 11: *δοκοῦσι δ' ἐνιαυτῷ εἶναι πρεσβύτεροι (οἱ θύννοι) τῶν πηλαμύδων.*

Elucet adiecisse Plinium explicationem nominis *πηλαμύς*, quam eandem apud Pauli Festum invenimus p. 207: *pelamys genus piscis dictum quod in luto moretur quod graece dicitur πηλός.* Itaque haec quia Plinius non ipse commentus est, poterant huic loco iam ante eum inici, possunt deberi lectionibus Plini grammaticis. Ceterum volgatae scripturae *limosae vere aut e luto pelamydes incipiunt vocari* praepostere ordinata verba esse moneo; certe sanus quisque ita fere scripsisset: „vere limosae aut e luto pelamydes incipiunt vocari". Unde mediam partem tamquam parenthesin esse sequitur, *limosae* autem illud pro nomine aliquo piscis latino haberi. Quare ita rem expleo: *limosae vere (aut graece, e luto, pelamydes) incipiunt vocari.* — Iam vero iterum multa aliunde indidit Plinius et quidem similia noverant medici-

λολόνθη καὶ σφὴξ· καὶ ταὐτὸ δὲ γένος ἐστὶ καὶ πτερωτὸν καὶ ἄπτερον οἷον μύρμηκές εἰσι eqs. Vide latinum scriptorem et parciorem et tamen adeo certe graeco obsequentem ut pro *ut iuri* restituere plane liceat: *ut iuli*. Id vero temerarie fecit, quod etiam pedibus carere iulos dixit: sunt enim potius multipedes (cf. Aristot. p. 682 B 3). Iam tenes igitur Romani scriptoris indocti interpolationem talem quae absurdum illud *quibusdam ternae* apud Plinium IX 73 (cf. Arist. p. 489 B 24) recte tradi persuadeat quod eicere inde ab Harduino invaluit.

Irasceris quod licentius vel parum docte has res tractasse Trogum Pompeium — modo ne ista de suo Plinius fuerit qui iniceret — arguerimus. Tamen erroris cuiusdam quem commiserit Trogus satis ridiculi testis Plinius videtur XII 7, siquidem hunc quoque locum ex Trogo fluxisse plausibilis Gutschmidi coniectura est. Summopere tamen improbabile dico quod doctus idem erroris crimine Trogum liberaturus in sententia hac:

> Dionysius prior Siciliae tyrannus Regium in urbem transtulit eas (i. e. platanos) domus suae miraculum, ubi postea factum gymnasium; nec potuisse in amplitudinem augescere aut alias fuisse in Italia ac nominatim Hispania apud auctores invenitur

pro *Hispania* male sano non Theophrasto duce scriptum *spanias* fuisse sumpsit, sed *Cispadana*. Parum me si audis feliciter: an forte Italia minus nomen est quam Cispadana? atque num quidquam aliquo loco nominatim esse latine dici ita poterit, ut non ipsius rei, sed loci nomen promittatur? Nihil autem magis perspicuum quam corruptum *aut* esse quod anteit; itaque simul si senseris quam prave et *in amplitudinem augescere* et *alias fuisse in Italia* sententia una constringantur, non poteris non ita sermonem distringere: *nec potuisse in amplitudinem augescere aiunt*; *alias fuisse in Italia ac nominatim spanias apud auctores invenitur*. Scriptum est enim apud Theophrastum IV 5, 6: *ἐν μὲν γὰρ τῷ Ἀδρίᾳ πλάτανον οὔ φασιν εἶναι πλὴν περὶ τὸ Διομήδους ἱερόν· σπανίαν δὲ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ πάσῃ* eqs.

Porro comparentur inter se Plini X 25 et Aristotelis p. 563 B 15 sqq.:

ὁ δὲ κόκκυξ λέγεται μὲν ὑπό τινων ὡς μεταβάλλει ἐξ ἱέρακος διὰ τὸ ἀφανίζεσθαι τὸν ἱέρακα περὶ τοῦ-	Coccyx videtur ex accipitre fieri, tempore anni (eadem vox IX 162, X 80 ne forte *tempore canendi* conicias) figu-

τον τὸν χρόνον ᾧ ὅμοιός ἐστιν· σχεδὸν δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἱέρακας οὐκ ἔστιν ἰδεῖν ὅτε θᾶττον φθέγγεται ὁ κόκκυξ, πλὴν ὀλίγας ἡμέρας· ὁ δὲ κόκκυξ φαίνεται ἐπ' ὀλίγον χρόνον τοῦ θέρους, τὸν δὲ χειμῶνα ἀφανίζεται. ἔστι δ' ὁ μὲν ἱέραξ γαμψώνυχος, ὁ δὲ κόκκυξ οὐ γαμψώνυχος· ἔτι δὲ οὐδὲ τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἔοικεν ἱέρακι, ἀλλ' ἄμφω ταῦτα περιστερᾷ μᾶλλον· ἀλλ' ἢ κατὰ τὸ χρῶμα μόνον προςέοικεν ἱέρακι.

ram mutans quoniam tunc non apparent reliqui nisi perquam paucis diebus. Est autem neque aduncis unguibus solus accipitrum nec capite similis illis neque alio quam colore, *acvitu columbi potius (anne *caeterum columbis potius* legendum dices?).

Pro *quoniam tunc non apparent reliqui* Mayhoffius accuratius scribendum fuisse monuit: *quoniam tunc non apparet accipiter cui similis est neque reliqui apparent* eqs. Tamen ego lacunam non agnosco, sed in brevius contractam sententiam; nam coccygem pro accipitre venditare ausum esse sectatorem Aristotelis testes sunt verba illa iniecta *solus accipitrum*, ita ut vox *reliqui* non habeat quo offendat. Sententiola quae apud Plinium adseritur *mutat autem et vocem* abest ab Aristotele; deinde *procedit vere, occultatur caniculae ortu* ex iis orta sunt quae post *ὀλίγας ἡμέρας* inserta leguntur. Pergitur:

> *Interque parit in alienis nidis maxime palumbium, maiore ex parte singula ova quod nulla alia avis (!), raro bina.

Rescribendum est videlicet *interdumque parit*; nam non paucis Aristotelis verbis omissis ista rursus sumpta ex eo sunt: *ὁ δὲ τίκτει μὲν ἀλλ' οὐ ποιησάμενος νεοττιάν, ἀλλ' ἐνίοτε μὲν ἐν τῇ τῶν ἐλαττόνων ὀρνίθων ἐντίκτει καταφαγὼν τὰ ᾠὰ τὰ ἐκείνων, μάλιστα δ' ἐν ταῖς τῶν φαβῶν νεοττιαῖς, καταφαγὼν καὶ τὰ τούτων ᾠά· τίκτει δ' ὀλιγάκις μὲν δύο, τὰ δὲ πλεῖστα ἕν.* Iam vero quo studio diversus Aristotelis locus inmisceatur attendamus. Quod enim pergit Plinius:

> Causa pullos subiciendi putatur quod sciat se invisam cunctis avibus. Nam minutae quoque infestant. Ita non fore tutam generi suo stirpem opinatur ni fefellerit,

> quare nullum facit nidum *alioqui trepidum animal.
> Educat ergo subditum adulterato feta nido,

habet Aristoteles in p. 618 A 25: *δοκεῖ δ' ὁ κόκκυξ φρόνιμον ποιεῖσθαι τὴν τέκνωσιν. διὰ γὰρ τὸ συνειδέναι αὑτῷ τὴν δειλίαν καὶ ὅτι οὐκ ἂν δύναιτο βοηθῆσαι, διὰ τοῦτο ὥςπερ ὑποβολιμαίους ποιεῖ τοὺς ἑαυτοῦ νεοττοὺς ἵνα σωθῶσιν. τὴν γὰρ δειλίαν ὑπερβάλλει τοῦτο τὸ ὄρνεον· τίλλεται γὰρ ὑπὸ τῶν μικρῶν ὀρνέων καὶ φεύγει αὐτά.* Et v. 12: *ἀλλ' ἐν οὗ ἂν τέκῃ νεοττιᾷ οὗτος ὄρνις ἐκκολάπτει καὶ τρέφει.* Apud Plinium quia etiamsi *et alioqui* inferas sensus parum iuvatur, sequamur Aristotelem fere ita velim: *Adeo quippe trepidum animal.* Porro iis quae supersunt fabula fit doctrina Aristotelis:

> Ille avidus ex natura praeripit cibos reliquis pullis itaque pinguescit et nitidus in se nutricem convertit; illa gaudet eius specie miraturque sese ipsam quod talem pepererit. Suos comparatione eius damnat ut alienos absumique etiam se inspectante patitur donec corripiat ipsam quoque iam volandi potens.

Aristoteles enim varias componere sententias satis habet p. 618 A 13 sqq.: aut ab ave feta pullos suos eici vel interfici quippe magis ea gaudente cuculi specie, aut a parvulo cuculo aviculae devorari pullos, aut potius cibum praeripi ab eo ita ut fame reliqui intereant. At vero voce *pinguescit* scriptor latinus ad Aristotelis locum revertitur priorem, ubi est p. 563 A 3: *γίνεται δὲ πίων*, itemque ea Plini sententia qua de cuculo disputatio clauditur: *nulla tunc avium suavitate carnis comparatur illi*, idem iste locus repetitur qui est: *γίνεται δὲ πίων καὶ ἡδύκρεως κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν μάλιστα.* Ars aperta, apertum studium elegantiae quo in artum collecta Aristotelis volumina sint.

Examinetur eiusdem Plini libri etiam § 32: *Corvi pariunt cum plurimum quinos;* Aristoteles p. 618 B 13 ita: *τίκτει δ' ὁ κόραξ καὶ τέτταρα καὶ πέντε.* Deinde vero:

> ore eos parere aut coire vulgus arbitratur ideoque gravidas si ederint corvinum ovum per os partum reddere atque in totum difficulter parere si tecto inferantur; Aristoteles negat: non hercule magis quam in Aegypto ibim; sed illam exosculationem quae saepe cernitur qualem in columbis esse,

ista ecce omnia longe adportata ex libro de gener. anim. III sunt p. 756 B 13—25 praeterquam quod ibi nunc deest illud *difficulter parere si tecto inferantur*; idque librariis intercidisse veri simillimum est praesertim cum v. 22 monedularum mentio adsit quae mansuetae alantur. Tum vero apud Plinium reducimur ad p. 618 B 13: *περὶ δὲ τοὺς χρόνους ἐν οἷς ἀπώλοντο οἱ Μηδίου ξένοι ἐν Φαρσάλῳ, ἐρημία ἐν τοῖς τόποις τοῖς περὶ Ἀθήνας καὶ Πελοπόννησον ἐγένετο κοράκων ὡς ἐχόντων αἴσθησίν τινα τῆς παρ' ἀλλήλλων δηλώσεως*: ita ut dubitari quidem possit num forte Plini illa *cum gluttiunt vocem* eqs. apud Aristotelem perierint, ineptia autem inculcatum apertissima a latino videatur interprete: *in auspiciis solus*. Sed etiam in Plini § 31 locus graecus idem (v. 9 sqq.) respicitur et quidem verbis his: *pellunt nidis pullos ac volare cogunt corvi; fetuus suos fugant longius*. Quid vero deinceps? graeca *ἐν τοῖς μικροῖς χωρίοις . . . δύο μόνοι γίνονται* mirum in modum ita latine enuntiantur: *parvis in vicis non plus bina coniugia sunt*! Itaque correctores Plinio aut *una coniugia* dabant aut *binum coniugium* aut *bini coniugio* quae stare nimirum omnia nequeunt: quasi non facillime hic quoque ut Aristotelis sermo mutilaretur accidere potuerit; et quasi non adsit etiam vestigium aliquod lacunae in manuscriptis iis qui exhibent pro *δύο μόνοι γίνονται* potius *δύο μὲν οἷον γίνονται*; tueris ecce qua ratione hiatus nascatur primum, postea consuatur exemplum; legebatur fere: *δύο μὲν οἷον ἐν Κραννῶνι, τὰ δὲ πλεῖστα τέτταρες γίνονται*. Denique vero apud Plinium etiam ad librum de Mirab. Auscultat. pellimur verbis: *genitores suboli loco cedunt*; nam Ar. p. 842 B 10 et Crannonii corvi adsunt et ipsa haec sententia, cum contra loco eici pulli dicantur in pagina Aristotelis 618 prius respecta B 11.

At in Plinio hiatus lectionis manifestus est IX 74; nam in sententia qualis editur: *durant* (*anguillae*) *et sine aqua senis diebus aquilone spirante, austro paucioribus. At hiemem eaedem in exigua aqua non tolerant* ne rem narratam castigemus, destituta sensu est particula *at*; neque *hiemem* potius traditur quam *hieme*; quare inspecto Aristotelis loco eo qui praeclare hic repetitur p. 592 A 16—23 haec fere nanciscimur: *Durant . . . austro paucioribus. Aestate transferri in vivaria non possunt, at hieme. Eaedem in exigua aqua non tolerant.* Tolerandi enim verbum etiam absolutum usurpari ab accusativo notum est.

Sed locum evolvamus ampliorem Plini IX 161 ut qua lege excerptus Aristoteles sit clarius compareat:

Piscium diversa genera non coeunt praeter squatinam et raiam ex quibus nascitur priore parte raiae (posteriore squatinae: haec quippe ab hoc loco non abesse potuisse vel sermo clamat) similis et nomen ex utroque compositum apud Graecos trahit.	Ar. 566 A 28 sqq.: τῶν μὲν οὖν ἄλλων ἰχθύων ... ῥίνη δὲ δοκεῖ (συνδυάζεσθαι) ... καὶ βάτος. ἔστι γάρ τις ἰχθὺς ὃς καλεῖται ῥινόβατος· ἔχει μὲν γὰρ κεφαλὴν καὶ τὰ ἔμπροσθεν βάτου τὰ δ' ὄπισθεν ῥίνης ὡς γινόμενος ἐξ ἀμφοτέρων τούτων.

Inserit exinde Plinius pluscula pauca quae apud Aristotelem non sunt et quae de piscibus falso accipi et voce *quaedam* evincitur (nam pisces *quidam* dicerentur) et eo quod postea lupo trichiaeque *piscium* genetivus adponitur; sed talia haec sunt quae etiam in terra occurrant; quare legendum: *Quaedam tempore anni gignuntur et in humore, ut in terra: vermes pectines limaces hirudines; eadem tempore evanescunt.* Tum vero ad aliud Aristotelis caput procurritur:

Piscium lupus et trichias bis anno parit et saxatiles omnes; mulli ter (haec lectio Aristoteles comprobat quam falso reiecta a viris doctis sit)	p. 543 A 3 sqq.: ὁ λάβραξ· οὗτος δὲ δὶς τούτων μόνος (sc. τίκτει), γίνεται δ' ὁ τόκος αὐτῷ ὁ ὕστερος ἀσθενέστερος. καὶ ὁ τριχίας δὲ καὶ τὰ πετραῖα δίς, ἡ δὲ τρίγλη μόνη τρίς. τεκμαίρονται δ' ἐκ τοῦ γόνου· τρὶς γὰρ φαίνεται ὁ γόνος περί τινας τόπους.
ut chalcis; cyprini sexiens;	p. 568 A 18: χαλκὶς δὲ τίκτει τρὶς et A 16: τίκτουσι δ' ἐν τῇ καθηκούσῃ ὥρᾳ κυπρῖνος μὲν πεντάκις ἢ ἑξάκις.

Itaque consilio scito non *mulli soli ter* scriptum est sed *mulli ter*: nempe invenerat interpres alio loco etiam chalcin ter parientem; iam igitur inde chalcin particula *ut* aliena ea a tota hac enumeratione huc adseruit, simul indidem cyprinum ut adoptaret. Atque ita ille qui nihil fere intendebat nisi res varias ex Aristotele congerere. Plinius vero si Aristotelem ita contra se ipsum pugnantem accurata lectione ac docto studio comperisset, nullus dubito quin peccatum summi viri a se detectum ostentaturus fuerit.

scorpiones (ita scribendum,	p. 543 A 7: ὁ δὲ σκορπίος

cf. p. 182) bis ac sargi, (intolerabilis *ac* vocula erit nisi ita mecum interpunxeris id quod graecis firmatur) vere et autumno;

τίκτει δίς· τίκτει δὲ καὶ ὁ σάργος δίς, ἔαρος καὶ μετοπώρου, ἡ δὲ σάλπη μετοπώρου ἅπαξ. Salpa hic apud Plinium omittitur infra quippe memorata.

De thynnidis partu locus Ar. v. 9 sq. a Plinio omittitur nisi quod eius finis exhibetur § 47.

ex planis squatina bis sola, autumno et (*et* male excidit) occasu vergiliarum;

v. 14: *τῶν δὲ σελαχῶν ἡ ῥίνη μόνη τίκτει δίς· τίκτει γὰρ καὶ ἀρχομένου τοῦ φθινοπώρου καὶ περὶ Πλειάδος δύσιν.* cf. p. 566 A 20.

plurimi piscium tribus mensibus Aprili Maio Iunio; salpae autumno; sargi torpedo squali circa aequinoctium (aut excidit *autumnale* aut summae neglegentiae incusandus Plinius est);

p. 543 B 7: *τίκτουσι δ' οἱ πλεῖστοι τῶν ἰχθύων ἐν μησὶ τρισί, Μουνυχιῶνι Θαργηλιῶνι Σκιρροφοριῶνι. μετοπώρου δ' ὀλίγοι οἷον σάλπη· καὶ σάργος καὶ νάρκη καὶ ῥίνη* (ita enim utpote traicienda verba ne comparato quidem Plinio) *καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα μικρὸν πρὸ ἰσημερίας τῆς φθινοπωρινῆς*

molles vere; saepia omnibus mensibus;

p. 544 A 1: *τίκτει δὲ καὶ τὰ μαλάκια τοῦ ἔαρος καὶ ἐν τοῖς πρώτοις τίκτει τῶν θαλαττίων ἡ σηπία. τίκτει δὲ πᾶσαν ὥραν· ἀποτίκτει δ' ἐν ἡμέραις πέντε καὶ δέκα·*

ova eius glutino atramenti ad speciem uvae cohaerentia masculus prosequitur adflatu; alias sterilescunt;

ὅταν δὲ τέκῃ τὰ ᾠά, ὁ ἄρρην παρακολουθῶν καταφυσᾷ τὸν θολόν, καὶ γίνεται στιφρά. Non satis intellexerat haec latinus. Atque etiam voce *sterilescunt* efficitur ut corruptelarum exemplum perexquisitum detegamus in Aristotele iam tum obtinentium: plane enim pro *στι-*

φρά legebatur στέριφα; ideo particulae καὶ latine substitutum est *alias*. Veram lectionem Athenaeus tenebat p. 323F. Similiter Ar. p. 631 A 13 pro ἁλιεὺς legebatur βασιλεὺς (cf. Montigny p. 67), et p. 622 A 30 οὐκ ἐλάττον' ἐνίοτε cf. Plin. IX 54: *crebro delphini magnitudinem excedenti.*

(Haec iterum omissa consilio videntur quippe iam § 84 lecta et quidem ita: *saepiarum generi mares* magis *varii et nigriores*.)

ἔστι δὲ ὁ ἄρρην ποικιλώτερος καὶ μελάντερος τὸν νῶτον

polypi hieme coeunt, pariunt vere ova tortili vibrata pampino,

p. 544 A 7: *ὁ δὲ πολύπους ὀχεύεται τοῦ χειμῶνος, τίκτει δὲ τοῦ ἔαρος ὅτε καὶ φωλεύει περὶ δύο μῆνας· τίκτει δὲ τὸ ᾠὸν καθάπερ βοστρύχιον ὅμοιον τῷ τῆς λευκῆς καρπῷ. ἔστι δὲ πολύγονον τὸ ζῷον· ἐκ γὰρ τοῦ ἀποτικτομένου ἄπειρον γίνεται πλῆθος.*

tanta fecunditate ut multitudinem ovorum *occisi non recipiant cavo capitis quo praegnantes tulere. (Itaque scriptor latinus et parietes specuum et vasculum omissurus rem leniter immutavit. Tamen *occisi* omni sensu destitutum est; flagitatur *enisi*).

p. 550 A 1: *τὸ δὲ πλῆθος ἔχει τοσαῦτα ᾠὰ ὥστ' ἐξαιρεθέντων ἐμπίμπλαται ἀγγεῖον πολλῷ μεῖζον τῆς κεφαλῆς ἐν ᾗ ἔχει* (potius *εἶχε*) *τὰ ᾠά.*

Ea excludunt quinquagesimo die, e quibus multa propter numerum intercidunt.

τὰ μὲν οὖν τῶν πολυπόδων μεθ' ἡμέρας μάλιστα πεντήκοντα γίνεται ἐκ τῶν ἀπορραγέντων πολυπόδια· ὧν ἡ μὲν καθ' ἕκαστα φύσις τῶν μελῶν οὔπω διάδηλος, ἡ δ' ὅλη μορφὴ φανερά. διὰ δὲ τὴν μικρότητα καὶ τὴν ἀσθένειαν

φθείρεται τὸ πλῆθος αὐτῶν.

Locustae et reliqua tenuioris crustae ponunt ova super ova atque ita incubant. (Paucis his ut par erat laboriosa Aristotelis doctrina adumbratur. Tamen illud *super ova* nimium festinantem prodit; nisi quod medela perquam leni crimen tolletur, ita: *ponunt ova specie uvae*).

p. 549 A 20: τὸ μὲν οὖν ᾠὸν γίνεται ψαθυρὸν τῶν καράβων, διῃρημένον εἰς ὀκτὼ μοίρας ..... καὶ τὸ ὅλον γίνεται οἷον βότρυς· σχίζεται γὰρ ἕκαστον εἰς πλείω τῶν χονδρωδῶν ... A 32: αὐτὰ μὲν οὖν τὰ ἐκ τοῦ πλαγίου οὐ δύναται συμπεριλαμβάνειν, τοῦ δὲ ἄκρου (κέρκου?) προςεπιτεθέντος καλύπτει πάντα καὶ γίνεται τοῦτ᾽ αὐτοῖς οἷον πῶμα eqs.

Polypus femina modo in ovis sedet, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. Saepia in terreno parit inter arundines aut sicubi enata alga;

p. 550 B 4: ὁ δὲ πολύπους ὁ θῆλυς ὁτὲ μὲν ἐπὶ τοῖς ᾠοῖς ὁτὲ δ᾽ ἐπὶ τῷ στόματι προκάθηται τῆς θαλάμης τὴν πλεκτάνην ἐπέχων· ἡ δὲ σηπία πρὸς τὴν γῆν ἐκτίκτει περὶ τὰ φυκία καὶ τὰ καλαμώδη κἄν τι ᾖ τοιοῦτον ἐκβεβλημένον οἷον ὕλη. Hic quae de partu sepiae adduntur neglecta sunt deferimurque iam rursus

excludit quinto decimo die.

ad p. 544 A 3: ἀποτίκτει δ᾽ ἐν ἡμέραις πέντε καὶ δέκα. Deinde reditur ad

Loligines in alto conserta ova edunt ut sepiae. (Parum caute haec conformata ita sunt quasi etiam sepia in alto pareret).

p. 550 B 12: αἱ δὲ τευθίδες πελάγιαι ἀποτίκτουσι· τὸ δ᾽ ᾠὸν ὥςπερ ἡ σηπία ἀποτίκτει συνεχές. Deinde ad

Purpurae murices eiusdemque generis vere pariunt;

p. 544 A 15: γίνονται δὲ καὶ αἱ πορφύραι περὶ τὸ ἔαρ καὶ οἱ κήρυκες λήγοντος τοῦ χειμῶνος· καὶ ὅλως τὰ ὀστρακόδερμα ἔν τε τῷ ἔαρι φαίνεται τὰ καλούμενα ᾠὰ

echini ova pleniluniis habent, hieme. (Qua lege ita deformari sententia potuerit non assequor corrigoque *quidam hieme*).

ἔχοντα καὶ ἐν τῷ μετοπώρῳ, πλὴν τῶν ἐχίνων τῶν ἐδωδίμων· οὗτοι δὲ μάλιστα μὲν ἐν ταύταις ταῖς ὥραις (hoc est vere et autumno), οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀεὶ ἔχουσι καὶ μάλιστα ταῖς πανσελήνοις καὶ ταῖς ἀλεειναῖς ἡμέραις, πλὴν τῶν ἐν τῷ εὐρίπῳ τῶν Πυρραίων· ἐκεῖνοι δὲ* ἀμείνους τοῦ χειμῶνος· εἰσὶ δὲ

et cocleae hiberno tempore nascuntur (itaque τὴν αὐτὴν ὥραν satis ea obscura latinus interpres ad hiemem traxit, cum tamen rectius verteretur: „etiam cocleae eodem omnes veris tempore praegnantes videntur“, simul ille facili errore pro κύοντες legere ratus τίκτοντες).

μικροὶ μέν, πλήρεις δὲ τῶν ᾠῶν· κύοντες δὲ φαίνονται καὶ οἱ κοχλίαι πάντες ὁμοίως τὴν αὐτὴν ὥραν. Errorum exemplum insigne ἀμείνους est; desidero ἐκεῖνοι δὲ ἀεὶ μὲν οὐ (μάλιστα δὲ) τοῦ χειμῶνος.

Deinde sermo Plini ad torpedinem et ad Aristotelis locum plane diversum p. 565 B 24 deflectit. Quae missa hic sunto; magis enim tibi examinandum hunc locum commendo qui est IX 44 sqq:

Praecipua magnitudine thynni. Invenimus talenta XV pependisse vetustum, caudae latitudinem duo (!) cubita et palmam. (In quibus *vetustum* illud quod abesse non posse vel sermo rectus efficit si forte ex *eiusdem* quod in codicibus est elicere dubitabis, ruinam aliam qualemcunque traxisse statuas necesse erit).

p. 607 B 32: ἤδη δ' ἐλήφθη γέρων θύννος οὗ σταθμὸς μὲν ἦν τάλαντα πεντεκαίδεκα, τοῦ δ' οὐραίου τὸ διάστημα πέντε (! at δύο cod. C[a]; itaque huius lectiones interpres latinus et hic secutus est et alibi quod ostendimus supra p. 141 et 134, infra p. 150) πήχεων καὶ σπιθαμῆς. Deinde postquam de magnis piscibus Plinius attulit quae aliundene acceperit an suis potius ipsius itineribus didicerit nescimus, in § 47 procedit ad Aristotelis

Thynni mares sub ventre non habent pinnam.	p. 543 A 12: *διαφέρει δ' ὁ θύννος ὁ ἄρρην τοῦ θήλεος ὅτι ἡ μὲν ἔχει ὁ δ' οὐκ ἔχει ὑπὸ τῇ γαστρὶ πτερύγιον.* Deinde
Intrant e magno mari Pontum verno tempore, gregatim.	p. 598 A 26: *θυννίδες δὲ καὶ πηλαμύδες καὶ ἄμιαι εἰς τὸν Πόντον ἐμβάλλουσι τοῦ ἔαρος καὶ θερίζουσιν . . . εἰσὶ δ' οἱ πλεῖστοι ἀγελαῖοι.* Deinceps
Nec alibi fetificant.	p. 543 B 3: *αἱ δὲ πηλαμύδες καὶ οἱ θύννοι τίκτουσιν ἐν τῷ Πόντῳ, ἄλλοθι δ' οὔ.* Tum
Cordyla appellatur partus qui fetas redeuntes in mare autumno comitatur;	p. 571 A 16: *γίνονται ἐκ τοῦ ᾠοῦ ἃς καλοῦσιν οἱ μὲν σκορδύλας, Βυζάντιοι δὲ αὐξίδας διὰ τὸ ἐν ὀλίγαις αὐξάνεσθαι ἡμέραις, καὶ ἐξέρχονται μὲν τοῦ φθινοπώρου ἅμα ταῖς θυννίσιν;* cf. Sostratum apud Athenaeum p. 303.
limosae* **vero aut** e luto **pelamydes incipiunt vocari et cum annuum excessere tempus thynni.**	p. 571 A 19: *εἰσπλέουσι δὲ τοῦ ἔαρος ἤδη οὖσαι πηλαμύδες.* cf. p. 571 A 11: *δοκοῦσι δ' ἐνιαυτῷ εἶναι πρεσβύτεροι (οἱ θύννοι) τῶν πηλαμύδων.*

Elucet adiecisse Plinium explicationem nominis *πηλαμύς*, quam eandem apud Pauli Festum invenimus p. 207: *pelamys genus piscis dictum quod in luto moretur quod graece dicitur πηλός.* Itaque haec quia Plinius non ipse commentus est, poterant huic loco iam ante eum inici, possunt deberi lectionibus Plini grammaticis. Ceterum volgatae scripturae *limosae vere aut e luto pelamydes incipiunt vocari* praepostere ordinata verba esse moneo; certe sanus quisque ita fere scripsisset: „vere limosae aut e luto pelamydes incipiunt vocari“. Unde mediam partem tamquam parenthesin esse sequitur, *limosae* autem illud pro nomine aliquo piscis latino haberi. Quare ita rem expleo: *limosae vere (aut graece, e luto, pelamydes) incipiunt vocari.* — Iam vero iterum multa aliunde indidit Plinius et quidem similia noverant medici-

narum auctores, cf. Athenaei p. 315 et 375. Tum vero ad eandem paginam Aristotelis iterum relabi tractatum videmus § 49:

Piscium genus omne praecipua celeritate adolescit, maxime in Ponto;	p. 571 A 20: σχεδὸν δὲ καὶ οἱ ἄλλοι (praeter cordylas; cf. 543 A 30) πάντες ἰχθύες ταχεῖαν λαμβάνουσι τὴν αὔξησιν, πάντες δ' ἐν τῷ Πόντῳ θᾶττον. Tum aberratur ad
causa multitudo amnium dulces inferentium aquas.	p. 601 B: pisces aquae amare multitudinem imbresque adolescendi gratia: σημεῖον δὲ καὶ τὸ τοὺς πλείστους τῶν ἰχθύων εἰς τὸν Πόντον ἐκτοπίζειν θεριοῦντας· διὰ γὰρ τὸ πλῆθος τῶν ποταμῶν γλυκύτερον τὸ ὕδωρ (minus respicitur p. 598 B 5).
Amiam vocant cuius incrementum singulis diebus intellegitur.	p. 571 A 22: παρ' ἡμέραν γὰρ καὶ αἱ ἀμίαι πολὺ ἐπιδήλως αὔξονται. Sequitur iterum p. 598 A 27 qui locus iam ad § 47 init. adhibitus fuit:
Cum thynnis haec et pelamydes in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim, suis quaeque ducibus,	θυννίδες δὲ καὶ πηλαμύδες καὶ ἀμίαι εἰς τὸν Πόντον ἐμβάλλουσι .... εἰσὶ δὲ οἱ πλεῖστοι ἀγελαῖοι. ἔχουσι δ' οἱ ἀγελαῖοι ἡγεμόνας πάντες, εἰςπλέουσι δ' εἰς τὸν Πόντον διά τε τὴν τροφήν, ἡ τροφὴ γὰρ πλείων καὶ βελτίων διὰ τὸ πότιμον, eqs.
et primi omnium scombri. (Hac occasione data duae interponuntur sententiolae et de colore scombri et de eius captura quibus contrarius Polybius est apud Athen. p. 302 C in Iberia thynnos esse attestans. Sequuntur:)	p. 597 A 22: ποιεῖται δ' ἀεὶ τὰ ἀσθενέστερα πρῶτα τὴν μετάστασιν καθ' ἑκατέραν τὴν ὑπερβολήν, οἷον οἱ σκόμβροι τῶν θύννων.
Sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica	p. 598 B 1: καὶ τὰ θηρία δὲ τὰ μεγάλα (an τὰ ὠμοφάγα?)

praeter vitulos et parvos delphinos. (Atque in his ni egregie aures me fallunt proprio sensu caret *sed* particula; scribendum saltem fuit: „sed malefica piscibus bestia nulla in Pontum intrat" atque ita fere Trogum scripsisse credo — modo quid credi in tanta rei subtilitate concedatur —, inversionem autem satis ineptam institutam a Plinio esse ut Hispaniae Pontus opponeretur).

ἐλάττω· ἔξω γὰρ δελφῖνος καὶ φωκαίνης οὐδέν ἐστιν ἐν τῷ Πόντῳ· καὶ ὁ δελφὶς μικρός.

Thynni dextera ripa intrant, exeunt laeva. Id accidere existimatur quia dextro oculo plus cernant, utroque natura hebeti.

p. 598B 19: *εἰςπλέουσι δ' οἱ θύννοι ἐπὶ δεξιὰ ἐχόμενοι τῆς γῆς, ἐκπλέουσι δ' ἐπ' ἀριστερά. τοῦτο δέ φασί τινες ποιεῖν ὅτι τῷ δεξιῷ ὀξύτερον ὁρῶσι, φύσει οὐκ ὀξὺ βλέποντες.* Satis mire haec ultima adiciuntur libenterque restitues: *φύσει οὐδετέρῳ ὀξὺ βλέποντες.* Hebetiorem laevum esse Aristoteles apud Athen. docet p. 303 C et 301 E.

Iam post narratiunculam de re tali qualis fere apud Athen. illustratur Hegesandri fragmento p. 334 E sq. pergitur:

Opperiuntur autem aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeant e Ponto.

p. 598B 8: *ἂν μὲν οὖν νότιος ὁ χειμὼν ᾖ, βραδύτερον ἐκπλέουσιν, ἂν δὲ βόρειος, θᾶττον διὰ τὸ τὸ πνεῦμα συνεπουρίζειν.* Hoc loco Aristotelis verba apud Plinium emendatiora asservari et scriptum fuisse: *διὰ τὸ τὸ ῥεῦμα συνεπουρίζειν* (cf. Strabonis p. 143 init. *ἐπουρίζοντος τοῦ πελάγους καθάπερ τοῦ ποταμίου ῥεύματος*) et oculatus et caecus videbit.

Nec nisi intrantes portum

καὶ ὁ γόνος δὲ τότε μικρὸς

Byzantium capiuntur. (An ita pessumdedisse magis Trogum verba Aristotelis credes aut Trogi Plinium? quasi enim capi relinquentes portum pisces minus possint. Reficio: *Nec nisi parvi, intrantes portum Byzantium, capiuntur*).

ἁλίσκεται περὶ Βυζάντιον ἅτ' οὐ γενομένης πολλῆς ἐν τῷ Πόντῳ διατριβῆς.

Bruma non vagantur. Ubicunque deprehensi usque ad aequinoctium ibi hibernant. (Ecce error; scribendum fuit: *ubicunque deprehensi, ibi hibernant usque ad aequinoctium.* Iam absoluto quodam de thynnis pompilisque excursu (quae brevius Clitarchus apud Athen. p. 284 D, fusius Aelianus II 15) pergitur:)

p. 598 B 25: λέγουσι δέ τινες τῶν περὶ τὴν θάλατταν ὡς ὅταν τροπαὶ χειμεριναὶ γίνωνται, οὐκέτι κινοῦνται ἀλλ' ἡσυχάζουσιν, ὅπου ἂν τύχωσι καταληφθέντες, μέχρι ἰσημερίας.

Multi in Propontide aestivant, Pontum non intrant. (Nomen coliarum non desideratur; nisi forte scribi males: *Coliarum plurimi*; immo quia ad genus idem et thynni et coliae pertinent, alteri pro alterorum parte accipiuntur. Atque iam facere scriptor non potest quin adnotet aquatilia quae praeterea in Ponto aut adesse aut abesse invenerit, quae non Aristotelis videntur esse pugnantque contra eum, sicut de loligine cf. p. 606 A 10. Differt etiam Aelianus XVII 10. Tum vero legitur:)

p. 598 A 24: τῶν δὲ κολιῶν οἱ πολλοὶ εἰς μὲν τὸν Πόντον οὐκ ἐμβάλλουσιν, ἐν δὲ τῇ Προποντίδι θερίζουσι καὶ ἐκτίκτουσι

Omnia autem hibernant in Aegaeo;

p. 598 A 25: χειμάζουσι δ' ἐν τῷ Αἰγαίῳ. Hinc varia librorum lectio ἐν τῷ Αἰγιαλῷ ad quam perversum contortumque Aeliani caput X 6 advocant satis superque confutatur.

intrantium Pontum soli non

p. 598 B 12: οἱ δὲ τριχίαι.

remeant trichiae sed hi soli in Histrum e mari (codd. *mare*) subeunt et ex eo subterraneis eius venis in Hadriaticum mare defluunt; itaque et illic descendentes nec unquam subeuntes e mari visuntur. (Etiam *visuntur* pro *capiuntur* duce positum arbitror Aristotele qui antea ἐκπλέοντες δ' οὐχ ὁρῶνται; plane eadem ratione dicitur Plin. VIII 126 *videre ursam* pro *cepere* cf. Arist. p. 600 B 6. Ferendum vero non est deinceps quod legitur *et illic* cuius loco *illic contra* ipsa sententia expostulat; quod si ad compendii abusum refugimus huius *e c.*, ita complanatur res: *Itaque e contrario illic descendentes nec unquam subeuntes e mari visuntur*).

μόνοι εἰςπλέοντες μὲν ἁλίσκονται, ἐκπλέοντες δ' οὐχ ὁρῶνται, ἀλλὰ καὶ ὅταν ληφθῇ τις περὶ Βυζάντιον, οἱ ἁλιεῖς τὰ δίκτυα περικαθαίρουσι διὰ τὸ μὴ εἰωθέναι ἐκπλεῖν. αἴτιον δ' ὅτι οὗτοι μόνοι ἀναπλέουσιν εἰς τὸν Ἴστρον, εἶθ' ᾗ σχίζεται καταπλέουσιν εἰς τὸν Ἀδρίαν, ἐκπλέοντες δ' ἁλίσκονται. Recte tradi ᾗ σχίζεται firmatur simili loco in Mirab. Ausc. p. 839 B 10; tamen latinus interpres subterraneas venas memorans legisse aliud videtur; nimirum Plinius idem III 127 sq. aliis obtemperans in Adriaticum mare ab Istro nullum duci alveum agnoverat. Certe non dissimile veri dixerim quasi variam lectionem tunc obtinuisse ᾗ βυθίζεται.

Thynnorum captura est a vergiliarum exortu ad arcturi occasum.

p. 599 B 10: καὶ ἄρχονται θηρεύεσθαι (οἱ θύννοι) ἀπὸ Πλειάδος ἀνατολῆς μέχρι Ἀρκτούρου δύσεως τὸ ἔσχατον.

Reliquo tempore hiberno latent in gurgitibus imis nisi tepore aliquo evocati aut pleniluniis.

τὸν δ' ἄλλον χρόνον ἡσυχίαν ἔχουσι φωλοῦντες· ἁλίσκονται δ' ἔνιοι περὶ τὸν χρόνον τῆς φωλείας καὶ τούτων καὶ τῶν ἄλλων τινὲς τῶν φωλούντων κινούμενοι ἂν ἀλεεινὸς ᾖ ὁ τόπος καὶ ἐπιγίνωνται εὐδίαι παράλογοι· ἀπὸ γὰρ τῆς θαλάμης προέρχονται μικρὸν ἐπὶ νομήν· καὶ τοῖς πανσελήνοις.

Iam quibus apud Aristotelem ibidem pergitur εἰσὶ δ' οἱ πολλοὶ

φωλοῦντες ἥδιστοι haec transcribere interpres supersedit similis loci recordatus Ar. p. 571 A 7 eumque rettulit hunc in modum:

pinguescunt, et in tantum ut dehiscant; vita longissima his bienni.	διαρρήγνυνται δὲ καὶ οἱ θύννοι ὑπὸ τῆς πιμελῆς· ζῶσι δ' ἔτη δύο.

Deinde vero ad Ar. p. 602 A 27 sermo declinat: quam fabulam miror non sic induci a Plinio: *Asilus animal est parvum* eqs.

Iam vero sistamus pedem; nam in infinitum expandi ista poterunt neque tamen nos infinita molimur. Id vero satis iam perspectum habebis caute edi Plinium non posse nisi ad verbum cum auctoribus suis quatenus exstant comparatum; veluti etiam ad adornanda verba IX 58: *fluviatilium silurus caniculae exortu sideratur et alias semper fulgure sopitur; hoc et in mari accidere cyprino putant* Aristotelis legisse verba interest p. 602 B 20 sqq.: τοῖς δὲ ποταμίοις καὶ λιμναίοις .... ἴδια νοσήματα ἐμπίπτει οἷον γλάνις ὑπὸ κύνα μάλιστα διὰ τὸ μετέωρος νεῖν ἀστροβλής τε γίνεται καὶ ὑπὸ βροντῆς νεανικῆς καροῦται. πάσχει δέ ποτε τοῦτο καὶ κυπρῖνος, ἧττον δέ; itaque illud quod est *in mari* quod graece non exprimitur bene est, neque enim poterat scribi ab illo qui cyprinum decantabat non pelagium sed fluviatilem. Acutioribus renascentur ni fallor: *hoc et interim accidere cyprino putant*; scitur enim *interim* pro *interdum* istis placuisse scriptoribus; nolo autem iterare quae de hoc loco Montigny p. 68 coniectavit, cyprini illam atque Homeri virtutem affectans.

Exstat autem ipsius Trogi fragmentum aliquod copiosius apud Plinium XI 274; quod qui accurate cum Aristotele contenderit eandem fere exprimendi graeca et comprimendi rationem qualem modo apud Plinium valere demonstravimus agnoscere debebit; incipit autem esse μετωποσκόπος:

Frons quibus (*ubi* codices quod exstirpare indigne haesitarunt editores) est magna, segnem animum subesse significat;	p. 491 B 2: τοῦτο δὲ (τὸ μέτωπον) οἷς μὲν μέγα, βραδύτεροι
quibus parva, mobilem;	οἷς δὲ μικρόν, εὐκίνητοι.
(*quibus plana, furiosum*; haec enim aut ipsius Plini celeritate aut amanuensis praetermissa esse non dissimile veri est).	καὶ οἷς μὲν πλατύ, ἐκστατικοί

quibus rotunda iracundum velut hoc vestigio tumoris apparente; (non ita sonant ultima haec quasi ab Aristotele orta non sint, nisi quod sensu ridicule destituitur illud *velut hoc*; conicio: *velocius vestigio tumoris apparente*; apparent quippe tumentque venae temporum. Pergitur):	*οἷς δὲ περιφερές, θυμικοί*
Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant; quibus iuxta nasum flexa sunt, austeros;	*ὑπὸ δὲ τῷ μετώπῳ ὀφρύες διφυεῖς· ὧν αἱ μὲν εὐθεῖαι μαλακοῦ ἤθους σημεῖον αἱ δὲ πρὸς τὴν ῥῖνα τὴν καμπολότητ᾽ ἔχουσαι στρυφνοῦ*
quibus iuxta tempora inflexa, derisores; quibus in totum demissa, malivolos et invidos.	*αἱ δὲ πρὸς τοὺς κροτάφους μωκοῦ καὶ εἴρωνος αἱ δὲ κατεσπασμέναι φθόνου.*
Oculi quibuscunque sunt longi maleficos moribus esse indicant (propter hunc maxime locum Gutschmidius l. l. p. 186 neglegentiae Trogum accusavit: dicendum enim pro *oculi* fuisse *oculorum anguli.* Vereor ne neglegentiae doctissimus vir accusari ipse possit. Videre poterat corruptelam. Nam ne premam *quibus* expectari pro *quibuscunque*, Gutschmidius legere fortasse sibi videbatur: *oculi quicunque longi.* Nunc vero insana audimus: homines quibus oculi longi sunt indicant maleficos Atque iam delitescere amplius verum non poterit: *Oculi quibus anguli sunt longi* eqs.)	*ὑφ᾽ αἷς ὀφθαλμοί· οὗτοι κατὰ φύσιν δύο· τούτων μέρη* quae sint exponitur; exponitur quid sit *κόρη* quid *μέλαν* quid *λευκόν,* denique quid *κανθοί. οἳ* (h. e. *οἱ κανθοὶ) ἂν μὲν ὦσι μακροὶ κακοηθείας σημεῖον*
Qui carnosos a naribus	*ἐὰν δ᾽ οἷον οἱ κτένες κρεῶ-*

angulos habent malitiae notam praebent.	δες ἔχουσι τὸ πρὸς τῷ μυκτῆρι, πονηρίας. Hinc autem transilitur ad
Candida pars extenta notam impudentiae habet; qui identidem operire solent, inconstantiae. (Iterum miro modo falsum video Gutschmidium qui l. l. quod pars oculi candida impudentiae nota a Trogo dicitur, pugnare id ait contra hoc iudicium Aristotelis: ὀφθαλμοῦ δὲ τὸ μὲν λευκὸν ὅμοιον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πᾶσιν. Pondus vero sententiae positum in voce *extentam* est qua Trogus graecae vocis ἀτενεῖς etiam ipsum quod etymon dicunt curiose imitatus est).	p. 492 A 10: καὶ ἢ σκαρδαμυκτικοὶ ἢ ἀτενεῖς ἢ μέσοι· βελτίστου δ' ἤθους οἱ μέσοι, ἐκείνων δ' ὁ μὲν ἀναιδής, ὁ δ' ἀβέβαιος.
Oricularum magnitudo loquacitatis et stultitiae nota est.	p. 492 A 34: καὶ ἢ μεγάλα ἢ μικρὰ ἢ μέσα ἢ ἐπανεστηκότα σφόδρα ἢ οὐθὲν ἢ μέσον· τὰ δὲ μέσα βελτίστου ἤθους σημεῖον, τὰ δὲ μεγάλα καὶ ἐπανεστηκότα μωρολογίας καὶ ἀδολεσχίας.

Hactenus Trogus. Videamus rationem qua a Plinio inferatur. Ecce Aristoleles ipse est ad quem adnectitur Trogus, cum et ex hoc et ex illo proferantur praescita. Quod si Plinius fuit qui tanto qualem toto hoc capite nobis observare licebat tamque indefesso studio ac labore Aristotelem excerpsit, qui latere Plinium poterat etiam illa Trogi praescita Aristotelis esse? Quae autem § 274 ex ipso Aristotele citantur, non omnia apud eum nunc comperimus, sed tantum *longiorem vitam esse quibus plures dentes* p. 501 B 22, *longiorem quibus in manu lineae* p. 493 B 34; igitur hi quidem loci ambo ex primo libro Historiae Animalium lecti sunt: proximus autem ab iis in eodem primo is locus est quem Trogus adiit p. 492 A 34: itaque ego certe aut hunc aut illos suis oculis spectasse Plinium credere non valeo. Submonet Plinius: *nec universa haec ut arbitror, sed singula observat* (Aristoteles) *frivola, ut reor, et vulgo tantum* (*tamen* codd.

male) *narrata*; quae sic accipio: non uno omnia consilio observat Aristoteles, sed singula hic illic adnotat; sed unde anxium illud *ut arbitror* si Plinius rem hinc illinc ipse congesserat? Tum vero Trogus ita inducitur: *Addidit morum quoque spectus simili modo apud nos Trogus et ipse auctor e severissimis*: tenesne? cur enim scriptum non est: *Scripsit* vel *Protulit morum quoque spectus Trogus*, sed *Addidit*? Ego equidem spectus isti valde vereor ne apud Trogum ipsum ad illa praescita Aristotelis „additi" fuerint. Nimirum Plinius iam hoc loco ad verbum usque Trogum secuturus cum in artius constringi arta Trogi verba non facile possent omittere nomen Trogi non audebat. Similiter Plini XXIV 167 accipiendum esse verbum *adiecit* non improbabiliter statues, neque XVIII 200 illa *adiecit his Attius* eqs. (quae post § 201 collocanda esse intellexit H. Brunnius: De auctorum indicibus Plinianis p. 28) accipienda aliter sunt quia etiam vergiliarum occasum quasi tempus serendi memorare debebat Attius.

Officere autem istis et refragari nihil omnino video neque adeo locum Plini de lepore XI 229 ubi *pili* esse dicuntur *dasypodi et in buccis intus et sub pedibus; quae utraque Trogus et in lepore tradidit, hoc exemplo libidinosiores hominum quoque hirtos colligens.* Hinc colligendum Gutschmidius iudicavit Plinium data ista dasypodi apud Aristotelem ipsum (p. 774 A 34 sqq.), lepori apud Trogum vidisse, dasypoda esse leporem nesciisse, ideo rem eandem de lepore enotandam ex Trogo putasse; sed ad dissensionem vel inde compellimur quod non de Aristotele sed de Trogo addit Plinius: *hoc exemplo libidinosiores hominum quoque hirtos colligens*; ergo eodem illo Aristotelis loco ignorabat adstare verba: *διὸ καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ δασεῖς ἀφροδισιαστικοὶ καὶ πολύσπερμοι μᾶλλόν εἰσι τῶν λείων.* Consequitur autem ut tota § 229 ex Trogo affluxerit et ut Trogus fuerit qui denominatione dasypus conservata de lepore eadem referenda putavit. Atque ne hic quidem sermo observatus non auxiliatur: quid enim? exspectabamus *quae utraque Trogus in lepore tradidit* vel *quae utraque Trogus potius in lepore tradidit*: nunc quod legimus *et in lepore* perinde rem prodit atque illud *addidit Trogus* quod modo interpretatus sum. Denique apud Plinium X 179 quae sunt *dasypodes omni mense pariunt et superfetant, sicut lepores* (cf. Arist. p. 579 B 30 sq.) eidem Trogo retribuere debebimus.

Quod vero bis apud Plinium non *lac* legitur sed *lact* (XI 236 et 232) id in mentem Trogum non revocat; Trogus enim de animalibus non quidem *lact* sed *lacte* usurpabat, cf. Charisi inst. gram. p. 102, 10 K. Qua tamen oblata occasione nominativum *lacte*

etiam poetae cuidam eiusdem fere aetatis placuisse ostendam; nam in Nucis elegia cuius emendationi tempus debitum nemodum impendere vacavit cum corruptissimus versus sit 95:

Lamina mollis adhuc tenetosin lacte, quod intro est

neque quidquam quod veri et ingenui simile dicas doctorum sagacitas indagarit, hanc mihi scriptionem sensus summus ubique auctor obtrudit:

At mihi maturos nunquam licet edere foetus:
Ante diemque meae decutiuntur opes.
Lamina mollis adhuc ostendit lacte quod intro est
Frondibus et teneris non minus ipsa viret:
Iam tamen invenias qui me iaculentur eqs.

Scilicet pro eo versu qui solet placere post v. 95 futtiliter ac paene ridicule interpolato:

Nec mala sunt ulli nostra futura bŏno

vicarium pro facultate nostra aptum substruere conati sumus.

Atque iam Plini manibus versatum Aristotelem latinum esse consentaneum sit. Nescio autem num explicare inde rem liceat stupendam fere et cuius a sano quoque aliquis explicatus exigi debeat. Risum contine: Plinius VIII 40 bonasum in fuga fimum reddere iocatur trium iugerum longitudine: sed Aristoteles optime p. 630 B 8: ἀμύνεται δὲ λακτίζων καὶ προςαφοδεύων καὶ εἰς τέτταρας ὀργυιὰς ἀφ' ἑαυτοῦ ῥίπτων. Itaque unde factum sit speculor ut non solum tres ponerentur pro quattuor, sed etiam pro passibus vel ulnis (ulnae pro orgyiis positae Plin. XVI 202 et 133) vel pro mensura simili ponerentur iugera omnino ea a longitudinibus designandis aliena (nisi quod semel *sesquiïugerum* ita apud Plinium legimus ut latitudinem designet IV 31), quo errore et ipsa illa bonasi virtus immane quantum exaggeratur? An scriptum olim graece καὶ εἰς τρία πλέθρα fuisse cuiquam persuadebitur? Quid vero? apud Trogum scriptum fuisse fere sic sumamus: *defendit se ita ut stercus suum reddat et quaternas per orguias longe iaculetur*: solita Plinius festinatione neque graecis lectionibus nimis adsuetus legere sibi videbatur: *ut stercus suum reddat atque terna per iugera iaculetur* (hic ille error quo in Homero latino v. 181 etiam *Longaque terdenis* scribitur pro *Longa quaterdenis*). Audacior coniectura sed tamen qua credi incredibilia prohibeas.

Superest Trogi locus apud Plinium VII 33 de quo verba fecerim et propter rem et ut quam mutili Aristotelis libri legantur illustrem.

Itaque primum adscribatur et ipse et locus graecus quem exprimit:

Tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo. Super inter ostenta dicitur praeterquam in Aegypto ubi fetifer potu Nilus amnis. (Inicitur deinde fabula de femina quadam Augusti tempore semel quaternos enixa).	p. 584 B 30: *τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον καὶ παρὰ τοῖς πλείστοις ἓν τίκτουσιν αἱ γυναῖκες, πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα, οἷον καὶ περὶ Αἴγυπτον· τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα, περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους ὥςπερ εἴρηται πρότερον*(!).
Reperitur et in Peloponneso quinos (codd. *binos*) quater enixa maioremque partem ex omni eius vixisse partu, et in Aegypto septenos uno utero simul gigni auctor est Trogus.	*πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν· ἤδη γὰρ ὦπται τοῦτο καὶ ἐπὶ πλειόνων συμβεβηκός· μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν· ἀνὰ δὲ πέντε γὰρ ἔτεκε, καὶ τὰ πολλὰ αὐτῶν ἐξετράφη.*

Apparet certe clausulam Aristotelici loci apud Plinium exprimi: et quidem legebatur tum fortasse non *ἐπὶ πλειόνων*, sed *περὶ πελοπόννησον*; aliter ipsum hoc alterum expunctum dicetur. Sed etiam antecedentia extabant apud Aristotelem arbitro Strabone p. 695: *τὰς δὲ γυναῖκας ἔσθ' ὅτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας· Ἀριστοτέλης δέ τινα καὶ ἑπτάδυμα ἱστορεῖ τετοκέναι, καὶ αὐτὸς πολύγονον καλῶν τὸν Νεῖλον καὶ τρόφιμον.* Sequitur primum id quod vidit Gutschmidius ut eundem Aristotelis locum et Trogus et Strabo adierint. Sequitur porro ex illis *πολύγονον καλῶν τὸν Νεῖλον καὶ τρόφιμον* etiam verba illa Plini *ubi fetifer potu Nilus amnis* ex Aristotele fluxisse et quidem ex loco aut eodem aut vicino. Veri porro simillimum fit quod Plinius dicit *quatergeminos inter ostenta praeterquam in Aegypto* concinentia haec cum Strabonis *καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας* ipsa quoque eodem olim loco exstitisse. Iam vero in Aristotelis sermone exscripto summopere languidum, quid dico? absonum et ridiculosum esse lector curiosus persentiat necesse est illud *οἷον καὶ περὶ Αἴγυπτον*, quippe illustrans nunc rem volgatissimam: partum geminum fere ubique occurrere! Ordo sermonis aperte turbatus est quo scripserat olim philosophus: *πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα· τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους οἷον καὶ περὶ Αἴγυπτον ὥςπερ εἴρηται*

πρότερον. Iam haec praecise exprimuntur et apud Plinium et a Strabone. Sed antea de re egisse se dicit Aristoteles; atque nos quidem locum quo egerit nunc frustra quaerimus; intercidit nimirum, fortasse circa p. 582 B 26—583 A 13 (scilicet intercidisse vel infecta transpositione illa verborum dicendus foret); id vero indubium restat ibi quoque actum fuisse de Aegyptiarum fecunditate; eum igitur et Strabo et Trogus pariter ab Aristotele ipso moniti anquisivere pariterque septenum Aegyptiae partum ibi memoratum inveniebant. Septenum tenuerim, quamquam quod Gellius X 2, 1 non ἑπτάδυμα sed πεντάδυμα legisse videtur sane memorabile est; tamen quia statim illam Aristotelis sententiam addit πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν, conciliandas res controversas putasse Gellius credatur, quales tamen non infrequentes sunt apud Aristotelem. Denique Plinius ut omnia Aristotelica sine dubio a Trogo recepit, ita tamen auctoris nomine utendum esse nisi in re nimis incredibili narranda non duxit.

X.

Iam ita nonum librum Plinius intexuit operosumque id munus suscepit ut paratam ab alio Aristotelis doctrinam intertexeret aliis et aliunde arreptis. Simillimum argumentum ei quod in Halieuticorum carminis utraque parte tractatum erat. Tamen non utitur Halieuticis Plinius: at in medicinarum libro XXXII in quo ne agendum quidem amplius de natura animalium fuit, operae pretium ducit excerpere Halieutica. Itaque ne hanc meam quasi conclusiunculam fallacem respuas: etenim Plinius carmen cognitum quod iam habebat ubi libros adgressus est XXXI et XXXII, idem in nono libro componendo nondum habebat cognitum. Quod si verum est, tamen qui fieri potuit quaeso, ut vir doctus illius aevi atque adeo grammaticus opusculum Ovidi nomine ornatum non cognosceret eius, cuius tunc versibus praeter Vergilium nihil magis contritum urbanis hominibus doctisque, nihil studiosius recitatum nullusque ut ita dicam locus pluribus communis fuit? Nonne Georgica Maronis suo loco ille memorat? nonne in ipso nono libro Macrum Aemilium longius certe eum Ovidio ipso a via abiacentem? nonne etiam carmen illud Ovidi nostro carmini consimile quod de medicamine formae est advocari a Plinio docuimus? Itaque re ipsa contemplata eo deferor ut Halieutica sicut ante librum XXXII ita post librum IX Plinianum non solum Plinio innotuisse sed etiam scripta esse non absimile veri dicam; temporis enim spatium non ita angustum inter utrumque intercessisse ex

natura Pliniani operis consequitur. Ovidi autem nomine ut inscriberetur libellus id temere ac fortuito factum esse ne credas; sed qui tunc exstitit homullus ex eorum numero qui Vergili Ovidique mandebant frusta, aut Grati Cynegeticorum exemplo Halieutica latina adiecturus postquam defessus carmine vix medio substitit, iam aptum fragmentum suum esse existimavit quod relictum esse a mortuo hoc vel illo poetarum credi posset; aut, quod veri sane similius est, eodem studio quo puerilis ille de Culice lusus Vergilio puero subpositus a falsario est, falsarius alius isque etiam si dis placet insipientior ipsa novissima verba Ovidi ostendere cultoribus Ovidi suscepit quae qui legebat emorientem sibi oculis spectare poetam videbatur. Libido fere fraus ista ubicunque deprehenditur sicut infima nuper aetas Lessingi Faustum integrum publicari vidimus. At nobis detecta fraus; lectores litteratoresque Romani saeculi primi in poesis iucunditatibus id credebant quod iucundum erat credere. Quid? nonne a Culicis scriptore interdum infantiam pueri affectari sentire videbamur? itaque in Halieuticis an itidem senectutem quodam modo balbam affectari sentire concedetur? Memineris enim quod etiam parum latine haud pauca in iis scripta esse iure nostro arguimus; illustrandum putare homo exquisite ineptus testimonium illud Ovidi potuit quod legerat in Tristibus: *Ipse mihi videor iam dedidicisse latine* quaeque similia suo loco commemoravi. Nec male ad rem invitabatur illis Nasonis in Metam. XIII 932:

Utque recenserem captivos ordine pisces,
Insuper exposui quos aut in retia casus
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.

Quod vero innotuisse Halieutica diximus simul atque edita sunt post nonum Plini librum et ante tricesimum alterum neque post Vespasiani aetatem neque ante Neroneam, suspicio haec de origine carminis firmabitur etiam ni fallor Pliniani libri XXXII naturam si accuratius contemplaverimus. Actum de animalium natura a Plinio erat in libris VII—XI, de homine VII, de terrestribus animalibus VIII, de aquatilibus IX, de avibus X, de insectis vermibusque XI; recurritur ad animalia in libris XXVIII—XXXII sed eo tantum consilio ut medicinae ex animalibus promantur; suntque revera medicinae quae in libris XXVIII—XXX promuntur ex homine ex terrestribus animalibus ex avibus serpentibus insectis, cum contra n a t u r a m eorum iterum tractare minime intendat Plinius, neque nisi breviter ad originem medicinae ipsius et ad originem magices scribendas excurritur; iam in libro XXXI ad aquatilia Plinius accedens praemittit de aqua et de aquis tractatum: tum vero in libro XXXII acturus ille de medicinis aquatilium

contra morem suum etiam de natura eorum disputationem redintegrat ut complementum hoc esse libri noni plane appareat. Ad quod quid compellere Plinium potuerit praeter auctorum novorum atque tum recens compertorum recentem lectionem non video. Vituperandus sibi videbatur Ovidi clarissimi de piscibus carmine neglecto nuper quippe eo Tomis adportato; iam occasione data excerpendum curavit. Sed non Halieutica tantum. Mentem advertas etiam ad hoc quod XXXII 2 sqq. multus Plinius de echeneidis mirabili natura est quasi de ea in nono libro § 79 non egerit. Atque in nono libro secundum Aristotelem haec scripserat:

> Est parvus admodum piscis adsuetus petris echeneis appellatus; hoc carinis adhaerente naves tardius ire creduntur inde nomine imposito; quam ob causam amatoriis quoque veneficiis infamis est et iudiciorum ac litium mora quae crimina una laude pensat fluxus gravidarum utero sistens partusque continens ac puerperium; in cibos tamen non admittitur. Pedes eum habere arbitrantibus Aristoteles ait impositum pinnarum similitudine;

nam hac demum adhibita correctione bene fluere sententia videtur (velut bene fluere sermonem etiam in IX 111 fecerim simili arte: *multo deinde obrutarum sale in vasis fictilibus, rosa carne omni, nucleos quosdam corporum . . . decidere in ima*). Apud Aristotelem de echineide quae respondeant illis haec sunt (p. 505 B 19): *ἔστι δ' ἰχθύδιόν τι τῶν πετραίων ὃ καλοῦσί τινες ἐχενηΐδα καὶ χρῶνταί τινες αὐτῷ πρὸς δίκας καὶ φίλτρα* (adverte sis Plini auctorem potius legisse videri *πρὸς φίλτρα καὶ δίκας*, atque ita etiam Suidas s. v. *ἐχενηΐς*). *ἔστι δ' ἄβρωτον. τοῦτο δ' ἔνιοί φασιν ἔχειν πόδας οὐκ ἔχον, ἀλλὰ φαίνεται διὰ τὸ τὰς πτέρυγας ὁμοίας ἔχειν ποσίν.* Itaque plura quidem Plinius, sed priora saltem quae de explicando piscis nomine sunt (cf. Oppiani I 243; Aeliani II 17), excidisse apud Aristotelem summopere probabile est, fortasse tamen cetera quoque, quod idem dixit Montigny. Quae vero de echeneide accedunt apud Plinium ex Muciano sumpta sunt et ex Trebio Nigro qui pedalem eam praedicaverat et crassitudine quinque digitorum. Iam vero quod de pisce eodem idem fere Plinius molesta eloquentia exponit XXXII 2 sqq., non potuit ad hoc incitari me arbitro nisi nova aliqua recens lecta rei descriptione eaque si placet poetica. Auctor prorsus diversus fuit; nam § 3 semipedalis potius pisciculus dicitur quam lectionem

firmat Isidorus; pedalis in nono libro Nigro auctore: ubi ne forte *semipedalis* inferas, Oppiano quoque visum animal est *μήκει ἰσόπηχυ* I 213, ubi ad *μήκει* scholiasta *πλάτει*. Insuper hic auctor non *echeneis* scripserat sed *echenais* dorice (apud Servium ad Aen. VIII 699 parum accurate et *echaneis* pro *echenais* et pro *mora* traditur *remora*); eandem formam obtinere videmus et in Halieuticis nostris et in catalogo apud Plinium XXXII, 148; contra ibidem § 139 *echeneis* alium auctorem referri indicat. Orationis autem tumorem Plinianae facilius admiraberis quam explicabis; tumidus de ea re etiam Oppianus est, tamen singulis parum consentiunt. Nam licet mirum sit quod cum Isidorus ubi Pliniana iterat hanc quoque sententiam exhibet: *navis quasi radicata in mari stare videtur non retinendo* eqs., color idem apud Oppianum quoque est v. 234 (*ῥιζωθεῖσα*), tamen dare Plinio non audebis: *et cogit quasi radicata stare navigia.* Denique cum Plinius IX 79 sq. pedalem piscem scriberet si semipedalem iam tum compertum habuisset cum docta ostentatione significasset ibi discrepantiam.

Similiter quod Apionem Plinius advocat XXXII 19 inspexisse hunc non ante librum scribendum XXX videtur. Nam XXIV 167 Apio perstringitur tantum ne nomine quidem adposito quasi *celeber arte grammatica paulo ante* (sicut XXXVII 75 de eodem: *paulo ante scriptum reliquit*). Neque Macer (§ 9) ad nonum librum adhibebatur Licinius nisi hunc revera cum Aemilio commiscuit Plinius (cf. Montigny p. 41). Ceterum in hoc delapsus argumentum Trebium Nigrum rursus evolvit (§ 15) et Iubam (§ 10). De curalio Plinius § 21 sq. ad caput noni libri § 104 sqq. quod fuerat de margaritis supplementum se dare ipse fatetur. Deinde vero sermo ipsis dotibus aquatilium tractatis peractisque in appendice ad historiam piscium a medicina mirum in modum et magna cum violentia reducitur § 142; ubi nomina piscium scriptor universa quaecunque invenerit accumulaturum se praedicat complexurumque; generum ista animalia esse simul dicit centum quadraginta quattuor: et quidem partibus quattuor utitur; earum prima varia sine ordine nomina complectitur § 144 sq.; altera indicem spatiosiorem alphabeticum § 145—151; tertia Ovidiana excerpta breviuscula; quarta § 154 notitias varias hinc illinc nescio unde adspersas. Atque reliquis quidem ipsa manu Plini confectis nihil efficitur; at indicem qui altero loco est alphabeticum quicunque inspexerit hunc Plini cura minus ortum, quam integrum aliunde et quidem e schedis grammatici alicuius doctioris transcriptum esse non dicet sed suspicabitur. Ita vero transcriptum

unde iam expectaveris? vel si hoc intemperantius scrutamur, paratusne iam tum fuit Plinio cum librum nonum componeret? Haec autem quaestio ex quaestione altera pendet, num Plinius catalogo isto illa piscium genera revera complexus sit centum quadraginta quattuor quem super numerum nulla omnino esse adfirmat (142), vel num ex eodem rivo derivati sint nominum omnium et calculus et catalogus?

Nam centum quadraginta quattuor genera esse memoraverat ille iam in libro nono; et quidem ediderunt viri docti § 43 haec: *piscium species sunt LXXIV praeter crustis intecta quae sunt XXX. De singulis alias dicemus; nunc enim naturae tractantur insignium.* Verbis *alias dicemus* a Plinio promitti ipsam libri XXXII appendicem consensu fere adhuc adprobatum videtur; sed aquatilium hic genera non plus centum et quattuor dicuntur: nam speciei generisque notiones permisceri patet. Quid vero? diversa tradi haud facile credam cum praesertim praeter centenarium numerum etiam quattuor utrobique legatur; mutatione numerorum a tuta via aberrabo, atque posterioris loci Isidorus lectionem fide sua tutatur. At vero qui tolerari absurditas potuerit non intellego illa qua a piscibus sola discernuntur crustacea: aquatilium enim summa comprehenditur; atqui nisi forte mollia magis pisces sunt quam crustacea etiam mollia ad summam addenda fuerunt; igitur mollium numerus supplendus est, hac ratione: *Piscium species sunt LXXIV praeter mollia quae sunt XL et praeter crustis intecta quae sunt XXX;* videntur enim sane mollia aliquanto plura nota fuisse quam crustacea.

Esto igitur rei memoria utroque loco eiusdem. Quaeritur Plinius num promissum fecerit IX 43, num promisso satisfecerit XXXII 144 sqq. Et occurrunt sane promissa varia, velut VII 72 ad librum XI mittimur, II 30 ad XVIII et VI, XII 100 ad XX, XIII 122 ad XVI, XIII 11 ad XXIII, XIV 104 ad XV, XIV 77 ad XXIII, XVI 115 ad XVIII, XIV 121 ad XVI verbis *proximo dicetur volumine,* ad libros historiae animalium mittimur II 40; sed in ipsa historia animalium posterioribus locis res reservatur nulla nisi quae ad herbas terrestres pertinet IX 141: cf. XVI 32 et XXII 3. De Magis XXIV 167 ad libri XXX exordium delegari videmur. Atque omnibus his locis Plinius ea tantum quae promi tunc revera non conveniebat alias prompturum se aiebat. Contra in libro nono „d i c e n d a animalia aequorum amnium stagnorumque“ (IX 1), vel „g e n e r a horum animalium d i c e n d a“ fuere (libri VIII fin.): itaque Plinius si postea in § 43 de

singulis generibus dicere se negavit nisi alias, nunc insignia tantummodo tractaturus, hoc libri noni officio ac naturae minime conveniebat; neque aptius profecto piscium genera singula, si omnino, in medicinalibus libris dicebantur. Perspicitur Plinium postquam numerum piscium tam magnum simul et tam distinctum memoravit, iam agendum quoque de omnibus esse intellexisse scriptori diligenti vel agenti severe. Quod munus maxime incommodum ut suffugeret, ad tempus lectorem posterius produxit, sed spe falsa. Nam nimirum *dicere de aliqua re* idem est atque tractare rem, rei explicare naturam. Nusquam itaque votum Plinius solvit, quandoquidem in libri XXXII fine de piscium generibus haudquaquam dicit ille, sed nominatim tantum pisces complecti se ait nominatimque complectitur.

Dilucidum praeterea est si Plinius IX 43 ad numeros illos diversos tres et piscium et mollium et crustis intectorum nomina ipsa quoque prompta et parata ab eodem auctore habebat, ibi nomina quoque exacte fuisse discreta ac distributa per eosdem tres ordines; quod quia minime de libri XXXII nominum farragine valet partim ordini nulli partim alphabetico parentium, totam hanc Plinius quam farraginem dixi in nono libro minime cogitabat. Iam meminerat quidem promissi sui complendique speciem quantulamcunque captabat; nomina multa hinc illinc in unum coniciebat; sed falsam hanc speciem esse ipse conscius fuit: ideo perscienter distinctos numeros LXXIV et XL et XXX primum in unam summam CXLIV contractos proposuit, deinde vero nominum nubem innumerorum fere lassatis lectorum oculis obiecit; neque ista male ei cessit fraus. Ceterum centum quadraginta quattuor pisces esse ut Isidorus hinc accepit, ita etiam Hieronymum hunc Plini locum inspexisse crediderim quode me monuit elegantissima Useneri doctrina viri clarissimi ac meo nescio num amore magis an admiratione venerandi; Hieronymus enim Comment. in Ezechiel. XIV 47 (Vallarsi ed. altera t. V p. 595) scripsit haec: „Dominus Iesus *venite ad me et faciam vos piscatores hominum*; de quibus et Ieremias *ecce ego inquit mittam piscatores*. Et plurimae species immo genera piscium erant in mari quondam mortuo. Quos pisces ad dexteram partem iubente Domino extraxit Petrus et erant CLIII: ita ut prae multitudine eorum retia rumperentur. Aiunt autem qui de animantium scripsere naturis et proprietate, qui ἁλιευτικὰ tam latino quam graeco didicere sermone, de quibus Oppianus Cilix est, poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium: quae

omnia capta sunt ab Apostolis et nihil remansit incaptum". Hunc igitur piscium CLIII numerum David Straussius (Leben Iesu f. d. deutsche Volk[2] p. 414) apud Oppianum non reperiri miratus est non satis intellegens ad doctrinae tantum gloriolam de halieuticis verba inserta esse falsoque de Cilice verba germanice rettulit: unter denen der trefflichste der cilicische Poet Oppianus. Iam nobis quidem ecclesiae pater vix dubium erit quin scita fraude numerum Plinianum leniter mutaverit ut quem numero Euangelii accomodaret; num vero Euangelii numerus studiis similibus nitatur id sciscitentur doctiores.

Plinium autem iam ita fortasse tot nomina enumerare expectabas ut numerus praescriptus compleretur saltem feliciter? Minime id perfecit; atque quartam quidem enumerationis partem omnino mittamus; in excerptis autem Ovidianis etiam eadem nomina exstant atque in catalogo κατὰ στοιχεῖον praemisso quem abhinc catalogum simpliciter dicere liceat; ecce neglegentia egregia qua altera series sine cura alterius conficitur: schedam homo utramque servabat easque cum simul uno loco adscribendas amanuensi daret, inspicere iterum oblitus est. Missa faciam etiam Ovidiana: catalogus solus non complet numerum; ideo iam a beluis ordiri in § 144 a scriptore expressis verbis iubemur; inde vero grandior debito numerus evadit. Fucum fecisti vir laboriosa vanitate incomparabilis, sed iam deprehensus teneris. Atque mirabar nomina quae in § 144 sq. catalogo praefiguntur unde tandem ab eo sumpta essent: suos ipsius de animalibus libros spoliavit, prae ceteris nonum. Certe nullum hic nomen profert quod ibi non praetulerit: leguntur arbores IX 8, physeteres 8, balaenae 4 et 8, pistrices 4 et 8, Tritones 9, Nereides 9, elephanti 10, homines marini 10, rotae 8, orcae 12 sqq., arietes 10, musculi 186 (praeterea XI 165); pergitur ineptia misera et plane futtili *et alii piscium forma arietes*, quem locum Plinium dedisse oportet ita: *arietes musculi et alii piscium forma quadrupedes*; porro delphini 19 sqq.; vituli 41 et alibi passim; testudines 35 sqq.; fibri vel castores et lutrae VIII 109; caniculae IX 151 sqq. et alias, cornutae 82; gladii et serrae 3, denique hippopotami crocodili thynni thynnides siluri coracini percae passim. Unum nomen omisimus *drinones* (varia lectio *drimones*) et id quidem sicut Plinio reliquo, ita etiam antiquitati reliquae incognitum: falso tamen interpretes aut dromones cogitarunt aut dromades; Plinius ipse quid subsit rogetur: cuius qui IX 155 inspexerit coniciat forsitan *trygones*;

ego vero mutatione vetustam scripturam si cogito lenissima rescribendum *simones* esse ex IX 23 certus sum.

Videsne Plinium cum non suppetere catalogum nuper cognitum sentiret quam pueriliter rem egerit? In verbis autem § 142 *eaque nominatim complecti* non ad *genera* sed ad *animalia* trahi *ea* volebat quamvis subtilius id fieri diceres. Observatur praeterea non ita pauca aquatilium nomina etiam abesse ab hoc indice in iisque vel quae in ipso nono libro scripta sunt. Denique ad calculum generum accurate ponendum nomina catalogi conquisita non fuisse vel inde colligitur quod et lacertorum genera in eo sine distinctione et cancrorum genera inseruntur. Atque vir quidem ille eruditissimus. qui generum numerum CXLIV per tres classes finiverat, sive Seleucus forte Tarsensis fuit sive alius doctorum quorum nomina alibi posui, difficillimum eum laborem subierat ut animalia abundantia similia similibus subiungeret et constringeret in classes et pauciores et graviores; at vero huius apud Plinium laboris nec vola nec vestigium comparet. Quae omnia hoc tibi persuadebunt ut indicem grammaticum neque cum numero praemisso CXLIV commune quidquam habere neque cum libri noni § 43 adseveres.

Quibus concessis dignus iam ille catalogus videatur in cuius naturam et compositionem cognoscendam curiosius incumbamus. Et primum quidem singulare in eo percipimus hoc quod graeca nomina prorsus inexpectata pro tritissimis latinis exhibentur: *batrachus* pro raia vel rana, *alopex* pro vulpe, *xiphias* pro gladio, *cochloe* pro conchis, *hippus* pro equo, *ictinus* ut videtur pro miluo, *galeos* pro mustela, neque non *cynes* pro caniculis neque minus huc pertinent ea quibus latina adstruuntur: *rhine quem scatum* (vel *squalum*) *vocamus* et *cnide quam nos urticam vocamus* et *belonae quos aculaetos vocamus.* Id quoque et a Plini usu et ab omni latinitate mirum quantum differt quod *gonger* scribitur pro congro, vel etiam *cobio* (*κωβιός*) pro gobione. Itidem *ostrea* neutrum graecorum more dictum cum in libris IX—XI aut regnet aut praevaleat *ostreae.* Hoc itaque mirabile primum quod aliquatenus explicare cupiamus. Deinde vero summa quaestio haec movebitur qui omnino factum sit ut *κατὰ στοιχεῖον* haec nomina a Plinio exhiberentur, et quidem haec tantummodo, reliquis et antea et postea sine ullo ordine ac regula adiectis. An integer illi catalogus aliunde adlatus scriptusque ab eo fuit qui *λέξεις* graecas partim latine partim etiam graece transcripserat compresseratque in artum cum magna haud dubie iactura rerum? An magis ipsum Plinium quamvis inscitum nomina et collegisse et

etiam poetae cuidam eiusdem fere aetatis placuisse ostendam; nam in Nucis elegia cuius emendationi tempus debitum nemodum impendere vacavit cum corruptissimus versus sit 95:

Lamina mollis adhuc tenetosin lacte, quod intro est

neque quidquam quod veri et ingenui simile dicas doctorum sagacitas indagarit, hanc mihi scriptionem sensus summus ubique auctor obtrudit:

At mihi maturos nunquam licet edere foetus:
Ante diemque meae decutiuntur opes.
Lamina mollis adhuc ostendit lacte quod intro est
Frondibus et teneris non minus ipsa viret:
Iam tamen invenias qui me iaculentur eqs.

Scilicet pro eo versu qui solet placere post v. 95 futtiliter ac paene ridicule interpolato:

Nec mala sunt ulli nostra futura bono

vicarium pro facultate nostra aptum substruere conati sumus.

Atque iam Plini manibus versatum Aristotelem latinum esse consentaneum sit. Nescio autem num explicare inde rem liceat stupendam fere et cuius a sano quoque aliquis explicatus exigi debeat. Risum contine: Plinius VIII 40 bonasum in fuga fimum reddere iocatur trium iugerum longitudine: sed Aristoteles optime p. 630 B 8: *ἀμύνεται δὲ λακτίζων καὶ προςαφοδεύων καὶ εἰς τέτταρας ὀργυιὰς ἀφ' ἑαυτοῦ ῥίπτων.* Itaque unde factum sit speculor ut non solum tres ponerentur pro quattuor, sed etiam pro passibus vel ulnis (ulnae pro orgyiis positae Plin. XVI 202 et 133) vel pro mensura simili ponerentur iugera omnino ea a longitudinibus designandis aliena (nisi quod semel *sesquiiugerum* ita apud Plinium legimus ut latitudinem designet IV 31), quo errore et ipsa illa bonasi virtus immane quantum exaggeratur? An scriptum olim graece *καὶ εἰς τρία πλέθρα* fuisse cuiquam persuadebitur? Quid vero? apud Trogum scriptum fuisse fere sic sumamus: *defendit se ita ut stercus suum reddat et quaternas per orguias longe iaculetur*: solita Plinius festinatione neque graecis lectionibus nimis adsuetus legere sibi videbatur: *ut stercus suum reddat atque terna per iugera iaculetur* (hic ille error quo in Homero latino v. 181 etiam *Longaque terdenis* scribitur pro *Longa quaterdenis*). Audacior coniectura sed tamen qua credi incredibilia prohibeas.

Superest Trogi locus apud Plinium VII 33 de quo verba fecerim et propter rem et ut quam mutili Aristotelis libri legantur illustrem.

Itaque primum adscribatur et ipse et locus graecus quem exprimit:

Tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo. Super inter ostenta dicitur praeterquam in Aegypto ubi fetifer potu Nilus amnis. (Inicitur deinde fabula de femina quadam Augusti tempore semel quaternos enixa).	p. 584 B 30: τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον καὶ παρὰ τοῖς πλείστοις ἓν τίκτουσιν αἱ γυναῖκες, πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα, οἷον καὶ περὶ Αἴγυπτον· τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα, περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους ὥςπερ εἴρηται πρότερον(!).
Reperitur et in Peloponneso quinos (codd. *binos*) quater enixa maioremque partem ex omni eius vixisse partu, et in Aegypto septenos uno utero simul gigni auctor est Trogus.	πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν· ἤδη γὰρ ὦπται τοῦτο καὶ ἐπὶ πλειόνων συμβεβηκός· μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν· ἀνὰ δὲ πέντε γὰρ ἔτεκε, καὶ τὰ πολλὰ αὐτῶν ἐξετράφη.

Apparet certe clausulam Aristotelici loci apud Plinium exprimi: et quidem legebatur tum fortasse non ἐπὶ πλειόνων, sed περὶ πελοπόννησον; aliter ipsum hoc alterum expunctum dicetur. Sed etiam antecedentia extabant apud Aristotelem arbitro Strabone p. 695: *τὰς δὲ γυναῖκας ἔσθ' ὅτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας· Ἀριστοτέλης δέ τινα καὶ ἑπτάδυμα ἱστορεῖ τετοκέναι, καὶ αὐτὸς πολύγονον καλῶν τὸν Νεῖλον καὶ τρόφιμον.* Sequitur primum id quod vidit Gutschmidius ut eundem Aristotelis locum et Trogus et Strabo adierint. Sequitur porro ex illis *πολύγονον καλῶν τὸν Νεῖλον καὶ τρόφιμον* etiam verba illa Plini *ubi fetifer potu Nilus amnis* ex Aristotele fluxisse et quidem ex loco aut eodem aut vicino. Veri porro simillimum fit quod Plinius dicit *quatergeminos inter ostenta praeterquam in Aegypto* concinentia haec cum Strabonis *καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας* ipsa quoque eodem olim loco exstitisse. Iam vero in Aristotelis sermone exscripto summopere languidum, quid dico? absonum et ridiculosum esse lector curiosus persentiat necesse est illud *οἷον καὶ περὶ Αἴγυπτον,* quippe illustrans nunc rem volgatissimam: partum geminum fere ubique occurrere! Ordo sermonis aperte turbatus est quo scripserat olim philosophus: *πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα· τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους οἷον καὶ περὶ Αἴγυπτον ὥςπερ εἴρηται*

πρότερον. Iam haec praecise exprimuntur et apud Plinium et a Strabone. Sed antea de re egisse se dicit Aristoteles; atque nos quidem locum quo egerit nunc frustra quaerimus; intercidit nimirum, fortasse circa p. 582 B 26—583 A 13 (scilicet intercidisse vel infecta transpositione illa verborum dicendus foret); id vero indubium restat ibi quoque actum fuisse de Aegyptiarum fecunditate; eum igitur et Strabo et Trogus pariter ab Aristotele ipso moniti anquisivere pariterque septenum Aegyptiae partum ibi memoratum inveniebant. Septenum tenuerim, quamquam quod Gellius X 2, 1 non *ἑπτάδυμα* sed *πεντάδυμα* legisse videtur sane memorabile est; tamen quia statim illam Aristotelis sententiam addit *πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν*, conciliandas res controversas putasse Gellius credatur, quales tamen non infrequentes sunt apud Aristotelem. Denique Plinius ut omnia Aristotelica sine dubio a Trogo recepit, ita tamen auctoris nomine utendum esse nisi in re nimis incredibili narranda non duxit.

X.

Iam ita nonum librum Plinius intexuit operosumque id munus suscepit ut paratam ab alio Aristotelis doctrinam intertexeret aliis et aliunde arreptis. Simillimum argumentum ei quod in Halieuticorum carminis utraque parte tractatum erat. Tamen non utitur Halieuticis Plinius: at in medicinarum libro XXXII in quo ne agendum quidem amplius de natura animalium fuit, operae pretium ducit excerpere Halieutica. Itaque ne hanc meam quasi conclusiunculam fallacem respuas: etenim Plinius carmen cognitum quod iam habebat ubi libros adgressus est XXXI et XXXII, idem in nono libro componendo nondum habebat cognitum. Quod si verum est, tamen qui fieri potuit quaeso, ut vir doctus illius aevi atque adeo grammaticus opusculum Ovidi nomine ornatum non cognosceret eius, cuius tunc versibus praeter Vergilium nihil magis contritum urbanis hominibus doctisque, nihil studiosius recitatum nullusque ut ita dicam locus pluribus communis fuit? Nonne Georgica Maronis suo loco ille memorat? nonne in ipso nono libro Macrum Aemilium longius certe eum Ovidio ipso a via abiacentem? nonne etiam carmen illud Ovidi nostro carmini consimile quod de medicamine formae est advocari a Plinio docuimus? Itaque re ipsa contemplata eo deferor ut Halieutica sicut ante librum XXXII ita post librum IX Plinianum non solum Plinio innotuisse sed etiam scripta esse non absimile veri dicam; temporis enim spatium non ita angustum inter utrumque intercessisse ex

natura Pliniani operis consequitur. Ovidi autem nomine ut inscriberetur libellus id temere ac fortuito factum esse ne credas; sed qui tunc exstitit homullus ex eorum numero qui Vergili Ovidique mandebant frusta, aut Grati Cynegeticorum exemplo Halieutica latina adiecturus postquam defessus carmine vix medio substitit, iam aptum fragmentum suum esse existimavit quod relictum esse a mortuo hoc vel illo poetarum credi posset; aut, quod veri sane similius est, eodem studio quo puerilis ille de Culice lusus Vergilio puero subpositus a falsario est, falsarius alius isque etiam si dis placet insipientior ipsa novissima verba Ovidi ostendere cultoribus Ovidi suscepit quae qui legebat emorientem sibi oculis spectare poetam videbatur. Libido fere fraus ista ubicunque deprehenditur sicut infima nuper aetas Lessingi Faustum integrum publicari vidimus. At nobis detecta fraus; lectores litteratoresque Romani saeculi primi in poesis iucunditatibus id credebant quod iucundum erat credere. Quid? nonne a Culicis scriptore interdum infantiam pueri affectari sentire videbamur? itaque in Halieuticis an itidem senectutem quodam modo balbam affectari sentire concedetur? Memineris enim quod etiam parum latine haud pauca in iis scripta esse iure nostro arguimus; illustrandum putare homo exquisite ineptus testimonium illud Ovidi potuit quod legerat in Tristibus: *Ipse mihi videor iam dedidicisse latine* quaeque similia suo loco commemoravi. Nec male ad rem invitabatur illis Nasonis in Metam. XIII 932:

Utque recenserem captivos ordine pisces,
Insuper exposui quos aut in retia casus
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.

Quod vero innotuisse Halieutica diximus simul atque edita sunt post nonum Plini librum et ante tricesimum alterum neque post Vespasiani aetatem neque ante Neroneam, suspicio haec de origine carminis firmabitur etiam ni fallor Pliniani libri XXXII naturam si accuratius contemplaverimus. Actum de animalium natura a Plinio erat in libris VII—XI, de homine VII, de terrestribus animalibus VIII, de aquatilibus IX, de avibus X, de insectis vermibusque XI; recurritur ad animalia in libris XXVIII—XXXII sed eo tantum consilio ut medicinae ex animalibus promantur; suntque revera medicinae quae in libris XXVIII—XXX promuntur ex homine ex terrestribus animalibus ex avibus serpentibus insectis, cum contra naturam eorum iterum tractare minime intendat Plinius, neque nisi breviter ad originem medicinae ipsius et ad originem magices scribendas excurritur; iam in libro XXXI ad aquatilia Plinius accedens praemittit de aqua et de aquis tractatum, tum vero in libro XXXII acturus ille de medicinis aquatilium

contra morem suum etiam de natura eorum disputationem redintegrat ut complementum hoc esse libri noni plane appareat. Ad quod quid compellere Plinium potuerit praeter auctorum novorum atque tum recens compertorum recentem lectionem non video. Vituperandus sibi videbatur Ovidi clarissimi de piscibus carmine neglecto nuper quippe eo Tomis adportato; iam occasione data excerpendum curavit. Sed non Halieutica tantum. Mentem advertas etiam ad hoc quod XXXII 2 sqq. multus Plinius de echeneidis mirabili natura est quasi de ea in nono libro § 79 non egerit. Atque in nono libro secundum Aristotelem haec scripserat:

> Est parvus admodum piscis adsuetus petris echeneis appellatus; hoc carinis adhaerente naves tardius ire creduntur inde nomine imposito; quam ob causam amatoriis quoque veneficiis infamis est et iudiciorum ac litium mora quae crimina una laude pensat fluxus gravidarum utero sistens partusque continens ac puerperium; in cibos tamen non admittitur. Pedes eum habere arbitrantibus Aristoteles ait impositum pinnarum similitudine;

nam hac demum adhibita correctione bene fluere sententia videtur (velut bene fluere sermonem etiam in IX 111 fecerim simili arte: *multo deinde obrutarum sale in vasis fictilibus, rosa carne omni, nucleos quosdam corporum . . . decidere in ima*). Apud Aristotelem de echineide quae respondeant illis haec sunt (p. 505 B 19): *ἔστι δ' ἰχθύδιόν τι τῶν πετραίων ὅ καλοῦσί τινες ἐχενηΐδα καὶ χρῶνταί τινες αὐτῷ πρὸς δίκας καὶ φίλτρα* (adverte sis Plini auctorem potius legisse videri *πρὸς φίλτρα καὶ δίκας*, atque ita etiam Suidas s. v. *ἐχενηΐς*). *ἔστι δ' ἄβρωτον. τοῦτο δ' ἔνιοί φασιν ἔχειν πόδας οὐκ ἔχον, ἀλλὰ φαίνεται διὰ τὸ τὰς πτέρυγας ὁμοίας ἔχειν ποσίν.* Itaque plura quidem Plinius, sed priora saltem quae de explicando piscis nomine sunt (cf. Oppiani I 243; Aeliani II 17), excidisse apud Aristotelem summopere probabile est, fortasse tamen cetera quoque, quod idem dixit Montigny. Quae vero de echeneide accedunt apud Plinium ex Muciano sumpta sunt et ex Trebio Nigro qui pedalem eam praedicaverat et crassitudine quinque digitorum. Iam vero quod de pisce eodem idem fere Plinius molesta eloquentia exponit XXXII 2 sqq., non potuit ad hoc incitari me arbitro nisi nova aliqua recens lecta rei descriptione eaque si placet poetica. Auctor prorsus diversus fuit; nam § 3 semipedalis potius pisciculus dicitur quam lectionem

firmat Isidorus; pedalis in nono libro Nigro auctore: ubi ne forte *semipedalis* inferas, Oppiano quoque visum animal est *μήκει ἰσόπηχυ* I 213, ubi ad *μήκει* scholiasta *πλάτει*. Insuper hic auctor non *echeneis* scripserat sed *echenais* dorice (apud Servium ad Aen. VIII 699 parum accurate et *echaneis* pro *echenais* et pro *mora* traditur *remora*); eandem formam obtinere videmus et in Halieuticis nostris et in catalogo apud Plinium XXXII, 148; contra ibidem § 139 *echeneis* alium auctorem referri indicat. Orationis autem tumorem Plinianae facilius admiraberis quam explicabis; tumidus de ea re etiam Oppianus est, tamen singulis parum consentiunt. Nam licet mirum sit quod cum Isidorus ubi Pliniana iterat hanc quoque sententiam exhibet: *navis quasi radicata in mari stare videtur non retinendo* eqs., color idem apud Oppianum quoque est v. 234 (*ῥιζωθεῖσα*), tamen dare Plinio non audebis: *et cogit quasi radicata stare navigia.* Denique cum Plinius IX 79 sq. pedalem piscem scriberet si semipedalem iam tum compertum habuisset cum docta ostentatione significasset ibi discrepantiam.

Similiter quod Apionem Plinius advocat XXXII 19 inspexisse hunc non ante librum scribendum XXX videtur. Nam XXIV 167 Apio perstringitur tantum ne nomine quidem adposito quasi *celeber arte grammatica paulo ante* (sicut XXXVII 75 de eodem: *paulo ante scriptum reliquit*). Neque Macer (§ 9) ad nonum librum adhibebatur Licinius nisi hunc revera cum Aemilio commiscuit Plinius (cf. Montigny p. 41). Ceterum in hoc delapsus argumentum Trebium Nigrum rursus evolvit (§ 15) et Iubam (§ 10). De curalio Plinius § 21 sq. ad caput noni libri § 104 sqq. quod fuerat de margaritis supplementum se dare ipse fatetur. Deinde vero sermo ipsis dotibus aquatilium tractatis peractisque in appendice ad historiam piscium a medicina mirum in modum et magna cum violentia reducitur § 142; ubi nomina piscium scriptor universa quaecunque invenerit accumulaturum se praedicat complexurumque; generum ista animalia esse simul dicit centum quadraginta quattuor: et quidem partibus quattuor utitur; earum prima varia sine ordine nomina complectitur § 144 sq.; altera indicem spatiosiorem alphabeticum § 145—151; tertia Ovidiana excerpta breviuscula; quarta § 154 notitias varias hinc illinc nescio unde adspersas. Atque reliquis quidem ipsa manu Plini confectis nihil efficitur; at indicem qui altero loco est alphabeticum quicunque inspexerit hunc Plini cura minus ortum, quam integrum aliunde et quidem e schedis grammatici alicuius doctioris transcriptum esse non dicet sed suspicabitur. Ita vero transcriptum

unde iam expectaveris? vel si hoc intemperantius scrutamur, paratusne iam tum fuit Plinio cum librum nonum componeret? Haec autem quaestio ex quaestione altera pendet, num Plinius catalogo isto illa piscium genera revera complexus sit centum quadraginta quattuor quem super numerum nulla omnino esse adfirmat (142), vel num ex eodem rivo derivati sint nominum omnium et calculus et catalogus?

Nam centum quadraginta quattuor genera esse memoraverat ille iam in libro nono; et quidem ediderunt viri docti § 43 haec: *piscium species sunt LXXIV praeter crustis intecta quae sunt XXX. De singulis alias dicemus; nunc enim naturae tractantur insignium.* Verbis *alias dicemus* a Plinio promitti ipsam libri XXXII appendicem consensu fere adhuc adprobatum videtur; sed aquatilium hic genera non plus centum et quattuor dicuntur: nam speciei generisque notiones permisceri patet. Quid vero? diversa tradi haud facile credam cum praesertim praeter centenarium numerum etiam quattuor utrobique legatur; mutatione numerorum a tuta via aberrabo, atque posterioris loci Isidorus lectionem fide sua tutatur. At vero qui tolerari absurditas potuerit non intellego illa qua a piscibus sola discernuntur crustacea: aquatilium enim summa comprehenditur; atqui nisi forte mollia magis pisces sunt quam crustacea etiam mollia ad summam addenda fuerunt; igitur mollium numerus supplendus est, hac ratione: *Piscium species sunt LXXIV praeter mollia quae sunt XL et praeter crustis intecta quae sunt XXX;* videntur enim sane mollia aliquanto plura nota fuisse quam crustacea.

Esto igitur rei memoria utroque loco eiusdem. Quaeritur Plinius num promissum fecerit IX 43, num promisso satisfecerit XXXII 144 sqq. Et occurrunt sane promissa varia, velut VII 72 ad librum XI mittimur, II 30 ad XVIII et VI, XII 100 ad XX, XIII 122 ad XVI, XIII 11 ad XXIII, XIV 104 ad XV, XIV 77 ad XXIII, XVI 115 ad XVIII, XIV 121 ad XVI verbis *proximo dicetur volumine,* ad libros historiae animalium mittimur II 40; sed in ipsa historia animalium posterioribus locis res reservatur nulla nisi quae ad herbas terrestres pertinet IX 141: cf. XVI 32 et XXII 3. De Magis XXIV 167 ad libri XXX exordium delegari videmur. Atque omnibus his locis Plinius ea tantum quae promi tunc revera non conveniebat alias prompturum se aiebat. Contra in libro nono „d i c e n d a animalia aequorum amnium stagnorumque“ (IX 1), vel „g e n e r a horum animalium d i c e n d a“ fuere (libri VIII fin.): itaque Plinius si postea in § 43 de

singulis generibus dicere se negavit nisi alias, nunc insignia tantummodo tractaturus, hoc libri noni officio ac naturae minime conveniebat; neque aptius profecto piscium genera singula, si omnino, in medicinalibus libris dicebantur. Perspicitur Plinium postquam numerum piscium tam magnum simul et tam distinctum memoravit, iam agendum quoque de omnibus esse intellexisse scriptori diligenti vel agenti severe. Quod munus maxime incommodum ut suffugeret, ad tempus lectorem posterius produxit, sed spe falsa. Nam nimirum *dicere de aliqua re* idem est atque tractare rem, rei explicare naturam. Nusquam itaque votum Plinius solvit, quandoquidem in libri XXXII fine de piscium generibus haudquaquam dicit ille, sed nominatim tantum pisces complecti se ait nominatimque complectitur.

Dilucidum praeterea est si Plinius IX 43 ad numeros illos diversos tres et piscium et mollium et crustis intectorum nomina ipsa quoque prompta et parata ab eodem auctore habebat, ibi nomina quoque exacte fuisse discreta ac distributa per eosdem tres ordines; quod quia minime de libri XXXII nominum farragine valet partim ordini nulli partim alphabetico parentium, totam hanc Plinius quam farraginem dixi in nono libro minime cogitabat. Iam meminerat quidem promissi sui complendique speciem quantulamcunque captabat; nomina multa hinc illinc in unum coniciebat; sed falsam hanc speciem esse ipse conscius fuit: ideo perscienter distinctos numeros LXXIV et XL et XXX primum in unam summam CXLIV contractos proposuit, deinde vero nominum nubem innumerorum fere lassatis lectorum oculis obiecit; neque ista male ei cessit fraus. Ceterum centum quadraginta quattuor pisces esse ut Isidorus hinc accepit, ita etiam Hieronymum hunc Plini locum inspexisse crediderim quode me monuit elegantissima Useneri doctrina viri clarissimi ac meo nescio num amore magis an admiratione venerandi; Hieronymus enim Comment. in Ezechiel. XIV 47 (Vallarsi ed. altera t. V p. 595) scripsit haec: „Dominus Iesus *venite ad me et faciam vos piscatores hominum*; de quibus et Ieremias *ecce ego inquit mittam piscatores*. Et plurimae species immo genera piscium erant in mari quondam mortuo. Quos pisces ad dexteram partem iubente Domino extraxit Petrus et erant CLIII: ita ut prae multitudine eorum retia rumperentur. Aiunt autem qui de animantium scripsere naturis et proprietate, qui *ἁλιευτικὰ* tam latino quam graeco didicere sermone, de quibus Oppianus Cilix est, poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium: quae

omnia capta sunt ab Apostolis et nihil remansit incaptum". Hunc igitur piscium CLIII numerum David Straussius (Leben Iesu f. d. deutsche Volk² p. 414) apud Oppianum non reperiri miratus est non satis intellegens ad doctrinae tantum gloriolam de halieuticis verba inserta esse falsoque de Cilice verba germanice rettulit: unter denen der trefflichste der cilicische Poet Oppianus. Iam nobis quidem ecclesiae pater vix dubium erit quin scita fraude numerum Plinianum leniter mutaverit ut quem numero Euangelii accomodaret; num vero Euangelii numerus studiis similibus nitatur id sciscitentur doctiores.

Plinium autem iam ita fortasse tot nomina enumerare expectabas ut numerus praescriptus compleretur saltem feliciter? Minime id perfecit; atque quartam quidem enumerationis partem omnino mittamus; in excerptis autem Ovidianis etiam eadem nomina exstant atque in catalogo *κατὰ στοιχεῖον* praemisso quem abhinc catalogum simpliciter dicere liceat; ecce neglegentia egregia qua altera series sine cura alterius conficitur: schedam homo utramque servabat easque cum simul uno loco adscribendas amanuensi daret, inspicere iterum oblitus est. Missa faciam etiam Ovidiana: catalogus solus non complet numerum; ideo iam a beluis ordiri in § 144 a scriptore expressis verbis iubemur; inde vero grandior debito numerus evadit. Fucum fecisti vir laboriosa vanitate incomparabilis, sed iam deprehensus teneris. Atque mirabar nomina quae in § 144 sq. catalogo praefiguntur unde tandem ab eo sumpta essent: suos ipsius de animalibus libros spoliavit, prae ceteris nonum. Certe nullum hic nomen profert quod ibi non praetulerit: leguntur arbores IX 8, physeteres 8, balaenae 4 et 8, pistrices 4 et 8, Tritones 9, Nereides 9, elephanti 10, homines marini 10, rotae 8, orcae 12 sqq., arietes 10, musculi 186 (praeterea XI 165); pergitur ineptia misera et plane futtili *et alii piscium forma arietes*, quem locum Plinium dedisse oportet ita: *arietes musculi et alii piscium forma quadrupedes*; porro delphini 19 sqq.; vituli 41 et alibi passim; testudines 35 sqq.; fibri vel castores et lutrae VIII 109; caniculae IX 151 sqq. et alias, cornutae 82; gladii et serrae 3, denique hippopotami crocodili thynni thynnides siluri coracini percae passim. Unum nomen omisimus *drinones* (varia lectio *drimones*) et id quidem sicut Plinio reliquo, ita etiam antiquitati reliquae incognitum: falso tamen interpretes aut dromones cogitarunt aut dromades; Plinius ipse quid subsit rogetur: cuius qui IX 155 inspexerit coniciat forsitan *trygones*;

ego vero mutatione vetustam scripturam si cogito lenissima rescribendum *simones* esse ex IX 23 certus sum.

Videsne Plinium cum non suppetere catalogum nuper cognitum sentiret quam pueriliter rem egerit? In verbis autem § 142 *eaque nominatim complecti* non ad *genera* sed ad *animalia* trahi *ea* volebat quamvis subtilius id fieri diceres. Observatur praeterea non ita pauca aquatilium nomina etiam abesse ab hoc indice in iisque vel quae in ipso nono libro scripta sunt. Denique ad calculum generum accurate ponendum nomina catalogi conquisita non fuisse vel inde colligitur quod et lacertorum genera in eo sine distinctione et cancrorum genera inseruntur. Atque vir quidem ille eruditissimus, qui generum numerum CXLIV per tres classes finiverat, sive Seleucus forte Tarsensis fuit sive alius doctorum quorum nomina alibi posui, difficillimum eum laborem subierat ut animalia abundantia similia similibus subiungeret et constringeret in classes et pauciores et graviores; at vero huius apud Plinium laboris nec vola nec vestigium comparet. Quae omnia hoc tibi persuadebunt ut indicem grammaticum neque cum numero praemisso CXLIV commune quidquam habere neque cum libri noni § 43 adseveres.

Quibus concessis dignus iam ille catalogus videatur in cuius naturam et compositionem cognoscendam curiosius incumbamus. Et primum quidem singulare in eo percipimus hoc quod graeca nomina prorsus inexpectata pro tritissimis latinis exhibentur: *batrachus* pro raia vel rana, *alopex* pro vulpe, *xiphias* pro gladio, *cochloe* pro conchis, *hippus* pro equo, *ictinus* ut videtur pro miluo, *galeos* pro mustela, neque non *cynes* pro caniculis neque minus huc pertinent ea quibus latina adstruuntur: *rhine quem scatum* (vel *squalum*) *vocamus* et *cnide quam nos urticam vocamus* et *belonae quos aculaetos vocamus.* Id quoque et a Plini usu et ab omni latinitate mirum quantum differt quod *gonger* scribitur pro congro, vel etiam *cobio* (*κωβιός*) pro gobione. Itidem *ostrea* neutrum graecorum more dictum cum in libris IX—XI aut regnet aut praevaleat *ostreae.* Hoc itaque mirabile primum quod aliquatenus explicare cupiamus. Deinde vero summa quaestio haec movebitur qui omnino factum sit ut *κατὰ στοιχεῖον* haec nomina a Plinio exhiberentur, et quidem haec tantummodo, reliquis et antea et postea sine ullo ordine ac regula adiectis. An integer illi catalogus aliunde adlatus scriptusque ab eo fuit qui *λέξεις* graecas partim latine partim etiam graece transcripserat compresseratque in artum cum magna haud dubie iactura rerum? An magis ipsum Plinium quamvis inscitum nomina et collegisse et

in ordinem istum redegisse credes quem tamen ad reliqua adplicare noluit? Et ego quidem quamvis conscius rem ad liquidum perduci nullo modo posse, tamen specie aliqua protrahor ut grammaticum hoc opusculum totum receptum ab alio esse suspicer maritimarum rerum studioso neque dissimili eius qui halieuticorum latinorum catalogum composuit. Iam vero ista piscium nomina etiam rarissima aliqua inesse atque adeo nisi ad comparationem Diogeniani apud Hesychium de piscibus collectanea praesto essent paene incognita. Itaque ad doctrinam hanc exquisitiorem illustrandam quaecumque ponderis aliquid habeat hoc loco componentes operae pretium facere videbimur. Quoniam vero non omnia nomina nuda ponuntur, sed etiam parvulae explicationum vel adnotationum reliquiae his illis adnexae sunt, antea ad has adnotatiunculas examinandas nos convertamus quarum nonnullae quidem tantuli pretii sunt ut vel a Plinio iniectas esse posse credideris (vide scarum, vide turdum, vide concharum genera), aliae tamen una cum nomine receptae videntur: harum vero plurimae excerptae ex Xenocrate medico sunt cuius superstes libellus est περὶ τῆς τῶν ἐνύδρων τροφῆς.

Atque primum similia quae apud Xenocratem leguntur advocemus:

cybium: ita vocatur pelamys quae post XL dies a Ponto in Maeotim revertitur.	cap. 34: κύβιον πηλαμὺς μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀπὸ Πόντου ἐπὶ Μαιῶτιν λίμνην (in libris ἐπὶ Πόντῳ μετὰ λίμνην vel ἀπὸ Πόντου μετὰ Μετιλίμνην) ὑποστρέφουσα
chemae striatae, chemae leves, chemae peloridum generis, varietate distantes et rotunditate, chemae glycymarides, quae sunt maiores (?) quam pelorides.	cap. 31: τῶν δὲ χημῶν τὰς τραχείας γλυκυμαρίδας ἔνιοι καλοῦσιν, οἱ δὲ κόγχας .... αἱ δὲ λεῖαι χῆμαι παρὰ μέγα διαφέρουσι τῶν τραχειῶν. cap. 32: αἱ δὲ γλυκυμαρίδες χαριέστεραι τῶν λειοστράκων κογχῶν, ἥττους (?) δὲ πελωρίδων (cf. cap. 15: γλυκυμαρίδες .... μειονεκτοῦσι δὲ τῶν πελωρίδων)· διαλλάττουσι δὲ κατὰ τόπους τοῖς εἴδεσιν ὡς πελωρίδες καὶ χημαὶ καὶ

πoικιλίᾳ καὶ σχηματισμῷ (cf. cap. 18: διάφοροι δ' αἱ ποικίλαι καὶ στρογγύλαι).

Ecce *maiores* Plinius, ubi *minores* ipse auctor; tamen quod restituendum *minores* Plinio Schneiderus edixit, diffido violentiae; superest ut olim in exemplo graeco μείους scriptum fuisse statuam id quod pro μείζους accipi facile poterat. Ceterum inter leves ac striatas distinxisse etiam Diphilum et Hicesium Athenaeus testis est p. 87 B.

cochloe: quorum generis pentadactyli, item helices (ab aliis actinophoroe dicuntur) quibus radii; cantant...; extra haec sunt rotundae in oleario usu cocleae.	cap. 23: κοχλίαι ... τὰ δὲ τούτων εἴδη τὸ μὲν ἐπίμηκες ὅτῳ (vel οὕτω) καὶ (num forte οὗ τῷ κέρατι?) σάλπιγγος δίκην ἐμφυσῶσι, τὸ δὲ στρογγύλον ᾧ τοὔλαιον ἀναχέουσι .... οἱ δὲ πεντα-δάκτυλοι ὀξυπύθμενοί τε ἕλικες ἢ ἀκτινοφόροι ὑπ' ἄλλων κληζόμενοι ἀσαρκώτεροι μέν εἰσι eqs. (ita scilicet enuntiatum prorsus barbarum strenue ordinandum fuit).

Verbis *quibus radii* ὀξυπύθμενοι referri in propatulo est, item ad *cantant* requiri ablativum; qua de causa eiecerunt *radii*, perverse, rem si spectas; Xenocrate duce expleo: *cantant oblongis.* Denique magnopere memorabilis varietas scripturae κοχλίαι, ubi *cochloe* latinus quo minus usitatum eo gravius.

orcynus hic est pelamydum generis maximus, nec* ipse redit in Maeotim, similis tritomi, vetustate melior.	cap. 33: ὄρκυνος πηλαμύς ἐστι μεγάλη, μὴ ὑποστρέφουσα ἐπὶ τὴν λίμνην ὑγιής· ὁμοίη δὲ τῷ τριτόμῳ πλὴν δυςφθαρτότερος· διὸ ὑπομένει παλαίωσιν.

Turbulentior hoc loco Corais. Coniungendum μὴ ὑγιής sensu perapto; simul quod sensu caret *nec ipse* apud Plinium (varia lectio: *nec piae*), haec erroris praesto correctura est: *nec sospes.*

sarda: ita vocatur pelamys longa ex oceano veniens.	cap. 34: σάρδα πηλαμύς ἐστι ἐπιμήκης ὠκεάνιος

in ordinem istum redegisse credes quem tamen ad reliqua adplicare noluit? Et ego quidem quamvis conscius rem ad liquidum perduci nullo modo posse, tamen specie aliqua protrahor ut grammaticum hoc opusculum totum receptum ab alio esse suspicer maritimarum rerum studioso neque dissimili eius qui halienticorum latinorum catalogum composuit. Iam vero nota piscium nomina etiam rarissima aliqua inesse atque adeo nisi ad comparationem Diogeniani apud Hesychium de piscibus collectanea praesto essent paene incognita. Itaque ad doctrinam hanc exquisitiorem illustrandam quaecunque ponderis aliquid habent hoc loco componentes operae pretium facere videbimur. Quoniam vero non omnia nomina nuda ponuntur, sed etiam parvulae explicationum vel adnotationum reliquiae his illis adnexae sunt, antea ad has adnotatiunculas examinandas nos convertamus quarum nonnullae quidem tantuli pretii sunt ut vel a Plinio iniectas esse posse credideris (vide scarum, vide turdum, vide concharum genera), aliae tamen una cum nomine receptae videntur; harum vero plurimae excerptae ex Xenocrate medico sunt cuius superstes libellus est *περὶ τῆς τῶν ἐνύδρων τροφῆς*.

Atque primum similia quae apud Xenocratem leguntur advocemus:

cybium: ita vocatur pelamys quae post XL dies a Ponto in Maeotim revertitur.	cap. 34: *κύβιον πηλαμὺς μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀπὸ Πόντου ἐπὶ Μαιῶτιν λίμνην* (in libris *ἐπὶ Πόντῳ μετὰ λίμνην* vel *ἀπὸ Πόντου μετὰ Μετιλίμνην*) *ὑποστρέφουσα*
chemae striatae, chemae leves, chemae peloridum generis, varietate distantes et rotunditate, chemae glycymarides, quae sunt maiores (!) quam pelorides.	cap. 31: *τῶν δὲ χημῶν τὰς τραχείας γλυκυμαρίδας ἔνιοι καλοῦσιν, αἱ δὲ κάγχας . . . . αἱ δὲ λεῖαι χῆμαι παρὰ μέγα διαφέρουσι τῶν τραχειῶν.* cap. 32: *αἱ δὲ γλυκυμαρίδες χαριέστεραι τῶν λειοστράκων κογχῶν, ἥττους* (!) *δὲ πελωρίδων* (cf. cap. 18: *γλυκυμαρίδες . . . . μειονεκτοῦσι δὲ τῶν πελωρίδων*)· *διαλλάττουσι δὲ κατὰ τόπους τοῖς εἴδεσιν ὡς πελωρίδες καὶ χυμοῖ καὶ*

ποικιλίᾳ καὶ σχηματισμῷ (cf. cap. 18: διάφοροι δ' αἱ ποικίλαι καὶ στρογγύλαι).

Ecce *maiores* Plinius, ubi *minores* ipse auctor; tamen quod restituendum *minores* Plinio Schneiderus edixit, diffido violentiae; superest ut olim in exemplo graeco μείους scriptum fuisse statuam id quod pro μείζους accipi facile poterat. Ceterum inter leves ac striatas distinxisse etiam Diphilum et Hicesium Athenaeus testis est p. 87 B.

cochloe: quorum generis pentadactyli, item helices (ab aliis actinophoroe dicuntur) quibus radii; cantant...; extra haec sunt rotundae in oleario usu cocleae.	cap. 23: κοχλίαι ... τὰ δὲ τούτων εἴδη τὸ μὲν ἐπίμηκες ὅτῳ (vel οὕτω) καὶ (num forte οὗ τῷ κέρατι?) σάλπιγγος δίκην ἐμφυσῶσι, τὸ δὲ στρογγύλον ᾧ τοὔλαιον ἀναχέουσι.... οἱ δὲ πεντα-δάκτυλοι ὀξυπύθμενοί τε ἕλικες ἢ ἀκτινοφόροι ὑπ' ἄλλων κληζόμενοι ἀσαρκώτεροι μέν εἰσι eqs. (ita scilicet enuntiatum prorsus barbarum strenue ordinandum fuit).

Verbis *quibus radii* ὀξυπύθμενοι referri in propatulo est, item ad *cantant* requiri ablativum; qua de causa eiecerunt *radii*, perverse, rem si spectas; Xenocrate duce expleo: *cantant oblongis.* Denique magnopere memorabilis varietas scripturae κοχλίαι, ubi *cochloe* latinus quo minus usitatum eo gravius.

orcynus hic est pelamydum generis maximus, nec* ipse redit in Maeotim, similis tritomi, vetustate melior.	cap. 33: ὄρκυνος πηλαμύς ἐστι μεγάλη, μὴ ὑποστρέφουσα ἐπὶ τὴν λίμνην ὑγιής· ὁμοίη δὲ τῷ τριτόμῳ πλὴν δυςφθαρτότερος· διὸ ὑπομένει παλαίωσιν.

Turbulentior hoc loco Corais. Coniungendum μὴ ὑγιής sensu perapto; simul quod sensu caret *nec ipse* apud Plinium (varia lectio: *nec piae*), haec erroris praesto correctura est: *nec sospes.*

sarda: ita vocatur pelamys longa ex oceano veniens.	cap. 34: σάρδα πηλαμύς ἐστι ἐπιμήκης ὠκεάνιος

pelamys: earum generis maxuma apolectus vocatur, durius tritomo. — ibid.: *ἀπόλεκτος ψαφαρώτερόν ἐστι τοῦ τριτόμου*

Vocis *apolectus* terminatio masculina quoniam etiam IX 48 adest quin apud Xenocratem quoque contra edit. Moscov. conservanda sit nullus dubito; sed enim non masculina forma, immo ex his locis plane concludendum est, quod non est cur mireris, dictum fuisse potius *τὸ ἀπόλεκτος*, ideoque IX 48 numerum nominis singularem agnosco. Porro in loco adscripto *maxima* sicut legitur tolerari nequit et quia modo orcynus pelamydum maximus dictus est et quia ne piscis quidem apolectos est. Atque comparata rei in libro nono mentione conatus sum: *earum generis maxuma cybia apolectus vocatur*. Sed verum alius anquirat. Denique pro *durius tritomo* non sine specie conicias *aridius tritomo*; certe durus potius *σκληρὸς* apud graecos Xenocratemque audit.

pectines: maxumi et in his nigerrimi aestate laudatissimi; hi autem Mytilenis Tyndaride Salonis Altini Chia in insula Alexandriae in Aegypto. — cap. 19: *κτένες κράτιστοι (οἱ) εὐμεγέθεις κοῖλοι* (non recte ni fallor; legas *καὶ οἱ*) *τὴν χρόαν μελάντεροι. ἀκμάζουσι δ' ἦρος καὶ θέρους· τότε γὰρ αὔξονται μάλιστα πρὸς σελήνην ... διάφοροι δ' οἱ ἐν Μιτυλήνῃ πάντων μεγέθει φύσει εὐχυλίᾳ· φέρει δ' ὁμοίους τούτοις ὁ Ἰόνιος κόλπος κατ' Ἰλλυρίδα* (*καὶ Τυῤῥηνίδα* ed. Moscov.) *καὶ Σαλώνας καὶ Λάτιον. φέρει δὲ καὶ Χίος καὶ συχναὶ τῶν νήσων καὶ Ἀλεξάνδρεια.*

Pro *Λάτιον* ut *Ἄλτινον* reponendum est (Corais p. 121) ita tamen incertiora reliqua; tamen pensitata re hanc lectionem commendo: *φέρει δ' ὁμοίους τούτοις ὁ Ἰόνιος κόλπος καὶ ὁ Τυῤῥηνὸς κατ' Ἰλλυρίδα καὶ Τυνδαρίδα καὶ Σαλώνας καὶ Ἄλτινον* (cf. cp. 32: *ἐν Ἰλλυρίᾳ κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον*). Latina autem ita accipere editores debebant: qui maxumi sunt et in his qui nigerrimi, ii aestate sunt laudatissimi.

cordyla: et haec pelamys, pusilla; cum in Pontum a Maeotide exit, hoc nomen habet. — cap. 34: *πηλαμὺς μικρὰ γίνεται *ἐν μεσόταις* (vel **μεσογαίαις*).

Vulgo legunt *ἐν Μαιώταις*, nos rem ita adornabimus: *σκορδύλη πηλαμύς (ἐστι) μικρά, (ἣ) νήχεται ἐκ μαιώτιδος (εἰς τὸν Πόντον)*. Ita enim etiam reliquas hoc in capite sententias conformavit Xenocrates.

colia sive Parianus sive Sexitanus a patria Baetica, lacertorum minimae (ita cod. B. *minimi* rell.); ab his *moncreses (ita cod. B; *monti esse* rell.).	cap. 34: *κολίαι εὔστομοι κινητικοὶ κοιλίας· κράτιστοι δ' οἱ Ἰβερικοί.*

Graeca plurima hoc loco aut ab Xenocrate ipso omissa aut potius amissa sunt. Parianus colias notus ex falso Hesiodo est apud Athen. p. 116 C. Scombrum autem Parianum cum noverit Xenocrates cap. 34, etiam coliam Parianum eum novisse credes; credes etiam reliqua amissa apud eum esse sequentibus quam manca sint perpensis. Ad lacertos coliam pertinere simulque clarissimum eorum Sexitanum esse Martialis docet VII 78, 1: *Cum Saxetani ponatur cauda lacerti*; cf. Diphilum apud Athen. p. 121 A: *κρείσσων δὲ ὁ ἀμυκλανὸς καὶ ἱσπανός, ὁ σαξιτανὸς λεγόμενος.* Pro *colia* autem apud Plinium non *colias* scribendum sed *coliae*; inde pendet *minimi*; indidem in cod. Bambergensi adsimulatione ortum *minimae.* Denique multum ego trivi tempus divinando sub corruptissimo illo *moncreses* quid latere vel possit vel debeat; nunc uno verbo adscribatur: *ab his omotarichus.*

tritomum: pelamydum generis magni ex quo terna cybia fiunt.	cap. 34: *Τρίτομον* (vel *τριτῶν*) *κύβιον δύσφθαρτον, στερεώτερον τοῦ κυβίου, τἄλλα δ' ἐμφερές.*

In quibus minus eiciendum *κύβιον*, quam plenius scribendum videtur: *τρίτομον τριττὸν κύβιον*; ceterum ita velut sub apolecto contracta graeca leguntur.

Atque his similitudinibus collectis neglegens dicerer nisi adderem *coluthia sive coryphia* quae eadem ex scriptore itidem medico memorantur a Plinio XXXII 84 etiam apud Xenocratem exstare cap. 22: *τὰ δὲ κολύκια* (vel *κολούλια*) *ἢ κορύχια* (vel *κορύφια*) qua de lectione multa frustra Corais disputat p. 130 sqq.; nam lectioni Plinianae indubiae tam similis Xenocratea est, ut eadem muricum genera intellegas necesse sit. Item ad Plini *thranis*: *quem alii xiphian vocant* cf. Xenocr. cap. 8: *θρανὶς ἢ ξιφίας κητώδης ἐστί*; ita otia apud Xenocratem sunt cap. 28 et 32. Porro in catalogo rarissima haec cernuntur: *strombus*; *solen* [*si* male cod. B]

sive aulos sive donax sive onyx sive dactylus; ita Xenocrates cap. 28: *στρόμβοι ..... σωλῆνες ἢ αὐλοὶ ἢ δόνακες ἄῤῥενές εἰσι καὶ θήλειαι οἱ *καλοῦντες* (vel *καλοῦνται*) *ὄνυχες· διαφορὰν δ' ἔχουσι* (sc. *οἱ ἄῤῥενες καὶ αἱ θήλειαι*): ubi non adsunt quidem dactyli, sed etiam destructus locus et male turbatus est, cum fere expectaveris: *ἄρρενές τ' εἰσὶ καὶ θήλειαι, οἳ καὶ καλοῦνται ὄνυχες* (*ἢ δάκτυλοι*). Sane etiam Diphilum apud Athen. p. 90 D omisisse dactylos concedendum est dicentem: *οἱ δὲ σωλῆνες μὲν πρός τινων καλούμενοι, πρός τινων δὲ αὐλοὶ καὶ δόνακες καὶ ὄνυχες*; sed Diphilus non saepius eadem atque Xenocrates quam diversa tradit; casuque eos concordare ubi concordent facile sentiet qui comparationi amborum operam navaverit; quae tanti res non est cui hic locus detur. Mirabile nescio unde de dactylis acceperat Plinius IX 184.

Iam vero suadet Xenocrates medicus exscriptus, adhibitus ille etiam ad alia libri XXXII capita (cf. Corais Xen. p. 138 sq.), ut Plinio non ante tractationem medicinarum totum hunc indicem succrevisse et ad nonum librum paratum nondum fuisse credamus. Inter auctores tamen libri XXXI sq. nimirum Plinius Xenocratem non nominat: neque enim eum etiam si nominasset adiisse videretur, sed sicut copias Aristotelis summi auctorum non ipsum attigisse sed paratas ab interprete accepisse probavimus, ita Xenocrateae quoque iam tum a medicis latinis arreptae erant ab iisque Plinio sine nomine auctoris affluxere. Unde etiam explicari complicatae illae differentiae et errores possint quibus complanandis Corais mentem torquet l. l. De catalogo autem quippe cuius ad nomina plerumque nihil adnotatum sit ambigi poterit et in duas partes iudicari: aut eum primitus omnibus adnotationibus caruisse quotque leguntur eas postea a Plinio insertas esse, aut ita ut est plenum et integrum vel etiam pleniorem exstitisse apud medicinarum scriptores indeque cum ipsis medicinis adsumptum esse. Quod ut ambiguum sit, magis tamen in alteram hanc sententiam inclino; graecorum certe nominum *κνίδη βελόναι* similium explicationes primitus adfuisse credentur: at vel hae Plini doctrinam longe superant. Graviores autem praeter Xenocrateas adnotationes quas neque unde fluxerint neque quocum comparem habeo leguntur ad citharum et ad cinaedos et ad elephantos (doctissima haec: *locustarum generis nigri, pedibus quaternis bisulcis, praeterea bracchia duo binis articulis singulisque forficibus denticulatis*) et ad draconem (non minus docte: *quidam aliud volunt esse dracunculum, est autem gerriculae amplae similis, aculeos in branchiis habet ad*

caudam spectantis; sic et scorpio laedit dum manu tollitur) et ad leones (ubi scribendum est: *quorum bracchia cancri similia sunt, reliqua pars locustae*). Possunt tamen et haec Xenocratis fuisse.

Iam λέξεις de aquatilibus latinas occurrere easque κατὰ στοιχεῖον collocatas res tam singularis et tam incomparabilis est, ut explicatum quaerere aliquem invitemur ac similibus apud medicos graecos λέξεσιν praeformatas eas fuisse proclivis subnascatur coniectura. Quam fecisse coniecturam satis sit. Attamen ampliorem quidem sed non imparem Hesychi aquatilium collectionem quam praestiterat Diogenianus similium unam fere superstitem consulere et conferre par erit, atque etiam notitiae non paucae aliunde non notae communes his duabus collectionibus non sine admiratione observabuntur; inde autem si etiam nexum aliquem studiorum horum grammaticorum fuisse qualemcunque intellexeris hunc mihi laborem meum non frustra impendisse videbor.

Iam Hesychius sicut permulta habet a catalogo parvulo latino aliena, tamen etiam in hoc nonnulla leguntur illic quae desiderentur. Communium autem utrique nominum ea primo loco ponam quae minus raritate qua in litteris occurrunt quam sua multitudine aliquid valeant. Eorum autem prima haec iam cum de Xenocrate res esset attigimus:

cordyla. σκορδύλη· θαλάσσιος ἰχθύς· ἔνιοι κορδύλη; et iterum κορδύλος· ἰχθύς ποιός.

orcynus. ὄρκυνος· ἰχθύς ποιός; cf. infra sub thynnis.

pelamys. πηλαμύς· (διὰ τοῦ ῡ) ἰχθύς ἐν Πόντῳ.

chemae. κόγχας· καὶ χήμας.

cochloe. κόχλος· τοῖς θαλαττίοις ἐχρῶντο πρὸ τῆς τῶν σαλπίγγων εὑρέσεως; monui iam supra in Xenocratis loco quem ad nomen hoc adscriptum Plinius exhibet formam κόχλοι non adesse, neque tamen *cochloe* sine graeco exemplo poni poterat. Atque cantatur cochlis: talium etiam nomina Hesychius: στρεβλῷ· κόγχῳ ᾧ ἐσάλπιζον. στραβήλῳ· τῷ κόγχῳ ᾧ ἐσάλπιζον. cf. στράβαλοι· κοχλίαι (ita enim scribendum); iidem apud Athen. p. 86 D ex Speusippo ac Sophocle; eorundem mentio fuerat apud Hagiam et Dercylum ὡς ἐπιτηδείων ὄντων εἰς τὸ σαλπίζειν (Athen. p. 86 F); pro tibia etiam lepas atque telline habebantur (Aristoph. apud Athen. p. 85 F).

ostrea. ὄστρεα· τὰ κογχύλια et κογχύλια· τὰ ὄστρεα. Simul locus adferatur qui qualibus erroribus lexicon graecum confectum sit praeclare illustrat: lectio est sub o littera: ὄστρεον· μυάκιον θαλάσσιον ridicule inepta, cum olim scriptam fuisse oporteat:

μυάκιον· ὄστρεον θαλάσσιον; nam μύαξ satis notus, θαλάσσιον autem additur quoniam etiam in amnibus lacubusque ostreae degunt (cf. Diphil. ap. Athen. p. 92A). Errore non dissimili ortam esse intellectum est lectionem ξιφίας· ἰχθὺς ποιός· καὶ Δῆλος, contractam eam ex duabus: ξιφίας· ἰχθὺς ποιὸς καὶ σκιφίας et: σκυθιάς· Δῆλος.

strombus. στρόμβος· δῖνος· κόχλος; et sub σάλπιγξ· καὶ θαλασσίαν σάλπιγγα· παρὰ Ἀρχιλόχῳ δὲ τὸν στρόμβον.

solen. σωλῆνες .... καὶ τῶν ὀστρακοδέρμων τι γένος κογχυλίων.

otia. abest ab Hesychio forma haec sermonis graeci volgaris cuius similes infra memorabuntur; exstat tamen apud illum ipsum οὖς Ἀφροδίτης quasi ostrearum genus.

helix. coniciat forsan aliquis adesse eam loco hoc plane vitiose tradito: ἕλιξ .... καὶ ὁ καρπὸς καὶ ψέλιον ut pro καρπὸς ponatur vel κόχλος vel κόγχος; probabilius certe prolatum apud doctos non vidi; sed enim animo dum tempero huc potius devenio: καὶ τὸ καρπόδεσμα καὶ ψέλιον.

purpura. πορφύρα s. v. μελίκηρα et μήλωθρα; item latine quae dicitur murix κάλχης loco esse crediderim atque hanc Hesychius explicat: πορφύρα.

pina. πῖνα· εἶδος ἰχθύος καὶ ὀστρακῶδες κογχύλιον; deinde utrobique etiam

pinoteres. πινοτήρης· πινοφύλαξ λεγόμενος· πῖνα δ' εἶδος ὀστρέου. In quibus *n* simplicem scribi non ita magni facio; duplicem Athenaeus p. 89D (cf. Ranki De lex. Hes. vera orig. p. 80).

cnide quam nos urticam vocamus: κνίδαι· ἀκαλῆφαι.

Ceterum cocleas etiam plures ex exuberantibus Diogeniani copiis Hesychius velut σελάτης σέμελος. Porro componantur:

aphye. ἀφύη· τὰ μικρὰ ἰχθύδια; et ἀφύα· μεμβράς.

citharus rhomborum generis pessumus: κίθαρος· ... καὶ ἰχθύς et sub μαρῖνος· κίθαρος ἰχθὺς θαλάσσιος. Hic piscis satis rarus et Plinio ignotus. Alius est σκιθακός apud Hesychium vel σκίθαρχος, qui idem atque τράχουρος dicitur.

chalcis. χαλκίς· εἶδος ὀρνέου καὶ ἰχθύος et sub χαλκιδίκων χαλκίς· ὁ ἰχθύς.

cobio. κωθός· κωβιός et σωσίβιοι· κωβιοί. Praeterea apud Hesychium κωβῖτις· ἡ λευκὴ ἀφύη (idem Athenaeus

p. 284 F ex Aristotele) quae ad κωβιοὺς pertinet (Arist. p. 569 B 23).

cantharus. κάνθαρος· ... καὶ ποιὸς ἰχθύς. et κανθαρίς· χρυσοειδὴς ἰχθύς. Ignotus Plinio piscis.

callionymus sive uranoscopus. καλλιώνυμος· εἶδος ἰχθύος et οὐρανοσκόπος· εἶδος ἰχθύος; praeterea ψαμμοδύτης explicatur καλλιώνυμος apud Hesychium eiusdemque callionymi notio inconstans ex Athenaeo cognoscitur (cf. supra p. 111).

cancrorum genera; huc pertinet κάραβος· θαλάττιον ζῶον, item commarus et squilla:

commarus. κομμάραι ἢ κομάραι· καρίδες· Μακεδόνες. et καμ(μ)άρους (Schmidtius καμμάρως)· τὰς ἐρυθρὰς καρίδας. Idem Athenaeus p. 306 B: ἔστι δὲ καρίδων γένος καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων οὕτως καλοῦνται.

squilla. κουρίδες· καρίδες ἢ τὰς μικρὰς ἐγχλώρους, τὰς δὲ ἐρυθρὰς καμμάρους.

erythinus. ἐρυθῖνοι· ... καὶ εἶδος ἰχθύος; sed ρ littera comparet in lectione ὗκος (potius ὕκης)· ἐρυθρῖνος; eandem Athenaeus p. 327 A.

echenais. ἐχενιΐς· εἶδος ἰχθύος; hoc est ἐχενηΐς. Sed formae similes non omnino alienae ab Hesychio sunt velut ἀμεροκοίτας στραβαλοὶ ἱάραξ.

echinus. ἐχῖνος· μικρὸν τῆς θαλάσσης ζῶον. et ἐχῖναι ... καὶ ζῶον θαλάσσιον ἐδώδιμον.

glanis. γλανίς ... καὶ εἶδος ἰχθύος· οἱ δὲ γλάνιος.

gonger. γόγγρος· ἰχθὺς ποιός.

girres vel gerres. κιῤῥά· ἰχθὺς ποιός? Inde cerris in laterculo Silvi Polemi.

Ad galeos γαλεώτης apud Hesychium non pertinet.

hippos. ἵππον ... καὶ τὸν μέγαν θαλάσσιον ἰχθύν. In quibus μέγαν additum opinor ut opponatur ἱππίδιον· ἰχθὺς ποιός. Utramque formam etiam Athenaeus p. 304 E.

hippurus. Sub ἔπουρος Hesychiano non latet ille.

hirundo. χελεάρ· χελιδών· χελιδονίας· καὶ ἰχθὺς ποιός.

hippocampus. Dubium est quid sit illud Hesychi ἱππόκαμπ[τ]ος· στρουθίον τι; ubi Schmidtius quod credi nequit ἱπποκάμπιον στροβίλιόν τι; scilicet interpretatione στροβίλιον ipsum indigebat scribendumque fuisset χρυσίον τι, velut στρόβιλος· γυναικεῖον χρυσίον. Itaque aut eadem aut etiam paullo

maiore veri similitudine temptaverim: *ἱππόκαμπος· ἰχθύδιόν τι;* parvus est enim pisciculus hic.

hepatos (scilicet ex codicum *hepar cotinus* facillime *hepatos ictinus* efficitur, cum contra *hepar* quod edidere piscis omnino nullus sit), notissimus piscis; apud Hesychium tamen non sunt nisi *λεβίαι* cf. Athen. p. 301 C.

lacertorum genera. *σαύρα ... καὶ ἰχθὺς μέγιστος, σαῦρος.*

lolligo volitans. *τευθίδες· σηπίαι· θρίσ(σ)αι* et *τευθίς· καὶ εἶδος ἰχθύος θαλασσίου. Volitans* Plinius ipse fortasse memoriter.

lucerna. *λύχνος ... καὶ ἰχθὺς κάλλιστος.*

lepus. *λαγὼς ὁ χερσαῖος, λαγὸς δὲ ὁ θαλάσσιος καὶ ποτάμιος.*

leones. *λέων ... καὶ ἰχθύς.*

mullus. *μύλλον ... καὶ εἶδος ἰχθύος μύλλος.*

mugil. *λινεὺς ὁ κεστρεὺς ἰχθύς*; cf. Archestratum apud Athen. p. 286 B; item *κέστρα· σφῦρα· καὶ εἶδος ἰχθύος.* Inde etiam quae leguntur sub *κεστρεῖς* et *κεστρεύω.* Denique falso sub *σφυρά* legitur quod sub *σφῦρα* legi debebat: *ἢ ἡ παρά τισι λεγομένη κέστρα ἰχθὺς θαλάσσιος.*

melanurus: *δαλός· μελάνουρος ἰχθύς.*

maena. *σμαρίδες· οἱ δὲ τὰς μαινίδας* et *σαραπίους· τὰς μαινίδας· Περγαῖοι.*

murena. *μύραινος· ἡ μύραινα ἀρσενικῶς· ἄλλοι δὲ μύρον αὐτὸν καλοῦσι* et *μύραινα· ἐπὶ τοῦ κακοῦ ἐλέγετο ὡς ἔχιδνα·* et *σμῦρος· ὁ ἄρσην ἰχθύς*; cf. sub *μῦρος.*

mys. *μύες ὀστρέου τι εἶδος· καὶ οἱ κατοικίδιοι καὶ ἐνάλιοι.*

ophidion. *ὀφείδιον* piscis nomen alibi non legi; Hesychius: *ὄφις· ποιὸς ἰχθύς*; idque nomen rarum ipsum quoque.

phager. *κάπρος ... ἢ τὸν φάγρον ἰχθύν*; praeterea *φάγωρος· ἰχθὺς ποιός*; apud Strabonem p. 823 *φραγρώριος*; sed aut hoc tibi aut *φάγρος* restituturo ordo litterarum officiet; an forte in utroque scriptore fuit *φαγώριος*?

phycis saxatiliumque; aperte mendosum; *que* tamen ne dele sed corrige: *saxatilium quaedam.* Hesychius: *λελεπρίς· ἰχθὺς ποιός, ἡ καλουμένη φυκίς.*

porcus. *ὗς· χοῖρος ἢ σῦς καὶ ἰχθύς* et *ὕαινα ... καὶ ἰχθύς.* Apud Athenaeum p. 312 B et Aelianum XIV 23 *χοῖρος* piscis.

pthir. φθείρ . . . καὶ ἰχθύς τις; cf. Marcelli Sidetae v. 86. Ignotus Plinio; Aristoteli semel tangitur p. 557 A 30. Eundem pediculum marinum esse Plin. XXXII 77, 89 coniecerunt.

passer. ψῆττα· ἰχθύδιον τῶν πλατέων ἡ ψῆττα.

pastinaca. τρυγών· ἰχθὺς θαλάσσιος ἧς τὸ κέντρον δηλητήριον; et τρυγῶς· εἶδος ἰχθύος· ἢ εἶδος φθειρῶν.

polyporum genera. πολύποδες· εἶδος ἰχθύος.

rhine vero vix in lectione illa desperata agnoscetur: πελάγια· τὰ κρόταλα· ἡ δὲ ῥίνος πελαγία, ubi Musurus: οἱ δὲ ῥίνη πελαγία. Prima pars vereor etiam ut fuerit: πλαταγώνια· τὰ κρόταλα vel simile; neque probabiliter glossam immutabis. Itaque pro certo haec teneo: πελάγια· τὰ κοράλλια. Pergat alius doctior quamquam fateor valde mihi arridere πελάγια· τὰ κοράλλια, ἡ δὲ ῥινὸς πετραῖα, ut huic loco idem fere acciderit atque illi ὄστρεον μνάκιόν τι quem supra attuli. Lapidescere autem curalia res decantata est.

rhombus. ῥόμβος . . . ἰχθύς τις τῶν πλατέων.

scarus (verba *principalis hodie* Plinius ipse adiecisse videri potest) ὀνίας· σκάρου εἶδος; cf. etiam βήρυς.

solea. ψῆττα . . . ἣν τινες σανδάλιον ἢ βούγλωσσον. Sub σανδάλιον omittitur καὶ ἰχθὺς ποιός.

scomber. σκομβρίδες ἰχθύες.

salpa. σάλπη· ἰχθὺς ἂν καὶ βοῦν καλοῦσιν; ideo arte coniungere boves salpasque Pancrates videtur p. 321 F (cf. supra p. 130) cum boves pro scaris nominet.

scorpaena, scorpio. σκορπίος . . . καὶ θαλάσσιος ἰχθύς.

sciaena, sciadeus. σκιαδεύς· τινὲς δὲ σκίαινα. εἶδος ἰχθύος.

scolopendra. σκολόπενδρα· ζῷον καὶ ἐνάλιον καὶ χερσαῖον.

smyros. σμῦρος· ὁ ἄρσην ἰχθύς cf. sub murena.

sepia. τευθίδες· σηπίαι; et μυττίς· τὸ μέλαν τῆς σηπίας ὅπερ ἐν τῷ στόματι ἔχουσα ἐκκρίνει; et ὅλα· τὸ ἐντὸς τῆς σηπίας στρογγύλα; et ὀλάς· τὸ μέλαν τῆς σηπίας; et θολός . . . ἢ τὸ τῆς σηπίας μέλαν.

spongeae. σπογγία. σπαγγώδη; et σπόγγος· σπογγίον.

turdus inter saxatiles nobilis. κίχλη· ἰχθὺς θαλάσσιος καὶ ὄρνις.

thynnis. θυννίδες· θύννων τεμάχη. ὑποκοριστικῶς et θυννάδες· τεμάχη ταρίχου et θύννον τὸν ὄρκυνον λέγουσι, τὴν δὲ πηλαμίδα θυννίδα.

thranis quem alii xiphian vocant; attulimus supra locum Xenocratis; ideo apud Marcellum Sidetan coniunguntur *ξιφίαι θρανίαι τε.* Apud Hesychium interpretatio *θρανίαι· θρόμβοι* sensu omni destituta est; ubi quod Schmidtius proposuit *ῥόμβοι* credere vix audebis, neque *θρόμβοι* ita habent ut nati errore videantur. Restat hoc ut conflatas duas lectiones esse statuamus; quaeratur igitur vox rara *θρόμβοι* interpretationi apta. Iam *θραύω* (unde *θραυρός* Hesychius, *θραυλός* Suidas) frangendi habet notionem, unde *θραυύσσω* et *συνθραυόω*; ab eadem plane alterum illud gladii piscis nomen *θρανίας* deductum ipsum fuit quippe qui piscis naves frangeret gladio. Etiam lactis fracti caseive particulas hoc verbo significasse aliquem cogitari potest, ut delituisse tale quid quamvis dubitanter coniciam: *θρανίας· ἰχθὺς ποιός. θρανίδια· θρόμβοι.*

thrissa. *τευθίδες· σηπίαι· θρίσ(σ)αι.*

tethea qua forma non usus Aristoteles est: *τήθεα· ὄστρεα*; simul Aristotelica *τηθύα . . . καὶ εἶδος ἰχθύων.*

xiphias. *ξιφίας· ἰχθὺς ποιός . . . . ξίφιος ὁμοίως*; et *σκιφίας· εἶδος ἰχθύος.*

Sed enim plura accedunt:

asellus. *ὄνος· καὶ ἰχθύς ποιὸς ὁ καὶ ὀνίσκος λεγόμενος*; et *χρεμύς· ὁ ὀνίσκος ἰχθύς.*

belonae. Mala similium rerum confusione et *βδαλοὶ* (vel potius *βδέλλαι*, Pearso) et *βέλλαι* apud Hesychium explicatur *ῥαφίδες θαλάσσιαι*, quod olim ad *βελόναι* pertinuisse Schmidtius animadvertit; cf. Athen. p. 319 C. Numerum pluralem Plinius quoque.

batrachus memoratur lectionibus *βρατάχους. βατράχους* et *βρόταχος· βάτραχος* et *βάβακος· ὑπὸ Ἠλείων τέττιγγες· ὑπὸ Ποντικῶν δὲ βάτραχοι* nisi quod in iis piscem hunc esse non adnotatur. Neque vero probabiliter ex vitiosis illis *βάτραχος ἐσχάρας εἶδος* ne litterarum quidem ordini oboedientibus restitues *βάτραχος ἰχθύος εἶδος.* Immo legendum *βάτρα· ἐσχάρας εἶδος* et conferendus Vitruvius X 11, 19. Ita etiam ad merulam *κόσσυφος· ὄνομα πτηνοῦ* omittitur *καὶ ἰχθύος.* Alopex autem (ita traditur in uno Bambergensi; reliqui fere *alopia*; quae cave ne ita concilies: *alopex. alopecias*) vix cogitatur in mira Hesychi lectione *ἐλέποκες· ἰχθὺς ὅμοιος φυκίδι.* Porro acipenser ponitur puta pro elope cuius vocis explicatio et Athenaeus habet et alii et Hesychius: *ἔλλοπες· ἐλλιπόντες τῆς ὀπός, τουτέστιν ἄφθογγοι ἄφωνοι.* Bacchus ab Aristotele alienus,

occurrit inter medicinas Plini, apud Xenocratem, apud Athenaeum, item Hesychius: βάκχος ... οἱ δὲ φανὸν λέγουσιν, οἱ δὲ ἰχθύν. Porro corvus rarum nomen idem atque κορακῖνος esse credi solet habetque colorem corvi nigrum (Athen. p. 308 E. Oppian. I 133); mirum tamen est hanc explicationem nominis neglegi ab Athenaeo p. 309 A. Hesychius κορακῖνον s. v. σαπέρδης nominat, ceterum habet κόραξ ... καὶ ἰχθύς ποιός; atque quod de eodem Diphilus dicit apud Athen. p. 356 A καὶ ὁ κόραξ ἱέρακος σκληρότερος optime hoc congruit cum Celso qui corvum habet inter pisces duros II 18.

Gravior fortasse aliquanto congruentia haec. In nono Plini libro piscis memoratur zeus vel faber (§ 68); atque faber qui rarus vocatur in Halieuticorum carmine idem sit atque χαλκεὺς Athenaei p. 318 et Oppiani I 133, zeus vero etiam rarius nomen est; iam in catalogo nostro invenimus potius *zaes* vel in Bambergensi *zais*, quae firmatur a Columella scriptura siquidem scripsit iste VIII 16, 9: *ut Alantico faber qui et in nostro Gadium municipio generosissimis piscibus adnumeratur eumque prisca consuetudine zaeum* (vel *zaëum*) *appellant.* Hesychius: ζαιός· εἶδος ἰχθύος. Sequitur ut Pliniani *zais* numerus non pluralis sit recteque Silligius dederit *faber sive zaeus* quem numerum singularem etiam accomodatiorem tam raro pisci dixerim. In nono autem libro *zeus* plane a librario suppositum est pro *zaeus.*

Rarissimus item ille qui in catalogo dicitur lamirus (prima manu in cod. B: *lamurus*); eandem scripturam Halieutica latina praebent *lamiros* terminatione graeca, ubi *lamyrus* licentiae Gesneri debetur. Atque de nomine ipso diximus p. 116. Eodem carmine et in arenis degere lamirus fertur et smaridi similibusque adiungitur; similibus (trachurus enim in arenis degere dicitur Opp. I 99) λάριμος adiungitur apud Oppianum III 399; itaque pisciculus utrobique idem et unus dici recte visus est. Quo etiam minus abicere deceat lectionem Oppianeam λάριμος omnibus firmatam manuscriptis (cf. schol. ad l.) praeter unum Paris. I ubi est λαρινόν (γρ. λάριμον). Simul formam λάρινος Hesychi auctoritas tuetur: λάρινος· ἰχθύς ποιός. Itaque et λαρινόν Graeci et λάριμον vocabant alterumque apud Romanos magis in λάμιρον abiebat. Coniungitur piscis apud Oppianum l. l. cum chalcidibus et thrissis et trachuris iique omnes catervatim vagantur capique catervatim videntur; hinc parvulum piscem fuisse colligitur; parvula nimirum chalcis quoque et cum maena coniuncta (Aeliani I 18); idem fuit cur etiam apud Ovidium falsum una ponerentur maena

smaris lamirus. Hinc autem porro explicatur quid sit illud quod Hesychius scribit *λαρινατον κύρτον· οἱ ἁλιεῖς τὸν ἐκ λευκέας ἢ μέγαν*; quippe *κύρτον* eundem Oppianus quoque loco ipso qui de larino est et cogitat et fuse describit, quia ille quo pisciculorum minutorum magna copia capiatur et magnus debebat esse et subtiliter nexus. Et hoc quidem contra Schmidti adnotationem ad Hesychi *λάρινος* disputatum est.

Iam haec sequantur: collyris (varia lectio *callyris*, *cullyris*) asellorum generis ni minor esset; *κολλυρὶς* neque piscis dicebatur neque vel pro pane nisi locis abiectioribus dictum cernitur. Ne tamen subvenias corruptelae Hesychiano nomine *κίρυλος*; nam ipse callarias agnitus iam a Gesnero est. Qua de scriptione ut ne forte in dubitatione persistas vide Hesychium praeclare conspirantem: *γαλαρίας ἰχθύς, ὁ ὀνίσκος*, cum tamen etiam tenuior nominis sonus Hesychio bene notus fuerit: *λαζίνης· χαραδρίας· καλλαρίας ἰχθύς*. Plinius etiam IX 61 (cuius loci doctrina eadem, nec tamen alter ex altero fluxit): *asellorum duo genera, colliri* (vel *calliri*) *minores*. Ita quidem libri; atqui mutari graeca ore Romanorum sane poterant, non poterat simul *colliris* singularis, simul *colliri* pluralis efferri. Itaque *callariae* in libro nono duce Riccardiano libro restituendum est.

Lepris nomen Detlefsenus reposuit quamvis nomen hoc aquatilis non esse monitus. In Bambergensi iuxta ponuntur *lucerna elepas*, in reliquis *lucerna lepris* (Vossianus *laepris*), a Silligio sana ratione *lucernae lepas*, neque enim alienum hoc ostrearum genus est ab indice nostro. Tamen requiri quo etiam *lepris* lectio explanaretur Ianus perspexit ediditque rectissime: *lucerna lelepris*. Ita enim Hesychius: *λελεπρὶς ἰχθύς ποιός ἡ καλουμένη φυκίς*.

Neque aliter agendum esse de nominibus arbitror corruptissime traditis sed in Bambergensi libro planioribus his: *solas sciaenas sciadedeus*; unde enim *solas* nasci potuerit videndum est. Obvenit Hesychianus *σάλαγξ ἰχθὺς ἀγαθός*; itaque probabiliorem certe correctionem hac mea fingi vix poterit: *salax. sciaena. sciadeus.* Apud Hesychium autem quo iure falso scriptum *ἀγαθὸς* esse Schmidtio visum sit non assequor; certe ibidem ad *ἐχῖναι* scriptum est *ζῶον θαλάσσιον ἐδώδιμον*, ad *λύχνος* item *ἰχθὺς κάλλιστος*, in catalogo Plini ad citharum *rhomborum generis pessimus*.

Iam vero vide audaciam meam; prorsus novum aliquod nomen tibi effingam. Nam *pegrides* certe illud in § 150 et inauditum omnino et inexplicabile genuinum putare quis mentem inducat?

Graecam vocem esse patet, numerum pluralem esse veri simile est; sed verborum copiam a *p* littera initium ducentium omnem circumspice ac pervoluta; auxilium nullum cernitur nisi forte *premades* placeant aut etiam *πεπρίλος* ille apud Hesychium piscis. Itaque donec audacia quam desperatio dignior laudibus erit, viam mihi hanc qua incedo concedet vel cautior animi. Habet enim Hesychius *σφραγίς· χελώνη* quam testudinem aquatilem intellegere esse ne dubita; ita ibidem *κλεμμὺς χελώνη*. At vero istud animal dictum *sigillum* fuisse inter ea maribilia est quibus ne superstitio quidem credula adsuetaque admirationi fidem habeat. Quid igitur illa? errasse Hesychium suspicabitur; atque nisi inventione carebit, etiam ad rectius deducetur; vide enim mihi ac perpende num ipse index Plini formam rectiorem servaverit hanc: *phragides*. Nam *φράσσειν* est *tegere armare circumvallare*, unde et *φράγματα*; an verbum excogitari potest aliud ad munitum illud et ferratum quasi et thoracatum animal designandum promptius vel efficacius? Quale etiam linguae Germanorum ad rem adplicare placuisse experti sumus. Itaque Hesychium infelici errore *φραγίς* cum *σφραγίς* commiscuisse conicio.

A c h a r n e in catalogo latino scribitur eaque hinc repeti in Polemi Silvi laterculo videatur qui habet *acerna*; eadem forma Lucilius in primo satirarum usus esse creditur:

abdomina thynni
Advenientibus priva dabo cephalaeaque acarnae

(Luc. Lachmanni v. 21 sq. ex Gellio X 20, 4) quamquam ne *acarni* scriptum fuerit non omnino tuti videmur (libri *acarne* vel *carne*). Memoro autem loco quodam poetico apud Athenaeum p. 286 B de hoc pisce ex Callia sumpto cephalaea tribui potius thynno:

κίθαρος ὀπτὸς καὶ βατὶς θύννου τε κεφάλαιον τοδί,
ἐγχέλεια κάραβοι λινεὺς ἄχαρνος οὑτοσί.

Etiam in Athen. p. 356 B thynnis et acarnan coniunguntur. In Enni autem Heduphageticis non recte Vahlenus eddidit v. 10:

Polypus Corcyrae, calvaria pinguia a c a r n a e;

primum enim oppidi velut *Atarnae* mentio ipsa sententiae natura efflagitatur eiusque etiam vestigium non obscurum in Laurentiano uno deprehenditur; deinde vero calva acarnae accipi pro cephalaeo voluisse vir doctissimus videtur: tum vero ossa pro carne gulae dabat Archestratus Romanus. Quin etiam p i n g u i a ossa: Hicesius contra ipsam acharnam minus pinguem esse debere docebat Athen. p. 327 D.. At vero non pro parte aquatilis, sed

pro aquatili ipso calvaria habentur ab Apuleio Apol. 34 suntque ea ostracoderma quae in poemate sequuntur purpura muriculi murex dulces quoque echini. Ita scilicet etiam pro nucis putamine calva dicebatur (Petroni 66, 4), neque non ostreae fuere quae nuces audirent vel *βάλανοι*. Iam vero apud Athenaeum Calliamque scribi vidisti potius *ἀχαρνός* (vel *ἀχαρνώς* Bekkeri An. p. 474, 1); Diphilos scribebat *ἀκαρνάν* (Athen. p. 356 B); item Hicesius (p. 327 D). Feminini sexus terminatio apud Hesychium unum legimus: *ἀχάρνα· εἶδος ἰχθύος*; ubi quominus *ἀχαρνώς* inferam et litterarum ratione impedior et lectione Hesychi altera *ἄχερνα· ἰχθὺς ποιός*. Denique quod apud eundem est *ἀκάρναξ· λάβραξ* nescio num sono male adsimulato ortum sit ex *ἀκαρνάν· λάβραξ*. Atque num hoc fuit cur in catalogo latino et labrax et lupus praetermitterentur?

Gravius opinor hoc quoque. Adest b a t i a piscis; eundem Plinius ex medicinarum auctoribus sumpsit XXXII 77. Praeterea nomen istud non vidi nisi loco Hesychiano hoc: *βατίδες· εἶδος ἰχθύος πλατύ· ἢ βατία· διαφέρει δὲ τοῦ βάτου ἰχθύος ὡς Ἀριστοτέλης ποιεῖ φανερόν*. Itaque editorem Hesychi maiorem eum laude mea facere non possum quin hoc de loco egisse leviter dicam verba *ἢ βατία* pro spuriis et ex *βατίδες* natis notantem.

Restant de quibus Hesychi opem frustra petas. *Sorus* primum possit falso scriptum videri pro *sparus* vel si quid similius inveniatur; possis etiam ab eius partibus stare qui sorum acceperit pro sauro; quod quatenus probabilius est non sine aliqua neglegentia graecis latina intermista dicentur, ipsi enim lacerti in catalogo antecesserunt. Quocum comparari non poterit m i t u l u s quippe a quo diversus m y s vel m y i s c u s; sed v e n e r i a sub finem posita alia atque o t i a esse vix poterant quae ipsae auriculae Veneris sunt (cf. *οὖς Ἀφροδίτης* Hesychi et Athen. p. 87 F. 88 A). Item et p o r c u s in indice et o r t h a g o r i s c u s positi cum pro uno eos pisce Plinius ipse Apionem secutus scripsisset XXXII 19. Adnoto autem adesse in catalogo diminutiva verba praeter *ὠτία* etiam plura qualia volgari dialecto graecae maxime placebant, velut coniunguntur p e c t i n e s p e c t u n c u l i (*κτένιον* ita occurrere non vidi; Hesychius ad *κτείς· κτένιον* non addit hoc esse aquatile; sed cf. *σπόγγος· σπογγίον*) poniturque o p h i d i o n, ponitur praeter draconem d r a c u n c u l u s, cum *δρακόντιον* piscis ignotus praeter Hippocratem sit II p. 466 K.; et is quidem hic quoque sicut in indice Plini cum scorpione pisce componitur.

Iam vero difficilia supersunt; uva quidem adfertur aquatile (cf. Plini IX 3; Vegeti I 20, 2; VI 12, 3), aquatile item cucumis (cf. Plini IX 3), nihilo minus pro *cynopos* legendum esse *κύνωψ* quod plantae nomen est non aquatilis non admodum certi simile dico, neque nimis apte vel *ὀνόπορδον* sive similia habeas comparabis. Novi aliquid odoror: *cynosopa*, velut cynoseuna piscis dicitur ab Epaeneto (Ath. p. 313 B), cynoglossos Athen. p. 288 B. Polemi Silvi laterculus inter natantium nomina exhibet *marisopa*, quod ut dissolvendum videtur per *smaris* et *opa*, ita tamen non mediocriter coniecturae meae opitulatur. Quid vero de illo *cynosdexia* nomine quod legitur volgo? Nil me hercule id prae se fert quo defendat suspicionem. Bambergensis *cynosdenti* habet, reliqui libri *cynosdextria*; tibi vero aures si arrigis ultimis quidem syllabis dentex (vel dentrix) piscis clare vocari videbitur; variatur autem non dissimiliter scriptura illa *alopex* vel *alopia* quae antecedit. Ex *cynos* autem quid extricabimus? possis quidem *cyprinus*; nam quod huius catalogi pisces peculiares tantum maris a Plinio dicuntur refragantur ostrea lepus cobio anguilla. Acquiescere tamen praefero in nomine graeco *cynes* qui canes dicuntur Plin. IX 110 quodque nomen Hesychius quoque exhibet: *κύων* ... *καὶ τὸ θαλάσσιον ζῶον*; neque enim caniculas ipsi catalogo a Plinio praemissas in § 145 contra adferet nisi cui incognita Plini his in rebus incuria et ignoratio sit. Denique addendus est nominibus raris etiam halipleumon catalogi quem non vidi nisi apud Marcellum Sidetam; Aristoteles *πνεύμων*. Atque orthagoriscum porcum quidem esse dicit Hesychius ex Polemone (cf. Athen. p. 140 B), piscem esse qui dixerit nescio praeter Apionem apud Plinium XXXII 19.

Itaque vidimus Plini Diogenianique in rebus perraris iisque satis crebris consensum deficientibus hic illic etiam Pamphili copiis Athenaeique. Rarissimum nomen *κέρκουροι* esse diximus; tamen hoc ut apud Ovidium falsum Oppianumque ita apud Diogenianum quoque comparet. Ita etiam larinus communis ut diximus Oppiano et Diogeniano est qui lamirus dicitur in Ovidi Plinique catalogis. Atque cinaedus rarus et ipse Oppiano I 127 et Plini catalogo communis est; ita nescio num coniunctionem aliquam copiarum sentire videaris Diogeniani Pliniani catalogi Oppiani Ovidi.

Atque de Hesychio ut quam brevissime dicam quod sentio — neque enim hanc meam materiem esse video — Pamphili epitomen vel Vestini Diogenianeam et *περιεργοπένητας* Diogenianeos non idem et unum opus fuisse sed duo firmiter mihi persuasum est neque

meliora ea de re disputata vidi quam quae H. Weberus contra Rankium Schmidtiumque disputavit De Hesychii ad Eulogium epistula Halis 1865 praeeunte olim Welckero. Atque multa pariter enotavisse et Pamphilum et Diogenianum consentaneum est; qualia quantum ad materiem nostram pertinent iam passim decurrente sermone notavimus; *σκέπινος* nomen non legi nisi apud Athenaeum Hesychiumque, Oppianus *σκέπανος*, sed de Columella cf. supra p. 110; Hesychi *κορίς· ἰχθὺς ποιός* explicatur Dorionis verbis apud Athen. p. 330 A; conferre e. g. si vaces etiam verba Hesychi sub *μελίκηρα* possis cum Athen. p. 88 C. D, sub *σμαρίδες* cum Athen. p. 313 A (Speusippi), sub *κέστρα* et *σφυρὰ* cum Athen. p. 323 B. Atque Hesychius s. v. *σαπέρδης... οἱ δὲ ταρίχου εἶδος, ἄλλοι ὑπὸ Ποντικῶν τὸν κορακῖνον ἰχθύν*, quae cum ita Athenaeus referat p. 308 E *Εὐθύδημος δ' ἐν τῷ περὶ ταρίχων τὸν κορακῖνόν φησιν ὑπὸ πολλῶν σαπέρδην προςαγορεύεσθαι· ὁμοίως δ' εἴρηκε καὶ Ἡρακλέων ὁ Ἐφέσιος ἔτι δὲ Φιλότιμος ἐν Ὀψαρτυτικῷ*, nonne restituendum Athenaeo esse consequitur *ὑπὸ Ποντικῶν σαπέρδην προςαγορεύεσθαι*? Neque casu concinunt Hesychi *ἰκτάρα· ἐθνικῶς ἰχθύς* et Athenaei p. 329 A: *Καλλίμαχος δ' ἐν ἐθνικαῖς ὀνομασίαις... τριχίδια χαλκὶς ἴκταρ ἀθερίνη*, sed Callimachus apud Hesychium cogitatur ita ut ipsi Callimacho apud Athenaeum confidenter restituas *ἰκτάρα* nomen; nempe etiam quod Athenaeus ibidem ex Callimacho adponit *ἴωπες*, habet Diogenianus *ἴωψ· ἰχθὺς ποιὸς παρὰ Καλλιμάχῳ*.

Res Plini catalogo et Athenaeo communes tacente Hesychio non ita multae enotari possunt: glauciscus Athen. p. 62 D 102 B 103 D, sed accedit Asclepiades in Anthol. Pal. V 185; scorpaena (certe rarius hoc nomen et ab Aristotele toto alienum in nonum Plini librum coniectura inferri non licet cf. supra p. 142) Ath. p. 320 F, cf. Eustathium ad Il. p. 1129, 22; myiscus Athen. p. 90 D (*μυίσκαι*), sed accedit Plinius XXXII 98 et Xenocrates cap. 24 et Marcellus Sideta v. 38; maeotes (perperam enim *maeotis* editur) Athen. p. 312 A, accedunt Aelianus X 19 alii; magis etiam trita nomina balanus et concha et anguilla et hippuros et galeos et draco (Ath. p. 287 B) et iulis et otia (Ath. p. 87 F) et rhine et sargus et sarda (Ath. p. 120 F) alia.

Atque Pamphilum non moror nisi forte memorasse interest quod rem suam gessisse illum eodem fere tempore quo Pliniani catalogi auctorem Ovidique simulatorem conici potest; nam sicut post Apionem, ita tamen ante annum LXXVII aevi nostri editos Pamphili libros

esse credideris quo anno Plinius historiae naturali praefixit praefationem quatenus in huius § 24 inter graecorum librorum inscriptiones et quidem continentium cyclopaediam castigatur a Plinio etiam λειμών quo nomine qui liber praeter Pamphileum denotetur non videmus nisi forte Limon ille Ciceronis poeticus. Hesychi epistulae ad Eulogium scriptae primam partem fere ad verbum ex ipsa Diogenianeorum περιεργοπενήτων praefatione sumptam putamus; dicitur autem hic non usus esse Diogenianus nisi λέξεων libris κατὰ στοιχεῖον conscriptis et Homericis velut Apionis Apollonique et tragicis comicis Didymi Theonis et lyricis et rhetoricis; quin etiam lexicis historiae atque medicinarum scriptorum redactis ad ordinem litterarum; quibus pergitur ea traxerunt vitium συλλήβδην δὲ ὁμοῦ οὐδεμίαν λέξιν ὥςτε παρέλιπε ubi Weberus non nimis probabiliter ἑκουσίως παρέλιπε. Prae ceteris autem hoc demiror quod nemo est qui non illud ὁμοῦ eodem sensu quo συλλήβδην acceperit quasi non nimis inde sermo ineptiret et quasi ita dedecorare sermonem omnino cogeremur; neque enim ὁμοῦ pro σχεδὸν usurpatum ignoratur. Quare ego ita satius duco verba refingere: συλλήβδην δὲ ὁμοῦ οὐδεμίαν λέξιν ἴσως γε παρέλιπε: „quae lexica paene omnia complectens nullum facile reliquit", quo Hesychium satis caute Diogeniani verba referre cognoscimus. Quae Diogeniani verba infra quasi imitatus Hesychius est: αὐτὸς (irrepsit δὲ errore satis volgari) ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ... λέξιν μὲν οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς nisi quod λέξις hic vocabula singula, illic tota lexica significat. Verba vero τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας καὶ τὰ βιβλία προσθεὶς Διογενιανοῦ ita interpretatus Weberus est p. 35 ut verear ut fidem ei habere quisquam possit. Immo „ad manum habet Hesychius quippe Alexandriae Aristarchum Apionem Heliodorum et tamen eis praetulit libros Diogeniani": hoc enim aliquid certe est quod *ingenue fateatur* scriptor: οὐκ ὀκνήσω μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν, quae verba aliter vim nullam habebunt; cum vana autem iactantia addit ἀλλὰ καὶ πλεῖστα οὐχ εὑρὼν προςτέθεικα ea scilicet quae apud Diogenianum frustra quaesierat, apud reliquos non quaesierat.

Iam vero neque ad Epaenetum propero eiusque librum ὀψαρτυτικὸν vel περὶ ἰχθύων (inde e. g. γναφεὺς piscem Hesychius; cf. Ranki de lex. Hes. p. 106 sq.) neque ad alios qui de piscibus opera καταλογάδην condiderunt. Sufficit nobis quod Diogenianus se usum esse lexicis testatur ex medicinarum scriptoribus tractis (Hippocrateas lectiones ostendit Schmidtius

quaest. Hes. p. CLXVI); quale quin piscium quoque continuerit nomina dubitandum non est.

Habeo autem quod neque omittere neque tamen nisi ultimo loco ponere voluerim; boca in Plini catalogo legitur nomen ut videtur graecum; tamen frequens quidem apud Graecos βώξ piscis, apud Atticos βόαξ, *boca* nihil est. Veram formam ne Isidorus quidem ignorabat qui in piscium recensu haec: *bocas dicunt esse boves marinos quasi boacas*; atque quod Paulus Diaconus ex Festo excerpsit: *bocas genus piscis a boando id est vocem emittendo appellatur* ne id quidem Plinianam tutabitur lectionem. Possit enim aliquis adsentiri O. Muellero ad l. p. 30 Paulum ex accusativo novum nominativum effecisse opinanti; tamen id pro certo ex explicatione *a boando* consequitur, cogitasse grammaticum potius formam *boacas*, ita ut et Isidori verba ita expleri possint: *bocas dicunt esse boves marinos quasi boacas a boando* et apud Paulum lemma probabiliter *boacs* (vel *boax*) fuisse dicatur neque iam ibi de *bocas* nominativo amplius cogitandum sit. Et quidem singularis numerus apud Paulum solet legi: *sargus piscis genus* p. 323; *pelamys genus piscis* p. 207; *apua genus minimi pisciculi* p. 22; *aquipenser genus piscis* p. 22; *orata genus piscis* p. 183, ut ne quis forte *boacas genus piscis a boando .... appellarunt* rescribere conetur. Accusativus autem semel exstat p. 21 *amian genus piscis*; neque enim in Lucili versu apud Varronem L. L. VII 47 ad quem a Muellero mittimur *Sume rete atque amian* nominativus fuit *amian* neque vero ipso *rete* illo nominativus absconditur, sed legendum aperte est: *Sume cete atque amian* (*sume*); est enim *sumere* pro capiendo, modo cf. Enni Heduphag. v. 4; ita ut ab hexametricis Lucili libris metrum hoc recte Lachmannus excluserit v. 836; Lucianus autem Muellerus sospitator verus Lucili vereor ut vere ediderit *sumeret aeque amian* (fr. incert. XXV). Iam in catalogum Plini *bocas* quidem illud nemo sanus inferet; rectius *boax* ibi quoque scribendum foret. Ego aut formam femininam *boca* praeter *box* quamvis inauditam exstitisse statuerim sicut et γλαῦξ et γλαῦκα dicebatur (cui sententiae non mediocriter fortasse piscis ille favet qui apud Francogallos secundum Rondeletium audit *bogue*, apud Italos *boga*) aut catalogi latini auctorem nimis properasse oculisque infelicius errasse statuerim, fuerat nempe in lexico olim vetustiore id quod Hesychius exhibet: *βῶκα· θύννον.*

Atque haec de piscium catalogo Pliniano. Quem si quis cautior nihilo setius confectum dicere a Plinio ipso praeferet — neque enim alienus sane ille a grammatica rerum tractatione

fuit —, is tamen de summa mihi sententia quae ad tempus pertinet etiam propensius suffragetur necesse erit. Atque hic tandem ancora iacitor navis consistito. Iam diu enim inclamatus mihi videor:

Torquemur miseri in parvis terimurque labore
Scrutamur rimas evertimus omne profundum.

XI.

Loco appendicis rem metricam qualis et in Ovidio ipso et in Halieuticis valeat tractatam a me Ad hist. hex. lat. p. 53 sq. hoc loco retractabo. Quod enim hexametros tot millenos in calculo tunc omnes ponere non licuerat, nunc licuit. Calculorum autem numeri a sermonibus numerosis alienati ut libelli illius brevitatem etiam hic affectemus persuadent. Zingerle enim quod me illic duabus tantummodo usum esse paginis paginis non minus tribus gravatur (l. l. p. 114. 126. 120), iam decem quae praemisi capitibus placabitur. Neque ita rem meam distendam ut prolixae viri docti disputationi pedetemptim obsequar; calculum enim meum modo inspexerit, aut nimis ego fallor aut errasse se satis docebitur. Hoc unum contra dicam; iniuste enim idem p. 123 argumenta me mea etiam infregisse adposita voce *nisi fallor* arguit; quam ubi posui de Halieuticis res non erat; sed plana et integra metrica argumenta coniunxi non minus decem. Graviora tamen a levioribus distinguere supersedi; itaque eorum unum infra incertius esse dicam, praeterea duo quae tunc calculis parum amplis nitebantur nunc sepono: quorum alterum de positione nominum duorum est in fine utriusque hemistichii inter se respondentium quae ut in Halieuticis occurrit spissior (semel inter quinque metra), ita tamen a mobili argumenti poetici natura adeo pendet, ut hic illic Ovidius quoque ad frequentiam eandem descenderit; alterum est de caesura post trochaeum quartum quae ut nimis raro in Halieuticis legitur (semel inter 37 hexametros) ita tamen ne in Ovidio quidem non rarescere hic illic visa est. Supersunt vero observationes omnino non ambiguae septem. Quibus equidem non frustra obtemperavi; atque haec mea quam per totum librum istum traxi disputatio licet ad discendum quam ad docendum magis scripta videatur, ad summam tamen hoc unum docuerit eviceritque necesse est observationum fidem de consuetudine metrica institutarum summam esse et stabilem et incorruptam et veracem cuique qui non pareat in luce media caecutiat. Atque primum

tabulam plenam promam totius Ovidi computati quinque observationes comprehendentem: prima et tertia erit de pede hexametri primo aut spondiaca aut dactylica voce completo (PPS et PPD), secunda et quarta de quarto pede aut spondiaco aut dactylico, non ipso inciso, sed cuius fine finiatur vocabulum (PQS et PQD) — molestius scilicet spondiaca sonant, quamquam ne dactylicis quidem nimis cumulatis artis fastigium adscenderis —, quinta denique observatio de hexametro binis incisionibus tripartito erit deficiente semiquinaria (H. tr.). Paucos autem locos accuratius quam in metrico libello enotavi. Itaque semel reperitur (numeri uncis seclusi exempla quot habeat liber totus indicabunt):

	PPS	PQS	PPD	PQD	H. tr.
	in vv.	in vv.	in vv.	in vv.	in vv.
r. 1-5	42 (9)	$12\frac{1}{8}$ (31)	$7\frac{10}{51}$ (51)	$10\frac{5}{7}$ (35)	$9\frac{1}{6}$ (41)
r. 6-10	50 (8)	$9\frac{1}{11}$ (44)	$6\frac{6}{7}$ (58)	$13\frac{1}{3}$ (30)	$12\frac{1}{8}$ (33)
r. 11-14	53 (6)	$10\frac{1}{3}$ (31)	$5\frac{4}{5}$ (55)	$9\frac{2}{5}$ (34)	$9\frac{2}{3}$ (33)
Am. I	32 (12)	$8\frac{1}{4}$ (47)	6 (63)	14 (28)	$12\frac{1}{2}$ (31)
II	40 (10)	6 (69)	$6\frac{1}{3}$ (64)	$13\frac{1}{2}$ (30)	14 (29)
III	29 (15)	$6\frac{1}{6}$ (70)	$6\frac{2}{3}$ (65)	$12\frac{3}{7}$ (35)	$13\frac{5}{8}$ (32)
c.Formae	25 (2)	$5\frac{1}{2}$ (9)	$3\frac{4}{7}$ (14)	$8\frac{1}{3}$ (6)	$12\frac{1}{2}$ (4)
Am. I	30 (13)	$8\frac{1}{5}$ (47)	$6\frac{1}{64}$ (64)	$12\frac{2}{5}$ (31)	$9\frac{7}{8}$ (39)
II	$41\frac{1}{2}$ (9)	$9\frac{1}{8}$ (41)	$6\frac{1}{9}$ (61)	$11\frac{1}{3}$ (33)	$7\frac{1}{4}$ (52)
III	$81\frac{1}{5}$ (5)	$6\frac{4}{9}$ (63)	$4\frac{5}{6}$ (84)	$15\frac{2}{3}$ (26)	$11\frac{7}{12}$ (35)
m. Am.	58 (7)	$5\frac{2}{3}$ (72)	$5\frac{1}{3}$ (76)	$17\frac{3}{5}$ (23)	17 (24)
Met. I	$55\frac{2}{5}$ (14)	$7\frac{1}{2}$ (103)	$4\frac{3}{10}$ (181)	$10\frac{1}{4}$ (76)	$9\frac{2}{7}$ (84)
II	$58\frac{1}{3}$ (15)	$6\frac{10}{13}$ (129)	$4\frac{7}{9}$ (183)	$10\frac{13}{16}$ (81)	$11\frac{7}{12}$ (76)
III	$104\frac{5}{7}$ (7)	7 (105)	$5\frac{6}{7}$ (128)	$10\frac{11}{14}$ (68)	$9\frac{1}{20}$ (81)
IV	134 (6)	$6\frac{1}{4}$ (128)	$4\frac{1}{2}$ (178)	$9\frac{4}{7}$ (84)	$9\frac{4}{9}$ (85)
V	$84\frac{3}{4}$ (8)	$6\frac{1}{19}$ (112)	$4\frac{21}{23}$ (138)	9 (76)	$9\frac{4}{5}$ (73)
VI	144 (5)	$7\frac{1}{2}$ (96)	$5\frac{3}{8}$ (134)	10 (72)	$9\frac{8}{11}$ (76)
VII	96 (9)	$6\frac{2}{3}$ (130)	$5\frac{2}{5}$ (154)	$9\frac{3}{10}$ (93)	$9\frac{8}{11}$ (88)
VIII	$126\frac{2}{7}$ (7)	$7\frac{4}{21}$ (123)	$5\frac{2}{25}$ (174)	$12\frac{3}{5}$ (70)	9 (98)
IX	114 (7)	$7\frac{2}{11}$ (111)	$5\frac{6}{13}$ (146)	$15\frac{5}{8}$ (51)	$8\frac{2}{3}$ (92)
X	74 (10)	$6\frac{8}{11}$ (110)	$4\frac{5}{6}$ (152)	$9\frac{1}{8}$ (81)	$9\frac{6}{7}$ (75)
XI	$72\frac{1}{4}$ (11)	$7\frac{1}{28}$ (113)	$4\frac{3}{10}$ (185)	$10\frac{8}{9}$ (73)	$9\frac{4}{7}$ (83)
XII	$125\frac{3}{5}$ (5)	$6\frac{9}{19}$ (97)	$3\frac{21}{23}$ (160)	$11\frac{5}{8}$ (54)	11 (57)
XIII	$107\frac{1}{2}$ (9)	$7\frac{1}{3}$ (132)	$4\frac{46}{49}$ (196)	$11\frac{4}{5}$ (82)	$10\frac{7}{24}$ (94)
XIV	850 (1)	$6\frac{4}{5}$ (125)	$4\frac{2}{3}$ (180)	$10\frac{4}{21}$ (83)	$10\frac{10}{11}$ (78)
XV	176 (5)	$7\frac{3}{8}$ (119)	$5\frac{1}{3}$ (164)	$8\frac{4}{5}$ (100)	$7\frac{5}{8}$ (115)
Fast. I	$72\frac{2}{5}$ (5)	$6\frac{2}{3}$ (54)	5 (72)	$9\frac{1}{2}$ (38)	$17\frac{1}{4}$ (21)
II	$61\frac{5}{7}$ (7)	$7\frac{1}{2}$ (58)	6 (72)	$9\frac{2}{5}$ (46)	$14\frac{2}{5}$ (30)
III	$63\frac{1}{7}$ (7)	$7\frac{1}{5}$ (61)	$4\frac{7}{11}$ (95)	$14\frac{2}{3}$ (30)	$14\frac{2}{3}$ (30)
IV	119 (4)	$9\frac{1}{2}$ (50)	$5\frac{4}{11}$ (89)	$11\frac{1}{3}$ (42)	$12\frac{1}{5}$ (39)
V	$91\frac{3}{4}$ (4)	$6\frac{1}{3}$ (58)	$4\frac{1}{3}$ (85)	$14\frac{1}{9}$ (26)	$14\frac{1}{9}$ (26)
VI	203 (2)	$8\frac{5}{6}$ (46)	$5\frac{5}{7}$ (71)	$15\frac{5}{9}$ (26)	$8\frac{1}{2}$ (48)
Trist. I	$92\frac{1}{4}$ (4)	10 (37)	$7\frac{1}{10}$ (52)	$13\frac{2}{3}$ (27)	23 (16)
II	$72\frac{1}{4}$ (4)	$7\frac{2}{5}$ (39)	$6\frac{1}{3}$ (62)	$12\frac{7}{10}$ (31)	$19\frac{1}{2}$ (15)
III	79 (5)	$9\frac{1}{3}$ (43)	$6\frac{1}{4}$ (63)	$13\frac{1}{5}$ (30)	28 (14)
IV	$67\frac{4}{5}$ (5)	$11\frac{2}{3}$ (29)	$6\frac{4}{5}$ (50)	$13\frac{3}{5}$ (25)	$25\frac{2}{3}$ (13)
V	75 (5)	$8\frac{3}{4}$ (43)	$6\frac{1}{7}$ (61)	$11\frac{1}{3}$ (33)	25 (15)
Ibis	$160\frac{1}{2}$ (2)	$6\frac{4}{7}$ (49)	$7\frac{9}{14}$ (42)	$10\frac{1}{3}$ (31)	$53\frac{1}{3}$ (6)
Ponto I	$54\frac{5}{7}$ (7)	$7\frac{1}{2}$ (51)	$6\frac{5}{6}$ (59)	12 (32)	$29\frac{1}{2}$ (13)
II	$63\frac{1}{2}$ (6)	7 (55)	$7\frac{1}{2}$ (51)	$13\frac{3}{5}$ (28)	$25\frac{2}{5}$ (15)
III	184 (2)	$6\frac{4}{7}$ (56)	6 (61)	$16\frac{2}{3}$ (22)	$28\frac{1}{3}$ (13)
IV	40 (11)	$7\frac{1}{5}$ (61)	6 (74)	$9\frac{3}{8}$ (47)	17 (26)
alieutica	$16\frac{3}{4}$ (8)	$5\frac{3}{8}$ (25)	$7\frac{4}{9}$ (18)	$33\frac{1}{2}$ (4)	$10\frac{2}{13}$ (13)

Itaque Ovidius cum sibi constet fere in forma PQD (solito rarior ea in Rem. Am., a quo libro proxime absunt Art. Am. III et Fast. VI) et cum ne PQS quidem provectior arte magis vitaverit (nam eo contentus fuit, ut non crebrius quam inter senos versus semel sono hoc aures fatigaret; exceptiuncula Remedia Amoris excusante versus tripartiti raritate, una cum fragmento de Medic. Formae nimium eo decurtato), contra PPS clara artis emendatione ita rarescit, ut crebrius quam in quadragesimo quoque hexametro non usurpetur nisi in carminibus iuvenalibus: Amor. I, III, Art. Am. I, accedente de Medicaminibus Formae fragmento; proxime ab his sunt libri Am. II, Heroid. I, Art. Am. II et neglectior ille ex Ponto ultimus; idem vero PPS rarius adstare quam in quinquagesimo quoque versu inde a Transformationibus solet una cum libris ultimis aetatis amatoriae Art. Am. III, Remed. (miro modo Zingerle p. 125 hanc divisionem meam praedicat „Aushilfsmittel", quasi non oculis magis parendum ac sensui sit quam opinionibus).

Porro mira aliqua Fastorum epicorum cum Transformationibus observatur cognatio. Scilicet dactylicis verbis pedem primum et hic et illic poeta studio plane maiore concessit. Praeparantur autem quasi Transformationes hac quoque in re et Remediis et Artis ultimo. Quid? hexametros tripartitos, quorum numeros in quinta columna posui, nonne post Transformationes absolutas subito in Tristibus inque Epistolis ex Ponto missis mira constantia duplo fere rarius Ovidius posuit? At non rarius posuit in Fastis constantia eadem; itaque ad Fastos epicos ille Transformationum usum plane expandendum putavit. Ultimum autem librum et Transformationum et Fastorum pariter singulari volubilitate elegantiaeque cumulo insigniisse consulto videtur.

Iam vero sicut Heroidas ubi tractavimus cum Helena et Paris in calculo positae exhibuissent semel
PPS in 322 vv., PQS in $11\frac{1}{2}$, PPD in $6\frac{2}{5}$, PQD in 10, H. tr. in $80\frac{1}{2}$,
harum Heroidum duarum Ovidianam originem non esse conclusimus, unde sequebatur Heroidas ne reliquas quidem inde a Paride ad Cydippen usque Ovidio deberi sed imitatoribus Ovidianis (neque tamen falsariis poetis ac fraudulentis), haud aliter atque iure eodem is qui Halieuticorum numeros examinaverit carmen hoc lacerum ab Ovidio, et quidem a sene Ovidio, duxisse originem demiretur oportet. De versibus autem 18 et 33 meas lectiones secutus sum; quod si quis de v. 33 dubitabit, PPS leget inter $19\frac{4}{7}$ vv. semel. De H. tr. confugere sane ad usum licebit Fastorum. Prae ceteris ab Ovidio numerus discrepat in columna quarta po-

situs proximus ille consuetudini potius Tibullianae. Ceterum valeat licet de Halieuticis quoque sententia ea quam ego ad Medicaminum fragmentum adplicavi, Ovidium quae in brevi spatio peccaverit mox expiare solere elegantia maiore, quis tamen coniuncta casu tot crimina credet? artem autem quarti pedis dactylici Ovidianam praeclare etiam Medicamina tutantur. Atque quis omnino quinquaginta metra Medicaminum cum Halieuticis componet postquam distinguere inter adulescentem poetam et inter senem vixdum didicerimus? Nec vero desunt nimirum exempla Ovidianae artis brevi spatio peccantis quae expiabat postea; velut sane in Met. VII 140—279 PPS non rarius quam in 35 vv. semel legitur; ita Met. III v. 140—279 PQS semel in $5\frac{3}{5}$ vv.; ita eiusdem libri vv. 700—733 etiam octiens exhibetur PQS, vel semel in $4\frac{1}{8}$; ita Met. IV vv. 560—699 PQS semel in $4\frac{1}{4}$; ita in Met. VII 420—559 PQD ad versum vicesimum usque rarescit; at vero harum particularum ars reliqua perpolita sollemniter ac sine mendo incedit. Quod si quis particulatim per portiones metra non plus CXXXIV continentes Ovidium totum enumerare suspiciet, summam ille cautionem vereor ne irritam adhibuerit; nos certe procurrere ad argumenta reliqua maluimus.

Atque primum iterandum video tripartitum hexametrum ubi non simul post trochaeum tertium Naso inciderit locos paucissimos esse; sunt autem apud eum rudioris huius vel severioris formae (quam notabam F II) exempla tria in iuvenili elegiarum arte: Her. II 37. Amor. III 1, 25. 9, 53, praeterea in Transformationibus septem haec: IV 591. VI 250. 438. VIII 509. XI 630. XII 506. XV 862, unum in Fastis: IV 483. Nonnumquam vero penthemimeres obscurata vel synaloepa vel praepositionum vinculo ita cernitur, ut ubi simul et trithemimeres et hephthemimeres accedant, ad F II constituendam invitemur, quamquam propter ipsam huius II formae raritatem potius bipartitum versum ibi cogitasse poetam tenendum erit: qualis est:

Talis erat | aquilamque | in te | taurumque timebam.

Huius formae minus gratae exempla enotavi haec: Her. 1, 87. 2, 37. 7, 55. 11, 81. 12, 181. Amor. I 10, 7. II 10, 25. III 15, 5. Art. III 627. Neque plura in elegiis post Transformationes compositis: Trist. II 87. III 8, 37. IV 10, 7. Fast. II 87. 605. 837. 845. V 469. VI 19. 647; plurima in Transformationibus: I 160. 421. 587. 720. 721. 759. II 93. 383. 463. 634. 770. III 54. 644. IV 129. 207. 284. 319. 558. 780. V 502. 543. 629. VI 644. VII 240. 347. 612. 633. 651. 822. VIII 537. 696. 725. 737. IX 317. 429.

778. X 72. 177. 309. XI 214. 358. 630. XII 32. 69. 529. XIII 284. 305. 488. 632. 704. 945. XIV 359. 482. 530. 685. 813. XV 59. 149. 190. 260. 633. 737. Minus adnumero quippe leniora haec: Her. 7, 47. Art. Am. I 629. Ex Ponto I 7, 9. Fast. III 191. Met. III 595. V 195. 233. 557. VI 302. XI 195. 691. XII 167. XIII 53. XV 210. Itaque summa ipsius formae II atque versuum talium qui ad formam II inclinent frequentia in his libris occurrit: Met. I semel in 130; II semel in 175; IV semel in 115; VII semel in 144; VIII semel in 177; XIII semel in 161; XIV semel in 170; XV semel in 125½; Fast. II semel in 108. In Halieuticis autem semel res eadem inter metra 67; duo enim exempla sunt et v. 3 et v. 15.

Iam sollemnem quidem Ovidio formam metri tripartiti pro tertia numerabam. Supersunt autem formae hexametri tres eae in quibus graeca post tertium trochaeum incisio regnat, aut semiseptenaria accedente

Diripere excussosque | iubet | laxare rudentis (F IV)

aut trithemimeri accedente

Hinc Drepani | me portus | et inlaetabilis ora (F V)

aut nulla accedente masculi generis caesura:

Et graviora rependit | iniquis pensa quasillis (F VI)

(cf. Ad hist. hex. lat. p. 11 sqq.); et quidem F VI ut a nobilioribus consensu spernitur, ita semel tantum Ovidio subnata est Art. Am. I 293. At vero F IV Vergilio Tibullo reliquisque acceptissima fuit adeo ut plerumque praeclare vinceret formam V. Itaque apud Nasonem si e contrario in F V paene triciens incidimus, in F IV nusquam praeter unum locum cuius ipsa lectio plane controversiosa est, electionem clarissimam qua a sociis poetis discesserit iudiciumque certum cautissimus quisque agnoscere debebit. Invenitur autem F V locis his (plerosque Eschenburgius composuit in Metr. Untersuch. über d. Echtheit der Heroides des Ovid. Progr. Luebeck. 1874 p. 12): Her. 1, 95. 7, 17. Met. I 190. 579. II 728. IV 22. 535. 556. VI 569. VII 397. 461. VIII 22. IX 758. X 95. XII 215. 460. 466. XIII 69. 258. 620. 802. 905. XV 450. Fast. III 863. Itaque haec tanta formae V frequentia quartam a poeta reiectam consulto esse convincit. Quod vero semel F IV legi assolet Met. XV 500 sqq. (Hippolytus est qui loquitur):

me Pasiphaeïa quondam
Temptatum frustra, patrium temerare cubile
Quod voluit, finxit voluisse et crimine verso

(Indiciine metu magis, offensane repulsae?)
Arguit; immeritumque pater proiecit ab urbe
Hostilique caput prece detestatur euntis,

non casu me hercule factum est ut lectionem antiquitas ad versum paenultimum variam conservaret hanc:

Damnavit; meritumque nihil pater eicit urbe.

Itaque quoscunque Zingerle (p. 121 not.) socios convocat invocatque, sanae tamen rationis suae et criticae artis oblitus ille est qui volgatam tueri lectionem non dubitet. Quid? an non idem sermo quoque arguit latinus? Primum enim exemplum exspecto aut Ovidi aut aetatis Ovidianae in quo verbo proiciendi magis *ab* quam aut *ex* aut merus ablativus adstruatur; deinde falso legi *proiecit* perfectum, recte praesens *eicit*, testis sincerus *destestatur* est quod subsequitur. Illud vero *meritus nihil* quo a *nihil meritus* (Met. II 707) differat ego quidem non satis nasutus ad intellegendum sum. Denique *damnari crimine* pro *accusari* etiam in Fastis Ovidius scripsit V 624 et VI 189. Interpolator autem sonum simulavit Ovidianum, cf. Trist. II 327 *Arguor immerito.* Quae cum ita sint, Ovidius neque lectionem in Met. XV 504 volgatam neque vero ipsa Halieutica scripsit, in quibus bis F IV legitur et v. 11 et v. 104, F V semel v. 42.

Paullo aliter de quattuor eclogis Nemesiani agendum esse quod censeo ne mireris. Scilicet locum turpissime traditum II (IX) 9:

Hinc amor et pueris iam non puerilia vota
Quis anni ter quinque *hiemes et cura iuventae

ita ad F V conformatum fuisse persuasum habeo:

Quis anni ter quinque, biennis cura iuvencae

(*et* vocula ita inrepsit ut v. 51, ubi pro *deus et sata* felicius solito Glaeserus refecit *Deo sata*); nam licet in eclogis his non recurrat F V, recurrit ea in Cynegeticis eiusdem v. 8 et 110 et 300. Ita semel etiam planam F II eaedem eclogae praebent I (VIII) 52, alienam eam a Calpurnio, qui F V ter exhibet II 46. V 17. 61, F IV semel V 46.

Etiam hoc argumentum fiducia maiore itero: Ovidius enim metricam legem duplicum consonantium nunquam neglexit ut syllabam brevem praemitteret nisi nominibus *Zacynthos* (Heroid. 1, 87) et *smaragdi* (Amor. II 6, 21; Met. II 24), cum aliter ad metrum ista accomodari omnino non possent, praeierantque Vergilius Aen. III 270 Lucretiusque IV 1126; contra illud Hal. 120 *lamirosque smarisque* facillima cura Ovidius evitasset hunc in modum

et smaris et lamiros sicut scripsit e. g. Met. III 172 *Et Psecas et Phiale;* haec enim ea cura fuit qua etiam Xanthum ponebant pro Scamandro.

Neque immemoratum hoc relinquam hexametros in Halieuticis praeter dipodiam finalem totos spondeis compleri undecim, hoc est duodecimum quemque hexametrum, quam metri inertiam toto caelo ab Ovidio distare non est quod affirmem vel comprobem; apponam tamen ut numeros cernas aliquos quos compares in Met. I exempla novem tantum legi vel unum inter 86 vv., in Met. II undecim vel unum inter 79, in Met. III novem vel unum inter 81 (cf. Drobischi tabellam in Ber. Verh. Saechs. G. W. XXV S. 23), in Medicaminibus Formae exemplum nullum.

Quod vero voculis tribus monosyllabis definitur versus Hal. 107: *et ex se,* hoc non magis abhorret a Nasone quam in Heroid. 12, 25 illud *quod hic est* (cf. Mus. Rhen. XXXII p. 392) velut Metam. XII 613 legimus *et hac est*, Fast. I 439 *et haec est.* Coalescit nempe *est* in exemplis his cum verbo antecedente, id quod praeclare persuadet ut pentametrorum quoque clausulam talem *sat est* (Trist. V 7, 68) et *scelus est* (ex Pont. I 6, 28) pro una quasi voce enuntiandam esse putemus (parum hoc sensit Lachmannus in Ind. lect. Berol. 1848 sub finem). Haud secus autem *et ex se* in Hal. atque *ad os est* Trist. V 4, 5 excusatur natura vocularum *ex* et *ad.* Sin autem Trist. V 6, 15 recte scribitur:

Nil nisi me solum primo tutatus es. At nunc

ne *es* quidem ab adhaesione tali alienum putandum est; cf. Fast. IV 456.

Ceterum metrici mei libelli argumentum simul et latius expandere et subtiliore cura pertractare in animo quidem non est, sed non sine fructu fieri poterit: scilicet et forma PPS nec non PQS nata haud raro studio gravitatis credenda est (idque valet fere de exemplis quae indicavi l. l. p. 54 adn., ubi ad locos Ovidianos *ergo* pro *ergo ego* exhibentes addendus est Trist. IV 10, 115; Riesius vero *ego* inserere aut nullo loco debebat aut omnibus. Similiter Medicam. v. 99 *vidi ego* pro *vidi* expectabam), et illud, quod versus tripartiti modo plures modo pauciores semiquinariis admiscentur, arguto saepenumero consilio factum est: consilio certe in Tristibus reliquisque ex Ponto Epistulis duplo rarior tripartitus ille incedit: quippe sonus simplicior et uniformis tristitiae magis conveniebat, ille vero aut amabile nimis spirabat aut nimis sublime; indidemque etiam quod in Ibi amabilius

illud metrum rarissime deprehenditur explico: sic enim poeta austerior quasi atque horridior inruere in inimicum lividum videbatur. Simul autem tripartitionem metri heroici alienam a graeco Callimachi exemplo viderat. Eadem arte austeras in Catullo Parcas, amabiles vero Hymenaei cantatores esse observatum est, simile de Senecae hexametris quamvis pauculis l. l. p. 65 adn. 2. Denique etiam singulis locis poetas aut ad rem sono illustrandam aut si quid aliud invitabat bis incidisse versum sentio, quod tamen in ipsa lectione facilius auscultabitur quam disputationis angustis finibus describetur. Singulare autem huius rei exemplum unum non memorare non possum: Aetnae enim scriptor ad formam tertiam formari et primum carminis versum constituit et ultimum (646): at vero et primum illum semiquinariae merae non minus 54 excipiunt (v. 56 F III) et ultimo semiquinariae saltem 17 antecedunt (v. 628 et 625 F III) cum septimum quemque versum poeta hic bis incidere solitus sit. Itaque hanc ille formam et praelusioni et exitui decorandis docte selegit.

Lectiones Ovidianas ex metrica ratione iudicare non propero. Nisi quod in volgata hodie scriptura Met. VII 225:

Et quas Ossa tulit, quas altum Pelion herbas
Othrys quas Pindusque et Pindo maior Olympus

PPS inlatum a poeta perverso verborum ordine esse — scilicet et poterat et par erat scribere *Quas Othrys Pindusque* — frustra mihi persuadere laboro; sed vel Laurentiano libro in quo est *Othrysque et Pindusque* ad genuinam lecionem duci poteris:

Othrysque Pindusque et Pindo maior Olympus;

qualem violentiam metricam satis gratam eam Nasoni praesertim nomina appellativa componenti librarii difficiliores leniendam putabant aut *que* in *quas* mutantes aut inculcantes *et* tertio semipedi. At verum et bonis libris firmatur et a bonis editoribus agnitum est.

Quod vero semel delevi PPS in Amoribus II 10, 9 ita:

Errantem ut ventis discordibus acta phaselos
Dividuumque tenent alter et alter amor,

nominativum illum *ut acta phaselos* minus expectatum inici moneor quippe ad quem *errat* difficile ad supplendum sit, cum tamen non explicatius e. g. in Art. Am. III 783 locutum poetam esse videam:

Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater,
Solvere et effusis colla reflecte comis:

hoc est enim: *ut solvit mater Phylleïa.* Atque evolutis modo

Amoribus rei iucunditate pellicior ut alterius loci emendationem adiungam quamvis palari a metrico tramite viderer — neque enim solam vel coniecturam esse, nedum in amoribus, bene est —; nam lecta quidem, sed non intellecta haec invenio Amor. I 14, 30:

Clamabam: Scelus est istos, scelus urere crines.
  Sponte decent. Capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remove. Non est qui debeat uri:
  Erudit admotas ipse capillus acus.

Primum enim haesi ego parumne acutulus an parum eruditulus essem quod erudientem istum nescio qua eruditione capillum semper demiratus essem. Denique vero acuminis aliquid eruebam vere ludicri quodque si non placuit poetae debuisse tamen placere dixerim:

Vim procul hinc remove. Non est qui debeat uri:
  Urat ut admotas ipse capillus acus.

Neque tale alienum a se acumen poeta ille putavit qui Met. IV 194 ad Volcanum verba edidit:

Nempe tuis omnes qui terras ignibus uris,
Ureris igne novo.

Atque his absolutis cum quid in litteris aestimandis numeri observati valent intellexeris neque inopinatum neque inoptatum de Tibullo iudicium meum me confirmare videbis. Statui autem l. l. p. 48 a Tibullo et Nemesin post Deliam scriptam esse et Sulpiciam post Nemesin, suadentibus observationibus de PQS et PQD per tres sensim gradus magis excultis et de H. tr. rarescente et de F II mira progressione increbrescente. Quod vero carmina libri quarti 2—7 et 13 sq. a secundi libri arte paullulo recedere videntur de PPS (semel enim PPS hic inter 30½ vv., illic inter 25), inde nihil efficitur pro libri quarti hexametris 73: scilicet huius usus varietas copiis amplioribus illustranda erat. Attamen hac de quaestione aliter Zingerle iudicavit in Weiteres zu den Sulpicia-elegien des Tibullus (kleine phil. Abhandl. II p. 45 sqq.); commendare enim id quod autumabant alii studet, elegias quarti libri scriptas inter Deliam ac Nemesin esse, simul ut elegiam II 2 non ad librum magis secundum quam quartum attinuisse statuat. Atque quod exstitit aliquis qui de loquendi consuetudine poematii minusculi II 2 quod disticha non plus undecim complectitur omnino observare aliquid atque contendere susciperet, stupore ego non parvo defixus sum. Nihilo minus audirem fortasse modo ad Cerinthum poeta poemation scripsisset; nunc quia aliud nomen

praetulit Cornuti quod idem in tertio quoque carmine eiusdem libri secundi memorat, poeta ipse vetat ne carmina ista divellamus. Ceterum argumenta Zingerlei quot vel pondus vel umbram ponderis habere videri possint exhibebo; non habere tamen iam hoc videbitur quod est de pronominum *quicunque* et *quisquis* frequentia (Zing. p. 55): legitur enim *quicunque* in libro I octiens vel semel in 100 vv., contra in IV 2—7 quinquiens vel semel in 25 vv., deinde rursus in libro II quater vel semel in 100 (sin autem dempseris ex libro II secundam quod nulla auctoritate feceris, semel in 200): itaque ad librum primum quartum quam secundum propinquiorem esse numeri hi non attestantur. *Quisquis* autem in libro I sexiens exstat vel semel in 135 vv., in l. II undeciens vel semel in 39, in l. IV 2—7 ter vel semel in 41; itaque ne hac quidem in re a l. I magis diversus l. II est quam IV 2—7. Hoc autem ego addidici in Deliae libro qui et colore et calore poetico praevalet distributas istis nominibus sententias minus acceptas fuisse Tibullo.

Accedunt Zingerlei observationes hae: imperativi formae qualis est *caveto* in fine hexametri positae ex primo libro ab eo quinque enotantur, nulla ex secundo, duae vero ex Sulpicianis 2—7. Porro docemur (p. 73) voculam *at* inter 22 vv. semel legi in l. I, inter 25 in IV 2—7, inter 45 in l. II; praeterea (p. 65 sq.) verborum inpersonalium *pudet piget poenitet taedet iuvat decet* quibus adhaereat infinitivus in l. I exempla 15 adesse, in IV 2—7 exempla 6, in l. II non plus 2. In calculo particulis poni facile concesserim, reliquo sermoni minus, nisi aut scriptorum copia et ambitus multo maior sit libro Tibulli quarto aut differentiae compareant multo numerosiores iis quas Zingerle agitat. Has ille non fuit omnino cur dare casui dubitaret (quem quidem ipse periucunde sollemnem vocavit: ganz gewöhnlich p. 59; cf. p. 62); ceterum si qua vox in carminibus minus occurrit, iam ubi ea locum habere potuerit quidve in locum eius subrogatum sit semper ostendas necesse est; aliter in cassum desudaveris. Quid? adiectivum *tener* (Zingerle p. 49) adesse semel observatur in libro I viciens bis vel semel in 37 vv., IV 2—7 ter vel semel in 41, in l. II sexiens vel semel in 71: ecce duriuscula sors poetae: non solita sua vel rerum vel animi teneritate Nemesin dum amat usus videtur. Quid? nam magis ludicra iam ipse suppeditem, neque in primo neque in quarto libro aut avaritiam Tibullus scripsit aut adiectivum *avarus*, in secundo vero plus semel: iam nihilne concludam? Quid? in toto libro II numquam quemquam poeta incusandum putavit de-

mentiae: scilicet *demens* cum ter in libro primo legerim, semel in quarto (IV 13, 17), tamen in secundo frustra requiro, neque ipsam dementiam nisi in primo animadverto. Atque etiam valde vereor ne insuper accedat versus IV 3, 7. Quod enim solitum est placere lectoribus:

Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
 Claudentem teneras laedere velle manus

stare posse illud *quae mens* non satis mihi persuaserunt commentariorum scriptores; primum enim quod Vulpius comparavit Catulli 15, 14 *Quod si te mala mens furorque vecors,* quocum coniungas Vergili Aen. II 519 *Quae mens tam dira?* dari Tibullo quoque debebat *quae mala mens* vel *quae mens nulla.* Horatius autem Carm. I 16, 22 *compesce mentem* non scripsisset nisi mentem puellae iracundam esse (cf. v. 6) carmine toto decantasset. Denique quod apud Nasonem Met. V 14 Cepheus compellit Phineum *Quae te, germane, furentem Mens agit in facinus?* idem hoc esse atque „quid cogitas furore tuo" interrogationes quae insequuntur satis declarant; nostro loco tolerarem quidem *Quae mens, quis furor est?* quasi se ipse corrigere scriptor vellet. Tradita furori quam menti viciniora esse sentio; quippe roganti *quis furor est?* respondebo: „furor magnus", at iterum *quae mens?* roganti: „furiosa scilicet; an furorem modo magnum frustra diximus?" Itaque dum benevolo poetae legere consuevi: *Quis furor est, demens,* ducibus quidem Douza atque Broukhusio. Unum tamen locum reliquimus, Horati Epist. I 2, 60:

Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est. Animum rege.

quem iam errori perapposite eripiemus. Nam et mentem pro furore et dolorem pro ipsa ira accipere editores clarissimos video, quod utrumque recte habere dubito; necesse est enim scriptorem in una eademque disputatione vocis unius unam tantum certamque significationem servare: itaque dolor quid esset versu 55 poeta stabilivit, quippe non ira ipsa, sed irae potius exitus quodve poenae vice fungitur. Porro pessimo Horatius sermone usus esset, si, cum et v. 59 in protasi et v. 62 in conclusione iram poneret, iam medio loco non simpliciter scripsisset *quod suaserit* — scilicet iram esse quae suaderet vel lippi vidissent —, sed

molestissima diligentia vocibus circumscripsisset duabus aut parum aptis aut etiam ineptis. Aut corrupta lectio dicenda aut ita distinguenda est:

Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse dolor, quod suaserit, et mens
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est. Animum rege.

Scilicet quod iracundus (qui irae non moderabitur) suaserit, id postea dolor infectum esse volet atque mens ipsa (hoc est: dolor mente recuperata) dum odio inulto poenas dare per vim festinant. Haud secus se rem accepisse Porphyrio ipso lemmate attestatur. *Suaserit* minus expectatum Horatius pro *fecerit*.

Sed mentem dum sector inania captor propositi obliviscor. Ad artem Tibulli attendimus metricam. Attendit ad eam Zingerle quoque, sed obiter, quod vero observavit in p. 76, id ordinem librorum meis potius numeris convenientem confirmavit; pentametri enim penthemimeren priorem spondiacam totam Tibullus finxit in libro I semel inter 8 hexametros (51 exempla), l. II item semel inter 8 (27 ex.), l. IV 2—7 et 13 sq. semel inter $5\frac{1}{4}$ (14 ex.). Contra Sulpiciae epigrammatia IV 8—12 eandem praebent semel in $2\frac{1}{2}$ (6 ex.), Lygdamus semel in 4 (36 ex.). Tibulli autem carmen I 3 quod vetustissimum esse suspicatus sum etiam hac in re omnibus Tibullianis vincitur: exhibet enim spondiacam penthemimeren quater deciens vel semel in $3\frac{1}{3}$ (deinde I 4 semel in $4\frac{2}{3}$; elegantior I 9).

Itaque dum quis graviora opinioni contrariae obtendet, standum ab hac mea erit quae etiam ipsa re maxime commendatur: ipsum Tibullum duos tantum libros publicasse (neque plures Ovidius se cognovisse testatur) eosdemque ideo etiam primarios fructus artis esse Tibullianae, tum Heroidum fere Ovidianarum tempore lusus Lygdami esse adiectos, atque post hunc demum reliquias nonnullas Tibulli una cum Sulpiciae elegidariis in librum adlectas redactasque esse ultimum cognitas eas ut videtur non ante poetae obitum.

Advocamur etiam Venusinis Camenis. Attamen earum hoc loco vel imperata obtrectare malim. Nam Ars Poetica Horatianorum librorum ultimus consensu fere habebatur, eique iudicio etiam metricis meis observationibus mirum quantum roboris addi ac virium mihi visum est (Ad hex. lat. hist. p. 38 et 13; cf. p. 28). Nunc vero a consensu isto divertere Adolphum Michaelem video in com-

mentatione pereleganti Die Horazischen Pisonen indita commentationibus philologis in honorem Th. Mommseni p. 420 sqq.; scriptam enim Artem arguit non post annum a. u. 735. Quod si in calculis meis metricis Horatium plenum exhibuissem, argumenti loco ad eos provocarem: nunc fidem eis ut ipse habeo, ita tamen alios habituros esse despero. Quoniam vero argumentis dum sine argumentis diffido neque viro doctissimo neque vero mihi ipsi placebo, de versu saltem Artis obloquar 157 (Mich. p. 429). Nam cum haec tradita accepisset magnus Bentleius:

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores
Mobilibusque decor naturis dandus et annis,

non recte ille coniectavit:

Mobilibusque decor maturis dandus et annis.

Quid enim, quaeso? dandus decor est et puerilibus annis et maturis: quinam igitur decor? an decorati anni quid sint dicere poteris? scribendum necessario fuit: decor suus vel decor aptus annis dandus et maturis et mobilibus est. Iam vero *naturis* quod traditur optime habet. Varias enim aetates hominis distincte ponere Horatius non ante versum 158 adgreditur; nunc, ut solet, sententiam non vult nisi unam et eandem duobus versibus bis eloqui leniter immutato sermone: velut *decor dandus* idem est quod *notandi*, *naturae* idem quod *mores*, naturarum mobilitas refert illud *aetas quaeque*: itaque quoniam neque *decor* poni nudus potuit neque vero sensui sufficit illud *et annis*, Horatius haec scripsisse putandus est:

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores
Mobilibusque decor naturis dandus ab annis,

stabitque iam quod Hauptius observavit (Observ. crit. p. 48 sq.) Horatium in epodis quidem et sermonibus particulas copulativas qualis est *et* a primo enuntiati loco removisse saepius aliquanto quam Vergilium, minus saepe in carminibus, maxime in posterioribus libris, perraro in epistulis, in arte poetica nusquam.

Sed etiam illa coniectura incertissima est qua versum 65 efferre cum hiatu circa bucolicam caesuram insperato cogimur tali scilicet quem Vergilius exercuit, non exercuit Horatius (cf. Sat. I 9, 38. II 2, 28):

Regis opus, sterilisve palus diu aptaque remis;

sed in tradita lectione:

Regis opus, sterilisve diu palus aptaque remis
Vicinas urbis alit et grave sentit aratrum

interpolationem potius deprehendere ego et vetustissimam et vilissimam videor. Nam vel illud *aptaque remis* inertissime addidisset scriptor ad nominatam paludem ipsam. Neque sterilis diu, sed semper palus ipsa dicenda fuit, nec facile sentire aratrum dici palus ipsa poterat. Igitur ante Servium qua aetate vitia plurima in Horatio suborta sunt interpolator paludem Pomptinam clarius indicandam duxit cum fere his similia invenisset:

sterilisve diu glaeba aptaque remis
Vicinas urbis alit et grave sentit aratrum.

Ipsum vero *regis opus* ut de divo Iulio dictum sit, tamen induci eo potuisse etiam Augustum non negaverim; namque Augusti illa de Horatio ad Maecenatem: *Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam* (apud Suetonium Reiff. p. 45) parum respexit Mommsenus in Roem. Staatsrecht II² p. 741.

Gravissimum autem illud quoque esse existumo quod de Terenti Scauri commentariis constat. Neque enim speciosior quam verior Zangemeisteri illa coniectura est (De Hor. voc. singul. p. 40 sqq.) qua admirabilis quidam Charisi explanatur locus p. 202 K: „*impariter*“ *Horatius epistolarum*, „*versibus impariter iunctis*“, *ubi Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poeticam libro* X „*adverbium*“ *inquit* „*figuravit*“; nam si Scauri commentariorum Horatianorum duos libros ad sermones pertinuisse (cf. Porph. et Comment. Cruquii ad Sat. II 5, 92) statuitur, singularem ad epodon librum, quattuor ad carmina, duos ad epistulas, iam ad artem poeticam qui scriptus fuit et decimus fuit et ultimus. Itaque ex eis quae ad nos descenderunt Horati exemplaribus in quibus ab ultimo loco Ars remota est de ipsa origine Artis et editione iam plane nihil colligi licet. Quodsi ea ultimo loco tempore Hadriani habebatur, specie si minus illustri, at sublustri saltem eo trahimur ut etiam editam eam loco ultimo putemus. Praeterea hoc adverte: Charisius enim non refert: *Horatius Artis poeticae*, sed *Horatius Epistolarum*; itaque etiam talem Horati editionem eamque post Scaurum, ut videtur, exstitisse clare cognoscis in qua cum ipsa *Artis* inscriptio aut non legeretur aut non respiceretur non duos libros antiquitas terebat Epistularum Horati, sed tres. Charisius autem lectiones duas diversas coniunxit; in altera *impariter* adverbium citabatur ex Epistulis (hoc est ex Epistularum tertio): alteram vero cum ex Scauro adiceret ubi inscriptionem Artis ab illa Epistularum diversam videbat, iam necessario plenum Terentiani operis titulum adponebat hunc: *Scaurus in commentariis in artem poeticam libro* X. Neque vel illud

Epistolarum omnino addidisset ni fallor, nisi alterum alteri titulorum opponere voluisset, quandoquidem titulum neque reliqui grammatici addere solent neque Charisius ipse addidit altero loco p. 204 K dum Artis versum 459 sq. laudat: *Horatius*: „*licet succurrite longum clamet*". Denique de Charisi verbis explanandis est etiam quo discordare cum Zangemeistero non sine fructu possim.

Pisones vero quibus missa Ars fuit in re poetica non videmus curasse nisi tragoedias, neque magis tragoedias ipsas quam satyricas fabulas (huc enim concedet qui legere libros non oculis solum, sed mente quoque consueverit); vereor itaque ne illi et ingenio suo et indole et disciplina ab ipsis ac veris Augusteae aetatis litteris alieniores fuerint, affiniores vero Ciceronum illi saeculo quo incomparabili aut ingenii aut manus agilitate conscribilitandis tragoediis cotidianis fere insanire ad doctissimum et honestissimum quemque pertinebat. Certe satyricam Ciceronum alter est quem composuisse sciamus fabulam. Atque eadem tempora fere Lyncei Propertiani animum referre crediderim; huius autem orationis *λήκυθοι* certe a Vergiliana illa licentia sumpta pudenter multum distabant. Itaque an ab ipsis obtrectatoribus Vergili Vergilianique sermonis Pisones stare omnino non potuerint nescio. Nihilo minus versus Artis 48—72 (de quibus Michaelis p. 422 sq.) num apte ad Pisonem patrem maxime scriberentur numque displicere oratio Aeneidis et huic et aliis potuisset quaerere distuli: *ἐγὼ μὲν οὐ δέω ταῦτα μαρτυρεῦντας* nec scire fas est omnia.

In plagula autem proxima simul et postrema ipsorum Halieuticorum latinorum imaginem complanatam sic fere ut obvenisse Plinio credatur ostendere voluimus arbitrariis ibi intextis ubi vera latebant.

Ovidi Halieutica.

Praecepit mundus legem, dedit arma per omnes
Admonuitque sui. Vitulus sic namque minatur,
Qui nondum gerit in tenera iám cornua fronte,
Sic dammae fugiunt, pugnant virtute leones
Et morsu canis et caudae sic scorpius ictu
Concussisque levis pinnis sic evolat ales.
Omnibus ignotae mortis timor, omnibus hostem
Perniciemque datum sentire et noscere teli
Vimque modumque sui. Sic et scarus arte sub undis
Si nassa captus de spe, piscator et ipse,
Decidit adsutamque dolo tandem pavet escam,
Non audet radiis obnixa occurrere fronte,
Aversus crebro vimen sed verbere caudae
Laxans subsequitur tutumque evadit in aequor.
Quin etiam si forte alius, qui damna notarit,
Mitis luctantem scarus hunc in vimine vidit,
Aversi caudam morsu tenet atque lacessit,
Donec servato quem texit cive resultet.
Sepia tarda fugae, tenui cum forte sub unda
Deprensa est iam iamque manus timet hilla rapacis,
Inficiens aequor nigrum vomit illa cruorem
Avertitque vias oculos frustrata sequentis.
Clausus rete lupus, quamvis inmitis et acer,
Dimotis cauda submissus sidit arenis
In foveaque iacens, ubi rete levatur in auras,
Emicat atque dolos astu deludit inultus.
Et murena ferox, teritis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conixa foramina retis
Tandem per multos evadit lubrica flexus
Exemploque nocens cunctis iter invenit una.
At contra scopulis crinali corpore segnis

1. p. 100. p. 12. **2.** p. 13 sq. **3.** p. 14. **3—6.** p. 16. **7. 8.** p. 102. **10.** p. 78. **11.** p. 78. **15.** p. 79 sqq. **17.** p. 82. **18.** p. 82. **20.** p. 71 sq. **22.** p. 71. **23.** p. 74. **26.** p. 75. **27.** p. 70. **31.** p. 37.

Polypus haeret et hac eludit proelia fraude:
Pressus lege loci sumit mutatque colorem
Semper ei similis quem contigit, atque ubi praedam
Pendentem saetis avidus rapit, hic quoque fallit,
Elato calamo cum demum emersus in auras
Brachia dissolvit populatumque expuit hamum.
At mugil cauda pendentem everberat escam
Excussamque legit. Lupus acri concitus aere
Discursu fertur vario fluctusque ferentes
Prosequitur quassatque caput, dum vulnere saevus
Laxato cadat hamus et ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit murena nocendi
Auxiliique sui, morsu nec cominus acri
Deficit aut animos ponit captiva minacis:
Amplius os hamo verat eroditque ita linum.
Anthias his tergo quae non videt utitur armis
Vim spinae novitque suae versoque supinus
Corpore lina secat fixumque intercipit hamum.
Cetera quae densas habitant animalia silvas
Aut vani quatiunt semper lymphata timores
Aut trahit in praeceps non sana ferocia mentis.
Saepta sequi natura monet vel comminus ire.
Impiger ecce leo venantum sternere pergit
Agmina et adversis infert sua pectora telis
Quoque venit fidens magis et sublatior ardet
Concussitque toros et viribus addidit iram,
Procidit atque suo properat sibi robore letum.
Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners stolidaeque ferocia mentis?
Actus aper saetis iram denuntiat hirtis:
Sed ruit oppositi nitens in vulnera ferri
Pressus et emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus dat terga sequenti
Ut pavidi lepores, ut fulvo tergore dammae
Et capto fugiens cervus sine fine timore.
Hic generosus honos et gloria maior equorum,

---

32. p. 76. **33.** p. 76. **34.** p. 33. **39.** *aere* pro *ira* reficiendum esse tandem mihi carmen dum describo effulsit; cf. Ovidi ex Ponto II 7, 10; vide p. 70; frustra verba feci p. 6. **40.** p. 38. **41.** p. 70; an forte *Persequitur*? **45b.** p. 77. **46.** p. 19. **51.** p. 25. 38. **52.** p. 13. **57.** p. 19. **61.** *Seruit* libri; volgo *Et ruit*. **65.** p. 38. **66.** p. 23.

Nam cupiunt animis palmam gaudentque triumpho.
Seu septem spatiis circo meruere coronam,
Nonne vides victor quanto sublimius altum
Adtollat caput et vulgi se venditet aurae?
Celsave cum caeso decorantur terga leone,
Quam tumidus quantoque venit spectabilis actu
Concrispatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis.
Quin laus prima canum, quibus est audacia praeceps
Venandique sagax virtus viresque sequendi,
Quae nunc elatis rimantur naribus auram
Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro
Et produnt clamore feram dominumque vocando
Increpitant. Quem si conlatis effugit armis,
Insequitur tumulosque canis camposque per omnis.
81 b Ast aliis terram cedamus. Namque marinis
Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam vastique maris temptare profundum;
Inter utrumque loci melius moderabere finem.
85 b Pisces observes quid ament ac dona locorum:
88 Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare (nam varie quaedam fugiuntque petuntque)
86 Aspera num saxis loca sint (nam talia lentos
Deposcunt calamos, at purum retia litus),
. . . .
. . . .
. . . .
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
90 b Gurgite et ut conchae piscis pascatur inertes
Oblectetque moras et molli serviat algae.
Discripsit sedes varie natura profundi
Nec cunctos una voluit consistere pisces.
Nam gaudent pelago quales scombrique bovesque,
Hippuri celeres et nigro tergore milui
Et pretiosus helops nostris incognitus undis
Ac durus xiphias ictu non mitior ensis
Et pavidi magno fugientes agmine thynni,

---

67. p. 23. **68.** p. 24. **71.** p. 17. **73.** p. 35. **75.** p. 43. **78.** p. 16. **80.** p. 25. **81** b, **82.** p. 11 sq. **85.** p. 12. 26. **86** sqq. cf. p. 105. **88.** p. 105. **89.** p. 26. 28. **90.** p. 27. **90** b. p. 27. **94.** p. 29. 121. **95.** p. 55 sqq.

99 Parva echenais (at est, mirum, mora puppibus ingens)
102 Cercyrosque ferox scopulorum fine moratus,
Cantharus ingratus suco, tum concolor illi
Orphus caeruleaque rubens erythinus in unda
105 Insignis sargusque notis, insignis iulis
Et super aurata sparulus cervice refulgens
Et rutilus phager et fulvi synodontes et ex se
Concipiens channe, gemino sibi iuncta parenti,
Tum viridis squamis, parvo saxatilis ore
110 Et rarus faber et pictae mormyres et auri
Chrysophrys imitata decus, tum corporis umbrae
Liventis rapidique lupi percaeque tragique,
Quin laude insignis caudae melanurus et ardens
Auratis murena notis merulaeque virentes
115 Inmitisque suae conger per vulnera gentis
Et captus diro nociturus scorpios ictu
Ac numquam aestivo conspectus sidere glaucus
100 Tuque comes ratium tractique per aequora sulci,
Qui semper spumas sequeris, pompile, nitentes.
118 At contra herbosa pisces laetantur arena
Ut scarus epastas solus qui ruminat escas
120 Fecundumque genus maenae lamirosque smarisque
Atque inmunda chromis, merito vilissima salpa
Atque avium dulces nidos imitata sub undis
Et squatina et tenui suffusus sanguine mullus,
Fulgentes soleae candore et concolor illis
125 Passer et Adriaco mirandus litore rhombus,
Tum lepores lati, tum molles tergore ranae
Extremi aspectu taeter quibus oris hiatus,

. . . .

. . . .

130 Lubricus et spina nocuus non gobius ulta
Et nigrum niveo portans in corpore virus
Lolligo durique sues sinuosaque caris
Et tam deformi nun dignus nomine asellus
134 Tuque peregrinis acipenser nobilis undis.

102. p. 114. **103.** p. 113. **105.** p. 57 sqq. **108.** p. 30 sqq. **109.** p. 109. **113.** p. 108. **115.** p. 112. **116.** p. 114. **100.** p. 114 sq. **101.** p. 29 sq. **118.** p. 29. 106. **119.** p. 36. **120.** p. 116. **122.** p. 121. **123.** p. 119 sq. **124.** p. 38. **125.** p. 23. **126.** p. 118. **127.** p. 123. **130.** p. 34. 121.

Index capitum.

Scriptorum iudicatorum index.

Berolini typis Pormetteri.


weak

